



IOAN. CAMERONIS
MYROTHECIUM EVANGELICUM.

Hoc est,

NOVI TESTAMENTI LOCA QUAMplurima ab eo, post aliorum labores, aptè & commodè vel illustrata, vel explicata, vel vindicata.

Quibus adjecta sunt ALEXANDRI MORI *NOTÆ IN NOVUM FOEDUS jam anteà editæ; & DISSERTATIO in Mat. c. 24. ℣. 28. hactenus inedita.*

Nec-non, Blanchard

Ejusdem ALEXANDRI MORI *AXIOMATA THEOLOGICA, quæ nunc primùm in lucem prodeunt.*

Editio novissima locorum Indicibus locupletata.







SALMURII,
Apud ISAACUM & HENRICUM DESBORDES, Typographos & Bibliopolas.

M. DC. LXXVII.



LECTORI STUDIOSO TYPOGRAPHI S.

SVper nova hac *MYROTHECII* IOANNIS CAMERONIS, τȣ̃ μακαρίτȣ, Editione, pauca, *Lector Studiose*, te monere abs re non erit: prior anno 1632. accurante LUDOVICO CAPPELLO, τῶ ἐν ἁγίοις, publici juris facta est; eamque eruditi omnes ità probârunt ut intra paucos annos omnia exemplaria distracta fuerint. Ipsissimam Editionem excudendam denuò decreverat, & quæ emendanda, quàm diligentissimè emendârat idem LUDOVICUS CAPPELLUS, cùm mors eum occupavit; à quo tempore delituit illud revisum opus quod hodie in lucem edimus. Id autem potissimùm curavimus, ut posterior Editio nostra priorem Genevæ exaratam omnimodè antecelleret. Quod an perfecerimus, in lectione operis tu ipse dijudicabis. *SPICILEGIVM* LUDOVICI CAPPELLI ad calcem prioris Editionis adjectum, consultò omisimus, utpote quod ante aliquot annos, Amstelodami cum Notis in N. T. IACOBI CAPPELLI in Academia Sedanensi quondam Professoris excusum fuerit, cujus Editionis partem non exiguam comparavimus, ut, quasi typis nostris fuisset impressa, venalia apud nos prostent exemplaria. Igitur loco *SPICILEGII*, ob argumenti similitudinem ALEXANDRI MORI, Theologi eximij *NOTAS IN NOVVM FOEDVS*, antehac vulgatas adjecimus; verùm *DISSERTATIONE* in *Matth. cap. 24. ℣. 28.* quam ex ipso dictante, dum postrema Synodus Nationalis Iulioduni haberetur, Theologiæ Studiosus excepit, auctas, & mendis quibus plurimis in locis scatebant expurgatas: quin & ejusdem ALEXANDRI MORI *AXIOMATA THEOLOGICA*, ab ipso tum Genevæ, dum illîc publicè Theologiam profitebatur, tum alijs in locis dictata, quę tanto studio colligi & cum varijs manuscriptis conferri curavimus, ut correctiora & auctiora nemo usquam viderit. Insuper errata graviora propter brevem Viri docti absentiam, qui in publici gratiam Exemplaria excudenda emaculare dignatus est, irrepta, priusquàm hujusce operis lectionem susceperis, corrigas supplices te rogamus. Vale, *Studiose Lector*, laboribus nostris favens esto, ut haud incassum recidant.



NOBILI ET CLARISSIMO VIRO,

FRANCISCO VALLEO,

DOMINO

DE CHENAILLES.

QUandoquidem, Nobilissime Vir, Domini MEROVILLÆI, *fratris tui* τ͂ μακαρίτε *studio, & liberalitate factum est, ut doctissimi* CAMERONIS *opera posthuma in lucem primum ederentur, primúsque eorum Tomus propterea illius nomini merito à me inscriptus est, non miraberis puto, neque spero ingratum erit, si quod ex illis magna ex parte excerptum, ordinéque digestum, & nova nec contemnenda adjectione auctum est, nomini tuo dicetur, quo & omnium, qui Cameronem amant, communem erga fratrem tuum (pro sua in eum pietate) gratitudinem omnibus, eorum veluti nomine, testatam facerem, & tibi, lectissimæq; fratris tui viduæ meam erga vos privatim significarem, tum quod illa, quæ vir Testamento legaverat in operum illorum editionem impendenda, statim post procuratum ejus funus promptissimè exsolvit, tum etiam quod te auctore & consultore cesserit illa liberaliter omni suo jure repetendarum illarum impensarum, in eorum gratiam & commodum qui editioni operum illorum vacârunt.*

Accipe ergo serena fronte, & publicum istud de liberalitate vestra testimonium, & hanc mei erga te obsequij arrham, & viri longè doctissimi fratri tuo olim charissimi, nec tibi prorsus ignoti, hæc exigua & postrema veluti, post funera, λείψανα. Pietatem & doctrinam ejus sat scio amplectêris, qui & ipse doctus es, & verè pium te esse demonstrâsti, quum puriorem Christi doctrinam eo tempore professus es, quum alij non pauci omnis sortis & conditionis homines, Mosi dissimillimi, qui Christi probrum delicijs Ægiptiacis prætulit, Demæ contra similes huic addicti sæculo, præsenti afflictæ Ecclesiæ Dei facie, & futurorum quæ animo præsagire se putant malorum formidine perterriti, veritati, quam optimè norunt, nuntium remittunt. Pietatem illam tuam Christus in dies in te Spiritu suo, & frequenti sacrarum litterarum studio, lectione, atque seria earum meditatione adaugeat, utque te lauta & splendida inter homines sorte ornavit, quæque animum quemlibet non immodicum explere abundè queat, ita spiritualibus inter fideles suos donis, verisque & ἀφθάρτοις divitijs, cumulatissimè ornet.

Propenso in tui obsequium
animo, totus tuus,
Lud. Cappellus.

Salmurij III. Idus Maias, M. DC. XXIX.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



TSI univerſa Theologia, veráque ejus atque unica baſis & fundamentum inconcuſſum Scriptura, clariſſimorum Eccleſiæ (tum primitivæ atque antiquioris, tum poſterioris Evangelicæ, majorum noſtrorum tempore reformatæ) luminum & Heroum luculentiſſimis Scriptis & Commentarijs tota jam pleniſſimè illuſtrata videri poſſit, ità ut ad ea, quæ hactenus ſcripta ſunt, nihil amplius addi poſſe videatur; tamen tanta eſt myſterij illius pietatis majeſtas, tanta inexhauſtæ illius abyſſi profunditas, tam varia & multiplex Sapientiæ divinæ in eo occulta diſpenſatio, tanta donorum Dei in eo explicando varietas, ut mirum nemini jure videri debeat, ſi quemadmodum primorum, primis Eccleſiæ temporibus, in ſcriptis illis ſacris explanandis, eruendaque atq; tradenda ex ijs cœleſti veritate, Doctorum labor & induſtria non deterruit alios, quominus poſt eos operam ſuam in eodem opere utiliter collocarent, idque per longam ſæculorum ſeriem, alijs poſt alios, ad hunc uſque diem, in illud, magno cum fructu, incumbentibus (unde etiam factum eſt ut, maximo Dei beneficio, myſteriorum divinorum in Chriſtiana religione cognitio hodiè multò ſit major, clarior, atque explicatior, quàm unquam anteà jam ab Apoſtolorum ſæculo fuerit,) ità & poſtremorum, qui in eadem ſuperiore ſæculo deſudarunt palæſtra, labor & gloria, aliorum qui poſt eos venerunt inhibere aut retardare ſtudium & conatum non debet, quominus & ipſi poſt alios aliquid tentent, talentúmque ſibi à Deo concreditum eò conferant, & donum Dei in ſe exſuſcitent, ſi fortè & ipſi aliquid Domino ſuo lucrifacere poſſint, quod ad ampliorem gloriæ ipſius patefactionem, & majorem piorum profectum, ex myſteriorum illorum ſacrorum clariore & pleniore, ex Scripturis divinis, revelatione & illuſtratione, cedat.

Neque enim qui hactenus vel in S. Scripturam, ad ejus illuſtrationem & explicationem, aliquid ſunt commentati, vel de rebus Theologicis pio zelo ſcripſerunt, id eo animo & conſilio fecerunt ut omnes poſt ſe à ſcribendo & commentando deterrerent, ſed potius eos exemplo ſuo excitare & invitare voluerunt, ut quiſque pro dono ſibi à Deo indulto

in idipsum seriò incumberet. Neque putandum est omnia vel in Theologia, vel in Scriptura ità esse jam ab alijs hactenus occupata & explanata ut nihil amplius supersit quod possit, vel clariùs, vel aptiùs, vel commodiùs, vel etiam pleniùs jam explicari. Imo verò semper aliquid erit quod & ignoremus, & in quod propterea penitiùs inquiri & possit & debeat ab ijs qui etiam post nos venturi sunt ad ultimam usque diem, in qua demùm (non priùs) plenissimam consequemur, Christo perfectissimè uniti, mysteriorum illorum cognitionem: *Nunc enim ex parte duntaxat cognoscimus, & ex parte prophetamus, tùm verò demùm perfectè eum cognoscemus, sicut ab eo cogniti sumus, quum eum non ampliùs per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem intuebimur.* Itaque laudanda est eorum industria & diligentia, studiúmque & labor, qui etiamnum hodie post tot licet clarissima Ecclesiæ lumina, face sua lucem aliquam ijs quæ needum sunt satis explicata aut illustrata, pro modulo suo affundere pio animo conantur.

Iam verò inter eos qui è nostris ultimo hoc tempore in Theologicis & Scriptura aliquid tentârunt, quàm non postremus sit (ut nihil amplius dicam) CAMERO hic noster, agnoscent facilè qui Scripta ejus hactenus edita diligenter & sine præjudicio legerunt; ejusmodi enim sunt ut quo sæpiùs releguntur eo magis placeant, eoque clariùs in ijs refulgeat authoris doctrina atque eruditio, & singularis totius rei Theologicæ solida cognitio; undè nova quædam affulget Lectori lux, summopere utilis & necessaria, tum in commoda omnis fermè generis controversiarum, quibus hodie fides Christiana agitatur, explicatione atque definitione, tum vel maximè in apta, aperta & facili, simulque accurata Scripturæ Sanctæ, quum occasio poscit, explanatione. Et sanè qui eum dum viveret familiariùs noverunt & audiverunt, sciunt quantum in utroque genere valuerit tum ingenio & singulari industria, tum naturali etiam quadam propensione & ἀγχινοίᾳ admirabili, quod & tu ipse, benigne Lector, per te poteris deprehendere ex attenta eorum quæ scripsit lectione, si non lævum, sed syncerum & purum (uti speramus) ab omni livore & suspicione animum in eorum lectione adhibeas.

Fructus ergo eximius, & planè singularis, quem ab illis, qui solidè & seriò cupiunt θεολογεῖν, & in Scripturæ Sanctæ plana & accurata versari intelligentia, speramus reportatum iri ex magni illius viri laboribus, compulit nos ut ex editis illius scriptis ea excerperemus & ordine digereremus quæ specialiter spectant locorum Novi Testamenti permultorum illustrationem atque explicationem. Qua in re non est quod quis existimet nos actum egisse, ac frustrà operam nostram in eo collocâsse. Nam primò, non pauca hîc habentur quæ nullibi in editis CAMERONIS scriptis invenias, sed quæ nos aliundè habuimus, aut adepti sumus ab ijs qui cum eo familiariter, dum in vivis erat, uterentur,

multa ex privatis ejus colloquijs, aut publicis etiam disputationibus annotarant, exceperant, atque in proprium usum seposuerant, quæ postea nobis non inviti communicârunt. Secundò, ea ipsa quæ nos ex editis ipsius operibus collegimus atque huc conjecimus, ità sparsa sunt atque diffusa per universum scriptorum ipsius corpus, ut sæpissimè nonnisi operosè admodum, & magno cum tædio, quæri ea & inveniri, ubi opus est, possint, quæ tu hîc omnia congruo & commodo ordine habes disposita atque collocata. Etsi autem Tabulæ locorum Scripturæ, quæ in CAMERONIS operum calce additæ sunt, multo quærendi quæ libuerit labore levare te hac in parte possint, non tamen usquequaque & per omnia sufficiunt: Nam non rarò, imo passim, accidit ut idem Scripturæ locus varijs in operum illorum locis, magno cum labore quærendus sit (varia enim operum illorum loca sæpissimè ad unius Scripturæ loci explicationem consulenda & conferenda sunt) quo ego hîc te levavi sudore, quum simul omnia quæ eodem pertinent undique collecta in unum contuli.

Porrò tria utiliter in Scripturæ explicatione præstari possunt. Nempe primò, ut vis verborum atque phraseωn expendatur, eorumque propria, nativa & genuina significatio grammatica eruatur, atque explicetur planè & apertè, ut certò teneas τί τὸ λεγόμενον: quæ explicandi ratio basis est & fundamentum expositionis illius quâ loci sensus Theologicus postmodum eruitur & exponitur; ità ut fieri non possit ut quis feliciter, & cum successu, in veri sensus, quem *Theologicum* vocant, investigatione versetur, nisi priùs apprimè genuinum sensum, qui *Grammaticus* dicitur, tenuerit, perspectâ & probè intellectâ verborum & phraseωn vi & ratione, atque significatione, quæ interdum non est omnibus obvia, etiam ubi plana & aperta nonnullis fortè videri posset. Atque ad id opus est non qualicumque & perfunctoriâ, sed exactâ & accuratâ satis utriusque linguæ Grecæ & Hebraïcæ (quibus libri sacri conscripti sunt) cognitione, alioqui facile erit etiam in plano cespitare, atque ità impingere & pedem offendere, ut turpiter pronus cadas. Secundò, ut deprehenso & certò perspecto sensu verborum grammatico, *Theologicum* planè, plenè, aptè & accommodatè explices atque proponas, ità ut omnia inter se aptè congruant & cohereant cum antecedentibus, consequentibus, mente & scopo Scriptoris sacri, totaque fidei & reliquæ Scripturæ analogia, ut nihil sit dissonum, nihil discrepans aut alienum, nihil frigidum aut dilutum vel insulsum, nihil quod non Spiritus S. (cujus afflatu & veluti dictamine libri sacri sunt conscripti) sapientiam & Majestatem sapiat atque redoleat. Denique quoniam hominum etiam minimè malorum inscitia & imperitia, vel doctorum ἀβλεψία & incogitantia, aut verò Hereticorum fraus & malitia, Scripturæ sacre sensum non rarò affingit falsum, perversum, corruptum

& noxium, vel saltem alienum, minusque congruum, aptúmve, operæ pretium est etiam, summopereque utile, post traditum atque explicatum genuinum & legitimum ejus sensum, falsum & corruptum, aut parùm convenientem & appositum revincere atque refellere, ut sic remoto omni fuco atque pigmentis, quibus error & mendacium hominum fraude solet incrustari, depulsisque omnibus offutiis, quibus interdum oculorum minus perspicacium acies vel perstringitur, vel hebetatur & obscuratur, vel detinetur, veritas in plena luce posita restituta, clarius respiciatur.

Quantum autem in triplici illo genere valeat vir iste doctissimus CAMERO, & quid hîc præstiterit in quamplurimis Scripturæ locis explicandis, illustrandis & vindicandis, tibi, benigne Lector, judicandum ex hujus libelli lectione relinquo; sat scio doctis & cordatis viris, iisdemque candidi & aperti pectoris, visum iri CAMERONEM hac maximè in parte excellere, aliosque multos prævertere atque superare.

Porrò locorum quæ hîc tractantur nonnulla sunt quæ prolixè & fusè præ alijs explicantur, vel quia sunt momentosa, & eorum materia atque argumentum id veluti poscebat atque exigebat, vel quia ipse ea susceperat planiùs tractanda. Alia sunt longè plura breviùs & contractiùs multò, attamen plenè satis & aptè exposita, quia ea obiter tantùm, & ex occasione (ut pleraque omnia) prout illa sese dabat, explicuit, quasi aliud agendo. Alia denique sunt leviter tantùm quasi perstricta, sed ita tamen ut & in istis ingenium ejus & sagacem industriam, atque felicem ἀγχίνοιαν, in indagando & assequendo vero Scripturæ sensu, nihilominus deprehendere possis. Qua in re si à vulgaribus Scripturæ Commentatoribus non rarò discedit, non est quod offendaris, si enim judicium adhibeas non lævum, neque leve, sed & æquum & grave, videbis non frustrà, aut temerè ab eo id factum esse, sed concinniorem & aptiorem multò videri illius quàm cæterorum interpretationem.

INDEX

INDEX

Locorum Sanctæ Scripturæ qui passim in hoc opere citantur, explicantur, & illustrantur.

&

Primùm quidem in CAM. *MYROTHECIO.*

a

INDEX.

INDEX.

24.

INDEX.

ACTA APOSTOLORVM.

EPISTOLA AD ROMANOS.

II. AD

INDEX.

INDEX

Locorum S. Scripturæ qui passim in Notis ALEXANDRI MORI ad quædam loca Novi Fœderis, *&* *in ejusdem* Dissertatione ad Matth. cap. XXIV. ℣. *28.* *explicantur, & illustrantur.*

II. CHRON.

INDEX

INDEX

Locorum S. Scripturæ qui passim in ALEXANDRI MORI Axiomatibus Theologicis *explicantur, & illustrantur.*

GENESIS.

EXODVS.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

9.

AD COLLOSS.

II. AD THESSALONIC.

I. AD TIMOTHEVM.

II. AD TIMOTHEVM.

AD TITVM.

AD PHILEMON.

AD HEBRÆOS.

EPIST. IACOBI.

INDEX.

ERRATA.

ERRATA in Ioan. Cameronis Myrothecio.

Pagina.	*Lin.*	*Lege.*
12.	*Marc.* 17.	*l* Marc. 7.
23.	4. *Rom.* 4.	*l* Rom. 14.
60.	39. *sed*	*l.* seu.
72.	9 *cap.* 4.	*l.* cap 5.
79.	33. *ad idoneum.*	*l.* ad id idoneum.
98.	21. 110.	*l.* 110. 1.
100.	1. 1. 227.	*l.* 1. Reg 2. 27.
104.	*lin. ult.* λόγον.	*l.* λέγων.
109.	29. *se.*	*l.* sed.
110.	35. *ex.*	*l.* sed.
120.	15. 19.	*l* 9.
133.	24.	*l.* In Ioh. cap. XIV. ℣. 16.
185.	32. *si.*	*l.* sic.
187.	26. 2. ℣. 7.	*l.* 2. Cor. cap. V. ℣. 7.
195.	10. *cap.* 19.	*l.* cap. 2. 19.
262.	20. *Matth.* 15. 32.	*l.* Matth. 15 38.
285.	33. *Eph.* ℣. 14.	*l.* Eph. v. ℣. 14.

ERRATA in Notis ALEXANDRI MORI ad quædam loca Novi Fœderis.

Pag.	*Lin.*	*Lege.*
365.	13. ὡ' ι	*l.* ὡς.
413.	4. *Curiositatis.*	*l.* curiositati.

ERRATA quæ in ejusdem Axiom. Theolog. *occurrunt.*

Pag.	*Lin.*	*Lege.*
421.	23. *Ioh.* 7. ℣. 5.	*l.* ℣ 37. 38.
426.	4. *cap.* 2.	*l.* cap. 1.
427.	29. ℣. 11.	*l.* ℣. 1.
453.	2. *pronuntiationis.*	*l.* pronuntiantis.
462.	35. ℣. 40.	*l.* ℣. 10.
472.	6. *Act.* 13. ℣. 14.	*l.* Act. 13. ℣. 47.
477.	3. ℣ 32.	*l.* ℣ 36.
492.	19. *Act cap.* 17. ℣. 39.	*l.* Act. cap. 17. ℣. 32.
495.	34. *Eph.* 3. 11. & 8.	*l.* Eph. 3. 2. & 8.
509.	20 הבה.	*l.* הבא.
522.	1. ℣ 39.	*l.* ℣. 29.
528.	34. *Esai* 9. ℣. 21.	*l.* Esai. 9. ℣. 1.
534.	19. *Apoc.* 12. 19.	*l.* Apoc. 12. ℣. 9.
539	5. *cap.* 11. 4.	*l.* cap. 11. ℣. 5.
Ibid.	9 *Matth.* 17. 2.	*l.* Matth. 17. 11.
544.	16. *Heb.* 9. 8.	*l.* Heb. 8. 9.

JOH. CAMERONIS




IOH. CAMERONIS MYROTHECIUM EVANGELICUM.

Sive

LOCORUM NOVI TESTAMENTI quamplurimorum doctæ EXPLICATIONES, vel in ea NOTÆ accuratæ.

Pars prima in Evangelia,
Ac primò, in Evangelium secundùm MATTHÆUM.

IN CAPUT PRIMUM. ℣. 11.



EΠI μετοικεσίας.] Videtur esse Enallage præpositionis ἐπὶ pro ἐκ (frequentissimæ enim sunt præpositionum inter se mutuæ μεταλλαγαὶ) unà cum Ellipsi articuli τῆς, ut ἐπὶ μετοικεσίας sit pro τῆς ἐκ μετοικεσίας; Hebraicè אשר מהגלות hoc est, *qui fuerunt inter eos qui Babylonem abducti sunt captivi*: Nam μετοικεσία גלות propriè *ipsam multitudinem hominum deportatam*, non verò *transportandi actum*, aut *transportationis tempus* significat.

℣. 19. δίκαιος ὢν.] Phrasis est hebraica, צדיק nempe illis idem est quod חסיד ἐλεήμων, quomodo & צדקה passim ἐλεημοσύνην significat. Non hîc ergo significatur Iosephi justitia commutativa, aut distributiva, sed

probitas, benignitas, clementia, & animi mansuetudo.

Ibid. παραδειγματίσαι.) Sic voluit exprimere Rabbinicum פרסם quod propriè significat *propalare, evulgare, publicare*, Galli dicunt *échaffauder*, unde מוסר בפרסם est *castigatio publica* παραδειγματισμός. Etsi autem παραδειγματίζεσθαι, apud prophanos Scriptores corporis pœnam, non modò infamiam notat, tamen non quamvis corporis pœnam, sed eam quam sequebatur infamia, significat. Designat itaque primò & per se (ut loquuntur) *infamiam*, secundò *pœnam corporis* notat, in Novo Testamento verò *infamiam* & *contemptum* : id quod colligi potest ex collatione cap. 6. ℣. 6 & cap. 10. ℣. 29. Epistolæ ad Hebræos, nam quod altero loco est παραδειγματίζειν, altero est ἐνυβρίζειν.

Ἀπολῦσαι αὐτὴν.] Phrasis est non Græca, sed Hebraica, nam Græcis ἀπολῦσαι significat *volentem abire* (cùm posses jure tuo retinere) *dimittere* : At hîc significat *volentem manere à se amandare*, respondétque Hebræo גרש quod Psal. 34. 1. à LXX. Inteterpr. redditur ἀπολῦσαι, quo loco, ut & hîc, videtur significare *amicè & benignè monere aliquem ut abscedat*, non autem *eum contumeliosè & vi quadam ejicere*, quod alibi & propriè significat גרש unde & à LXX. redditur ἐκβάλλειν Gen. 21. 10. Iosephus igitur cùm *vir esset justus*, h. e. mitis & clemens, ac propterea *nollet eam παραδειγματίσαι* h. e non (ut quidam existimant) supplicio ignominioso & extremo afficere, sed *traducere* (Galli dicunt *diffamer*) propalando & evulgando illud quod suspicabatur virginis vitium quod necesse fuisset si testibus adhibitis (ut moris erat) libellum repudij ei tradidisset, *voluit eam clam dimittere*, h. e. nullis advocatis testibus, ut in legitima fiebat dimissione. At sunt qui existimant non id licuisse Iosepho si constitisset contractam fuisse noxam (quam Iosephus suspicabatur) post sponsalia. Vt sic sentiant adducuntur eo quod Deus adulterium non vult tolerari : itaque (ut Iosephi factum tueantur) aiunt Iosephum suspicatum esse (ut sunt bonorum virorum suspiciones proniores in clementiorem partem) beatam Virginem gravidam ex conceptu qui sponsalia præcesserit. Sed cùm Evangelista rem simpliciter narret, neque justitiæ Iosephi tribuerit quod hoc fuerit suspicatus, sed quod clam dimittere voluerit Mariam Virginem, nihil opus est ut eo confugiamus. Item, aliud Magistratûs, aliud subditorum, seu privatorum in Republica officium est, nec verò subditi & privati tenentur (nisi quum grave aliquod periculum metuendum est) quorum criminum soli conscij sunt ea deferre, præsertim verò in eo genere : at Magistratûs diversa conditio est, cæterùm Iosephus non fuit Magistratus. Quod igitur dicitur Iosephus voluisse clanculum Mariam dimittere, simpliciter accipiendum est, non de eo repudio quod testibus advocatis dabatur, sed de simplici dimissione, & quidem clanculariâ.

℣. 20. ἐν αὐτῇ γεννηθὲν.] Enallage pro ἐξ αὐτῆς (Hebraicè ילד ממנה

nam in Symbolo Apostolico habetur γεννηθέντα ἐκ Μαρίας παρθένου.

Ἐκ πνεύματος, &c.] hoc est, *factum & profectum est totum illud à Spiritu sancto* quomodo accipitur היתה Psal. 118 23. ——- היתה זאת מאת יהוה *à Domino factum seu profectum est totum illud*: Ita hîc ἐκ πνεύματος ἁγίου, Hebraicè esset מאת רוח הקדושה היתה

ỷ. 21. καλέσεις τὸ ὄνομα.] Hebraismus est, תקרא את שמו·

Σώσει ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν.] Phrasis est Hebraica יושיע מחטאות·

Αὐτῶν.] Pro αὐτοῦ, refertur enim ad λαὸν, quod est singularis numeri. Sed apud Hebræos nomen collectivum singularis numeri eleganter jungitur verbo vel pronomini pluralis numeri.

ỷ. 2. 5. πρωτότοκον.]Non potuit aliter aptiori voce exprimi Hebraicum בכור, quod χέσιν habet ad antecedentes potiùs quàm ad sequentes, ut בכור is sit cujus nativitatem nullius præcedentis nativitas præcessit (quod Christo propriè competit) non verò is cujus nativitatem aliorum sequentium nativitas subsecuta sit, quod Christo non convenit.

In MATTH. Cap. II. ỷ. 1.

Μάγοι ἀπ᾽ ἀνατολῶν παρεγένοντο.] Hîc ἀπ᾽ ἀνατολῶν jungi debet & construi cùm μάγοι, non verò [ut alij volunt] cum παρεγένοντο, ut μάγοι ἀπ᾽ ἀνατολῶν sint *Sapientes orientales* (celebris nempe Oriens sapientiæ nomine) Phrasi simili isti quæ est Iob. 1. 3. גדול מכל בני קדם. quod LXX. reddiderunt εὐγενὴς τῶν ἀφ᾽ ἡλίου ἀνατολῶν. Μάγοι autem hîc non significatione græca, pro ijs qui magicam artem, nigram & Diabolicam illam exercent, accipitur; sed voci Hebrææ אשפים respondet, à qua Græcum σοφοί.

ỷ. 2. Τὸν ἀστέρα αὐτοῦ.] hoc est, *stella quæ eum designat, notat*: eadem Phrasi qua alibi *Signum filij hominis* dicitur, Matth. 24. 30.

ỷ. 4. γεννᾶται.] hoc est, μέλλει γεννᾶσθαι, quomodo alibi Christus dicit, Ἠλίας μὲν ἔρχεται, hoc est, ἔμελλε ἔρχεσθαι, infrà cap. 17. 11. & σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, hoc est, ὃς ἔμελλε ἔρχεσθαι, infrà cap. 11. 3.

ỷ. 6. ἐν τοῖς ἡγεμόσιν.] In Hebræo apud Michæam est באלפי quod propriè χιλιάδας significat (quomodo LXX. eo loci reddiderunt) vel χιλιαρχίας quomodo sumitur 1. Paralipom. 13. 1. שרי האלפים, hoc est, ἄρχοντας χιλιαρχῶν, ubi LXX. reddiderunt ἀρχόντων καὶ χιλιάρχων, videntur nempe legisse שרים ואלפים: Matthæus autem hoc loco videtur apud Michæam legisse in Hebræo אלופי (quod ἡγεμόνας significat) non verò אלפי, uti hodie legitur, & quomodo legerunt LXX. Interpretes.

ỷ. 7. Ἠκρίβωσε.] Heb. Phrasis, יברוק מהם quod posteà explicatiùs habetur. ỷ. 8. ἀκριβῶς ἐξετάσατε.

ỷ. 10. Ἐχάρησαν, &c.] Phrasis est Hebraica, ——— ישמחו שמחה גדולה מאד·

ỷ. 11. θησαυρούς.] Græca vox θησαυρὸς vel *ipsas opes reconditas*, vel saltem *locum immobilem*, puta ταμιεῖον *penetrale* in quo illæ reconduntur, significat. At hîc non ejusmodi locum significat, sed *arculas* sive *loculos*,

& ut Arab. reddit אועי (quod *vasa* significat, sive ἀγγεῖα Matth. 13. 48. vel ut Syrus מאני Itaque vox θησαυρός hîc respondet Hebraicæ גנזי, quod *qualibet loca ubi reponuntur opes* significat, sive illa sint immobilia, sive moveri & transferri possint.

℣. 12. ἀνακάμψαι.] Est Hebræum לחזור·

℣. 13. Τοῦ ἀπολέσαι αὐτό.] Phrasi Hebraicâ לאבדו·

℣. 16. Ὁρίοις.] Græcum ὅρια *fines* seu *limites ipsos* præcisè significat, non verò *ipsum districtum*, at hîc *districtum*, non *limites* præcisè significat. Itaque Phrasis est Hebraica, בכל גבוליה·

Ibidem Ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω.] Phrasis est Hebraica מבן שני שנים ולמטה

℣. 20. ζητοῦντες τὴν ψυχὴν, &c.] Phrasis Hebraica. דורשי את נפש הנער

℣. 22. ἀντὶ Ἡρῴδου.] Hebræum תחת

Ibid. Εἰς τὰ μέρη γαλιλαίας.] Phrasi Hebraicâ, לקצות, quomodo accipitur Iud. 18. 2. מקצותם *de finibus suis*, quod LXX. reddiderunt ἀπὸ μερῶν αὐτῶν.

In MATTH. Cap. III. ℣. *1.*

ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις.] Hebraismus passim in Veteri Testamento obvius, בימים האלה

℣. 5. Ἱεροσόλυμα καὶ πᾶσα Ἰουδαία.] Phrasis est isti similis, Πέτρος καὶ οἱ Ἀπόστολοι, 1. Cor. 9. 5. ὡς καὶ οἱ λοιποὶ Ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου, καὶ Κηφᾶς. Sic etiam Μαρία σὺν ταῖς γυναιξί. Act. 1. 14. Et apud prophanos Scriptores, ὦ Ζεῦ, καὶ πάντες οἱ θεοί.

℣. 7. Ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν φαρισαίων.] Sunt (& quidem ij viri longè doctissimi) qui Phariseos dictos esse putant quod essent Divinæ Legis Interpretes; nam פרש est *interpretari*. Qui se tuentur primùm authoritate Iudæorum, sunt enim inter Iudæos qui dicant Pharisæos esse nominatos quod essen מפרשים התורה *Legis interpretes*. Et Iosephus lib. 1. de bello Iud. cap. 4. tradit Pharisæos fuisse σύνταγμα τι Ἰουδαίων δοκοῦν εὐσεβέστερον τὸν βίον, καὶ δοκοῦν ἀκριβέστερον τῶν ἄλλων τὸν νόμον ἐξηγεῖσθαι, *ordo quidem Iudæorum qui videbantur reliquis Iudæis sanctiùs vivere, & Legem accuratiùs interpretari*. Quorsum etiam & illud accedit quod in Novo Testamento mentio fit Discipulorum hujus Ordinis hominum, quærunt enim Iudæi cur Christi Discipuli non jejunent, cùm jejunent Ioannis & Pharisæorum Discipuli, Matth. 9. 14. Vnde videtur concludi non absurdè, Pharisæos eosdem esse Doctores & Interpretes Legis. Nec huic sententiæ obstat (inquiunt) quod à doctissimo viro observatum est Pharisæos non dici פורשים, quod dicendum omninò foret, siquidem *Pharisæi* Interpretes sunt. Nam forma Pahul activam habet significationem apud Chaldæos & Syros: Itaque mirum videri non debet si nomen hujus ordinis, etsi juxta rem grammaticam Hebræorum passivam habet significationem, tamen ea ætate qua lingua Hebræa corrupta fuit, & tota penè Chaldaica reddita, Syrâ (inquam) illâ linguâ, cujus usus fuit

Vernaculus inter Iudæos, activam habeat significationem; Sic ילוד *pater*, קטול *homicida*, חטוף *raptor* & hujusmodi sexcenta. Hæ rationes eò permoverunt doctissimum Interp. ut posteriore Novi Testamenti edi-tione sententiam de hujus nominis etymo mutârit. Nam in prioribus editionibus Novi Testamenti, adductus authoritate maximi & incom-parabilis viri Merceri, notaverat Pharisæos non esse dictos ideò quod essent Interpretes divini juris, sed (ut Mercerus autumat) quod essent à reliqua turba segregati. Et, ut fuit candidus & ingenuus, profitetur ultrò Drusij rationibus, viri in hoc genere litterarum doctissimi, se ut sententiam mutaret permotum. Alij sunt, & hi viri docti, qui פרושים dictos putant Pharisæos quod vitæ genere omnium oculis à reliqua turba internoscendi *exponerentur.* Sed ut פרש *expandere* & *explicare* significat *quod erat involutum*, atque *ob oculos illud constituere*, tamen Metaphorica significatione id non significat. Nec eo juvantur quod φαρισαῖοι per σῖγμα unicum scribitur, nam & φαρισσαῖοι antiquitus scriptum est hoc nomen, & ש simplici etiam σῖγμα exprimitur. Sed hæc Etymolo-gia arguta nimis est, & à nemine Veterum observata. Vt illud interim taceamus, non esse verisimile sectam, quam ἀκριβεστάτην Apostolus vocat Act. 26. 5. assumpsisse nomen quo assumpto se exosam reddidis-set. Etenim manifesta est hypocriseos professio, ut quis se eo nomine censeri exigat quod notat animum hypocritæ. Itaque hæc Etymologia & petita longius est, & disconvenit rei. Eorum autem qui Pharisæos di-ctos putant פריצים ἀποκεκομμένους, sententia explosa est meritò à viris do-ctis, idque, si nihil aliud esset, ob insolentiam hujus appellationis. Nam ἀποκεκομμένοι Græcè dicuntur, non *qui se sponte segregarunt*, sed *qui re-cisi sunt;* quamquam & ratio jam allata à viris doctis hanc Etymolo-giam refellit, nam פרץ ἀποκόπτειν sanè significat, at פרש non idem signi-ficat. Sed hoc loco tamen vindicanda est Epiphanij sententia, qui *Pha-risæi* vocem ἀφωρισμένους interpretatur, quod (inquit) φαρὲς Hebraicè fit ἀφορισμὸς, quod Epiphanij dictum reprehenditur injuriâ ut videtur: Cùm enim ἀφορισμὸν dixerit suum illud φαρὲς, non est credibile virum haud planè imperitum linguæ Hebraicæ intellexisse פרץ, quæ vox *rupturam* si-gnificat & *scissionem*, sed est Hebraicum פרש quod æquè facilè Græcis litteris φάρες exprimi potest. Verùm quidem illud est פרש significare צואה *excrementum*, sed hoc fit κατ' εὐφημισμὸν, quia hîc fit separatio & ex-cretio quædam, cæterùm nativa & primigenia vocis significatio est ἀφο-ρισμός. Alij denique (quorum sententiæ nos assentimur) Pharisæos ap-pellatos dicunt quod essent *segregati* instituto vitæ à reliqua turba: At-que in hac sententia sunt Iudæorum doctissimi, qui Pharisæos dictos putant quod essent פרושים מדרכי עולם h. e. *segregati à ratione & con-suetudine vitæ hominum sæculi.* Atque hæc est vera hujus nominis Ety-mologia. Id quod multis argumentis probari potest. Ac inde primùm,

quod Pharisæi dicuntur quidem פרושים: sed ab ijs qui student scribere Hebraicè: (jam Hebraismi hæc est ratio, ut quæ sic terminantur passivam habeant significationem, aut neutram, nunquam apud Hebræos hujus formæ nomina actionem significant, itaque פרושים non sunt *Interpretes Legis*) at verò qui inter scribendum vel æmulantur, vel usurpant Chaldaicas locutiones, illi non jam פרושים sed פרישי potiùs eos vocant, nomina verò hac forma Chaldæis & Syris passivæ sunt significationis, vel neutrius. Secundò, נזיר Onkelos vertit פרישא Genes. 49. 26. nam quo loco Hebraicè dicitur נזיר אחיו illud vertit לגברא פרישא דאחוהי h. e. verbum verbo, *viro Pharisæo*, id est, *separato*, Græcè ἐξαίρετος, Latinè *egregius*, *eximius* diceretur. Denique res ipsa id docet. Nam qui se sanctitatis vitæ nomine commendant, solent itidem profiteri se eximium & singulare quid ut consequantur studere, ut non sit dubitandum quin eadem mens Pharisæis fuerit. Nam arrogasse sibi solis jus interpretandi Legem tam fuisset ab instituto suo alienum, quàm si Iesuitæ hodie sibi arrogarent jus Episcoporum. Iam qui sunt in Ecclesia constituti in aliqua dignitate, ut plurimùm non invident ulli gloriam sanctitatis, tametsi non patiantur (& quidem fortasse non injuriâ) turbari, nisi gravi de causa Ecclesiæ ordinem. Non est igitur credibile Pharisæos. homines astutos & callidos, hanc laudem sibi ut peculiarem arrogasse, quod essent Divinæ Legis Interpretes, quamquam reapse eam sibi vindicarent, quod & Iesuitæ hodie faciunt, cùm erubescant tamen id profiteri. Itaque non valet ea ratio, *Sic fert & poscit forma nominum Chaldaicorum, ut quæ Hebræis formâ Pahul sunt, apud Chaldæos nihilominùs activam habeant significationem*, nusquàm enim occurrit hac significatione פרוש apud Chaldæos, aut eos qui eorum dialecto sunt usi; quin illis Interpretes Scripturæ & Legis est מפרש. Certè ne Hebraicè quidem qui loquuntur solent Interpretes appellare פורשים Verbum quidem פרש semel in Scriptura significat *interpretari*, Levit. 24. 12. לפרש להם *ut exponeret ipsis*, &c. Sed tamen ab eo verbo non solent Rabbini formare פורשים, quin & *Interpretum* & *interpretationis* nomen deducunt à Pihel. Phar. igitur dicuntur *segregati*, non פרושים sed פרישין Porrò nomina hujus formæ duplicem habent significationem, vel enim actionem significant susceptam ab alio, vel significant aliquid inhærens & permanens, ut verbi gratiâ, Latinè nomen hoc *electus* aliquando significat *id quod eligitur*, aliquando significat simpliciter *id quod eximium est & egregium*, ut quum dicimus *aurum electum*. Sic linguâ Hebraica קרוא & בחור quorum alterum *vocatum*, alterum *electum* significat; aliquando participia sunt, quæ notant susceptam actionem aliquam ab alio profectam, aliquando rei ipsius dignitatem notant, & adjectiva sunt. Certè פרישא non est usurpatum à Pharisæis ut participium significans actionem ab alio profectam, sed ut adjectivum, quomodo Chri-

ſius Heb. 7. 26. dicitur κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν. Eſtque id vocabulum non Muneris, ſed Sectæ nomen, nec eos ſignificat, qui certa quædam munia obeunt, ſed quorum vitæ genus & ratio ſingularis eſt. Itaque R. David Kimhi dum exponit Verſ. 7. capitis primi Sophoniæ, quo loco Dominus prænunciat fore ut viſitet Principes, & eos quorum amictus peregrinus eſt, citat veterem gloſſam his verbis ויש מפרשים אנשים שבראים עצמם פרושים וחסידים ולובשים מלבוש נכרי שיכירום במלבושיהם שהם פרושים ודרכיהם רעים h. e. *Sunt qui ſic locum iſtum interpretantur, homines qui ſemetipſos oſtentant tanquam ſi eſſent Phariſæi, i. ſeparati & pij, quique induunt ſe veſtimenti genere peregrino, ſeu* ἀλλοκότῳ, *& quo vulgò nequaquam utitur, ut agnoſcantur ex veſtibus quaſi eſſent* פרושים, h. e. *pij ſeu ſancti, cùm tamen moribus ſint corruptiſſimis.* Cæterùm de etymo hujus nominis vide rurſus infrà ad Act. 26. 5.

Ibid. γεννήματα ἐχιδνῶν.] Videtur reſpicere & alludere ad locum Eſa. 59. 5. ביצי צפעוני בקעו *ova viperarum excluſerunt.*

ỷ. 9. μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς] Phraſis eſt iſti affinis quæ habetur Eſth. 4. 13. אל תדמי בנפשך להמלט

ỷ. 10. Ἐγεῖραι τέκνα.] Hebraiſmus, להקים את זרע לאברהם

Ibid. Εἰς πῦρ βάλλεται.] Simile eſt illi quod eſt Ezech. 15. 4.

ỷ. 11. Πνεύματι καὶ πυρί.] Si Iohannes hac Phraſi hoc voluiſſet *Chriſtus baptizabit vos Spiritu, qui eſt veluti ignis quidam ſpiritualis,* non dixiſſet, πνεύματι καὶ πυρί, ſed πυρὶ καὶ πνεύματι; quomodo Iohan. 3. 5. Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος. Atque ſic apud prophanos etiam authores. Cicero, *Semper conſilia mea togæ ac pacis, non armorum atque belli ſocia fuere:* Non dixit *pacis atque togæ, belli & armorum, ſed togæ ac pacis, armorum & belli.* Sic dici debuerat, *baptizabit vos igni & Spiritu,* non verò *Spiritu & igni.* Itaque reſpexiſſe potiùs videtur Ioannes ad ignem illum qui ſpecie linguarum apparuit ſuper caput Apoſtolorum & fidelium die Pentecoſtes, Actor. 11.

ỷ. 12. Διακαθαριεῖ τὴν ἅλωνα αὐτοῦ.] *Area* nomine communiter intelligitur miſcellanea turba piorum & hypocritarum in Eccleſia viſibili. Sed perperam, mundatio enim non pertinet ad impios & hypocritas bonis permixtos: cùm itaque Area ſit quæ mundetur, ſanè *Area* nomine vel nihil eſt intelligendum, (niſi quod hîc adhibetur illud nomen propter ſimilitudinem, non quidem ullius rei quæ huic nomini reſpondeat, ſed actionis quæ ſequitur hoc nomen, nam in Area fit ventilatio) vel ſi quid eo nomine ſignificetur, electi & fideles ſignificabuntur, qui dicuntur *permundari,* non quod ipſi immundi ſint, (hactenus, inquam, quâ fideles, nam naturâ immundi fuerunt:) ſed quia ſegregantur ab ijs qui immundi ſunt, quomodo triticum purgari dicitur, non quod triticum ſit impurum in ſe, ſed quia permixtum fuit impuro;

duplex enim impuritas est, altera *interna* & inhærens, de qua nulla hîc propriè fit mentio: altera *externa* ab eo quod comitatur, atque extrinsecus accedit, de qua impuritate *mundatio* hoc loco est intelligenda.

℣. 15. Πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην.] Phrasis est illi Hebraicæ affinis, מלא אחרי יהוה, quæ de Caleb usurpatur bis, Deuter. 1.36. & Ios.14.14. qua denotatur plenum Deo exhibitum obsequium. Hoc ergo voluit Christus significare, *Oportet me defungi, non modò legali œconomiâ, sed & tuâ.* Doctrina nempe Ioannis non fuit merè Prephetica, neque etiam merè Evangelica: Itaque obtinuit sub Ioanne novus quidam Ecclesiæ status, quia mutatio doctrinæ mutat statum Ecclesiæ, & doctrina indicat Baptismum; qualis enim fuit doctrina talis fuit & Baptismus. Hinc factum est ut Christus voluerit baptizari Baptismate Iohannis, quia voluit Christus defungi omni œconomiâ. Itaque voluit subjici Legi Cæremoniali, & Politicis Iudæorum Legibus, & Baptismati Ioannis, ita ut nihil sit quod Christus non præstiterit, ut omnis generis peccatores consolationem haberent, eósque sui consortes faceret.

℣. 17. Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου] Videtur respicere atque alludere ad locum qui est Proverb. 8. 30. *Aderam illi veluti nutritius, eramque illi in delicijs, & oblectabam me in eo omni tempore.*

In MATTHÆI Cap. IV. ℣. 1.

Ἀνήχθη.] Hebræum est נשא ut Ezech. 8. 3. ותשא אותי רוח, ubi de translatione Ezechielis Ierosolymam, facta in visione Prophetica, agitur.

℣. 2. Ὁ πειράζων.] Respondet Hebræo מסית, quod de Satana usurpatur 1. Paralip. 21.1. & 2. Sam. 24. 1. ויסת את דויד *incitavit Davidem*, ad numerandum populum. Rabbinis מסית est ille qui alium ad Idololatriam sollicitat (ex Deuter. 13. 7.) quomodo Diabolus eò etiam hîc Christum sollicitat.

Εἰπὲ.] Hoc est, *Iube, præcipe*, Phrasi Hebraicâ, אמר enim illis *jubere, præcipere*, sæpè significat, ut Iob 9. 7. האומר לשמש *qui præcipit Soli, & non oritur.*

Λίθοι οὗτοι.] Non est Græcismus (dicendum enim erat οὗτοι λίθοι) sed Hebraismus האבנים האלה

℣. 4. Γέγραπται.] Rabbinicum est כתוב vel נכתב, ab illis passim usurpatum, quum aliquem locum ex Scriptura citant.

℣. 5. Παραλαμβάνει.] Sic Hebræum לקח Genes. 12. 15. ותקח האשה בית פרעה

Ἁγίαν πόλιν.] Titulus est quo Ierusalem designatur apud Prophetas, Esa. 48. 2. *de urbe sancta nuncupati sunt.* Et 1. Paralip. 9. 17. *Omnes Levitæ qui habitarunt in civitate sancta, fuerunt* 284. Inde est quod in antiquis Iudæorum nummis occurrit insculptus titulus ille, *Ierusalem sancta.* Philo etiam in Flaccum vocat eam ἱερόπολιν, καθ' ἣν ἵδρυται ὁ τοῦ ὑψίστου θεοῦ νεὼς ἅγιος.

℣. 7.

ỳ. 7. Πάλιν.] Non est hîc *repetitivum*, neque etiam propriè *oppositivum*, sed simpliciter [ut ita dicam] *additivum*, quomodo Syris תוב, & Rabbinis שוב

ỳ. 8. ὑψηλὸν λίαν.] Hebræum est, גבוה מאד vel etiam גבה עד מאד. Sic & ibidem, βασιλείας κόσμου, ממלכות העולם. item, δόξαν αὐτῶν. את כבודם.

ỳ. 9. Ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃ.] Hebræum est אם תפול ותשתחוה לי ut 2. Sam. 14. 4. & Ruth. 2. 10. & Iob. 1. 20.

ỳ. 10. Ὕπαγε ὀπίσω μου.] Hebræum est סוב אל אחרי quod habetur 2. Reg. 9. 18. 19.

ỳ. 12. παρεδόθη.] Chaldæum est & Rabbinicum נמסר. quod hoc sensu usurpatur in Targum 1. Sam. 26. 23. ubi pro Hebræo סגר Cald. Paraphrastes habet מסר *tradidit Dominus hodie*, &c. videturque desumptum ex Hebræo מסר Numer. 31. 5.

ỳ. 23. κηρύσσων.] Apud Græcos Scriptores non occurrit metaphorica hac significatione, pro *prædicare*, sed propriè tantùm de Præconis voce. At Chaldaicè & Rabbinicè כרז [deformatum à Græco κηρύσσω] metaphoricè usurpatur passim eodem quo hîc & in Evangelijs sensu, vide, Proverb. 1. 21. ubi pro eo quod est in Hebræo בראש הומיות תקרא *in capite tumultuantis turba clamat*, Targum habet בריש ברתא מכרזא hoc est ἐν ἀκροπόλει κηρύσσει.

Βασιλείας.] Κατ' ἐξοχὴν hîc ponitur pro Messiæ regno, quomodo Daniel 2. 44.

ỳ. 24. Προσήνεγκαν αὐτῷ.] Hebræum est הקריבו לו

In MATTHÆI Cap. V. ỳ. 2.

Ἀνοίξας τὸ στόμα.] Quando agitur de re magna usurpatur hæc Phrasis, ut Psal. 78. 2. *Aperiam in parabolis os meum.*

ỳ. 11. Πᾶν πονηρὸν ῥῆμα.] Hebraismus, כל דבר רע Sic Psal. 64. 6. דבר רע. & ỳ. 4. דבר מר *verbum amarum*, usurpantur pro convitijs & calumnijs, isticque describitur eorum status de quibus agit hic Christus.

ỳ. 14. Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου.] Pontificij perinde id dictum interpretantur ac si Apostolis, non quatenus Apostoli, sed quatenus simpliciter Discipuli sunt, dictum foret, indidemque concludunt, Ecclesiam Dei semper esse adspectabilem, non modò fidei oculis, qui animæ sunt oculi, sed etiam corporis oculis. Absurdè, hoc enim dictum est Apostolis quatenus Apostoli fuerunt; Apostolici autem muneris ea ratio fuit, ut cùm missi essent ad prædicandum toto orbe Evangelium, neque eorum doctrina, neque vita debuerit, aut potuerit esse clancularia: Imò illis præscriptum fuerat à Christo, ut quæ audierant clam, ea publicitus efferrent. Id verò non incumbit semper agendum omnibus Christianis ubique, ne ijs quidem qui aliorum sunt doctores; quod vel ipsi Iesuitæ fatentur: nihil enim est quod non conentur ut lateant, ijs

in locis in quibus ſine certa pernicie in publico verſari nequeunt.

℣. 17. Καταλῦσαι.] Heb. לבטל, idem quod καταργῆσαι. Nam LXX. בטל reddunt ἤργησαν Eccleſ. 12. 3. & Eſdr. 5. 1.

℣. 22. Εἰκῆ.] Heb. חנם, hoc eſt, *ſine cauſa*, quod & alias δωρεὰν dicitur.

Ibid. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν.] Sic loqui ſolent Rabbini, ואני אומר quum alicujus ſententiam corrigunt, vel refellunt, aut in eam aliquid annotant.

℣. 48. Ἔσεσθε οὖν τέλειοι.] Conſequens hîc ponitur pro Antecedente. Nam *perfectio* eo loco patientiam ſignificat: Non enim nos jubet Chriſtus imitari excellentiam naturæ Dei, tantùm hortatur ut ejus patientiam imitemur: quoniam verò patientia eſt documentum animi exercitatiſſimi in pietate ideò *perfectio* dicitur, & metaphorâ hinc ductâ ei tribuitur. Eſt ſanè quoddam rudimentum veræ pietatis *amare à quibus ameris*, at eos amare qui te odio habent, id verò eſt documentum animi defuncti omnibus officijs veræ pietatis. Hinc eſt quod *qui ſunt patientes* τέλειοι à Chriſto dicantur.

In MATTH. Cap. VI. Verſ. 29.

Οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ.] *Gloria* hîc eſt ſplendor, ſeu pulchritudinis magnitudo. Sic Act. 22. 11. Paulus ait *oculos ſuos perſtrictos fuiſſe* ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς, hoc eſt, *à lucis magnitudine*: porrò magnitudo lucis ſplendor eſt & fulgor, nam lux mediocris non dicitur *ſplendor*. Et ſanè Hebræum כבוד & Chaldæum יקר *ſplendorem* & *gloriam* ſignificant. Gloria nempe non animo modò ſed & corpori tribuitur, atque tum pulchritudinem ſignificat, ut quum Eſai. 35. 2. dicitur *gloria Libani*, ſequitur enim continuò, *& decor Carmeli*: *gloria* igitur & *decor* idem ſunt. Cùm autem pulchritudo corporis *gloria* dicitur, non intelligitur quævis corporis pulchritudo, ſed ea quæ dignitatem habet & majeſtatem. Eâ ſignificatione 1. Cor. 15. 40. dicitur *alia eſſe gloria corporum cœleſtium, alia gloria corporum terreſtrium*, hoc eſt, alia pulchritudo. Item *alia Lunæ & Solis gloria eſt, alia Aſtrorum*, ubi *gloria* lucem, ſplendorem & fulgorem ſignificat.

In MATTH. Cap. X. ℣. 11.

Ἐξετάσατε τίς ἐν αὐτῇ ἄξιος.] Hinc Novatores concludunt, rationem diſcriminis cur hic potiùs vocetur quàm ille, eſſe in ipſis hominibus: quis enim (inquiunt) neget diſcriminandos eſſe *protervos & ſceleratos homines*, de quibus Apoſtolus 2. Theſſal. 3. 2. itémque Act. 13. 46. *contradicentes & blaſphemantes*, ab ijs quos Chriſtus hîc vocat *dignos* ἀξίους *filios pacis*. Verùm hic locus non eò ſpectat ut ſignificetur qui illi ſint, quibus ſolis Deus lucem Evangelij impertit, ſed quibus majorem impertit lucem: agitur enim eo loco de Iudæis, inter quos multi erant pij, ſed quibus indulgenda major lux fuit exhibito Meſſia. Agitur hîc igitur non de diſcrimine inter vocandos hos, & illos non vocan-

dos, efficaciter inquam, ſed de diſcrimine inter jam vocatos & quoſdam è non vocandis. Noluit enim Diſcipulos ſuos adhuc rudes Chriſtus periculis exponere: itaque jubet eos ſedulò inquirere qui ſint *pij* & *viri boni.* Quod ſi objiciatur, *dignos* illos à Chriſto ibidem dici *oves perditas.* Reſp. Neminem rectiùs *ovem perditam* dici poſſe quàm peccatorem ſuſpirantem & implorantem miſericordiam; neque enim pius ullus negabit ſe eſſe ovem perditam, non negabit tamen ſe eſſe converſum, neque negaverit pariter opus ſibi eſſe ut in dies magis magiſque convertatur. Sanè agnoverat ſe ovem perditam qui dixit, *Erravi ſicut ovis perdita, quære ſervum tuum,* &c. Pſal. 119. ✠. ult. & ille qui dixit, *Converte me Domine, & ego convertar*, cùm tamen ea vox ſit hominis jam converſi quodammodo, ſed incrementum pietatis & confirmationem à Deo petentis. Et quamvis fides non detur jam habenti, habenti tamen fidem dari poteſt fidei incrementum. Itaque iſti *digni* fideles quidem fuerunt, ſed quorum fides præconio Apoſtolorum mirificè fuit augenda.

In MATT. Cap. XI. ✠. 11.

Οὐκ ἐγήγερται ἐν γεννητοῖς γυναικῶν.] Officium Iohannis Baptiſtæ fuit parare viam Domino, hoc autem obſtabat quominùs via eſſet parata; nempe ignorantia Evangelij, quæ partim affectata fuit vitio ſæculi, partim ſimplex ob obſcuritatem Prophetiarum. Et vitium quidem ſæculi debuit Ioannes expugnare *in ſpiritu Eliæ*, qui ſpiritus fuit terrificus & minax: Itaque Ioannis conciones ſunt minaces & terrificæ; unde etiam vocatur *concionator pœnitentiæ* Marc. 1. 4. cujus ſymbola erant victus & amictus, & locus ipſe in quo prædicabat, nempe deſertum. Debuit autem afferre novam lucem, atque ita ſimplicem ignorantiam ortam ex obſcuritate vaticiniorum tollere, juxta vaticinium Zachariæ patris de eo, *Tu autem puerule, Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, ut pares viam ejus, & des cognitionem ſalutis populo ejus per remiſſionem peccatorum:* ubi tota Euangelij doctrina eſt propoſita. Tamen doctrina Iohannis non fuit perfecta, quia hæc omnia faciebat ut excitaret deſiderium adventus Meſſiæ: itaque in concionibus ſuis ſemper ablegat ad Meſſiam Doctrina itaque illius neque fuit (quoad circumſtantias) doctrina Legis & Prophetarum (quanquam ſubſtantiâ eadem fuit) neque fuit doctrina illa quam Chriſtus & Apoſtoli annuntiarunt, ſed medium quid, ut docet ipſe Chriſtus Luc. 16. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Iohannem, ab eo tempore regnum cælorum evangelizatur.* Itaque dicitur hîc ſummus *Prophetarum*, *& tamen minimus in regno cælorum dicitur eo eſſe major.* Summus quidem omnium Prophetarum, quia Chriſtum vidit, & oſtendit digito, dicens, *Hic eſt agnus Dei qui tollit peccata mundi:* Minimus tamen in regno cælorum dicitur eo eſſe major, quia non potuit Chriſtum mortuum, & à mortuis

ſuſcitatum, & in cœlum evectum prædicare, quod fecerunt Apoſtoli & quotquot eos ſecuti ſunt Eccleſiæ doctores.

℣. 12. *βιάζεται.*] Regnum cœlorum *vim pati* hoc loco dicitur, quod prædicatione Ioannis Baptiſtæ excitatum ſit vehementiſſimum deſiderium illius regni, quod antea languidum fuit. Idem ergo eſt ac ſi dixiſſet, *A diebus Iohannis Baptiſta ſunt qui adeò ardent regni cœlorum deſiderio ut non patienter ferant expectationem:* quomodo etiam decet nos vim inferre regno illi futuro quod expectamus in cœlis. Regnum itaque cœlorum hîc non tanquam præſens, ſed tanquam mox futurum venit intelligendum, nempe poſt Chriſti aſcenſum in cœlum, & Spiritus ſancti miſſionem in Apoſtolos; tum enim propriè cœpit *regnum cœlorum*, hoc eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatus atque conſtitutio.

℣. 21. *εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι.*] Hyperbole eſt, cujus ſententia ſimplex hæc eſt, *Tyrios & Sidonios multò minùs graviter peccaſſe quàm Chorazaitas & Bethſaïditas, itaque fore ut minùs graviter plectantur.* Nam quod nonnulli aiunt, Deum prævidiſſe aſſenſum futurum Tyriorum & Sidoniorum modò illa ſigna patrata fuiſſent inter cos, longè diſcedunt à Chriſti ſcopo, qui hoc tantùm vult eo loco demonſtrare, *Chorazaitas & Bethſaïditas peſſimos fuiſſe.* Etenim quis eſt adeò impudens, ut ſi Tyrij & Sidonij erant aſſenſuri miraculis quibus miſeri incolæ Chorazin & Bethſaïda non fuerunt commoti, tribuere velit hoc externo objecto, non efficaciæ & energiæ Spiritus aperientis cor, id eſt, mentem, ut videat quid illa miracula & quantum portendant, *Paulus* enim *plantat, Apollos rigat,* prædicat uterque & miracula edit, *Deus tamen eſt qui dat incrementum,* id eſt, qui efficit ut utriuſque prędicationi & miraculis aſſenſus præbeatur. Deinde verò etiam, non [quod illi volunt] ſic vindicatur juſtitia Dei, ne ex hypotheſi quidem ipſorum, ſic enim ſtatuitur Deus negaſſe objecta externa, quibus excitari potuiſſet conſenſus in nobis, quod eſt affine blaſphemiæ. Nam ſi tales ſumus ut objecto externo aſſentiamur ſi objiciatur, eſt in nobis bonitas quædam, quæ quod ſe non prodidit, id profectum eſt non ex ſubjecti culpa, ſed ex objecti defectu.

℣. 25. *ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις.*] *νήπια*, ſeu *infantilis ætas* hac voce hîc notata ſignificat illam animi imbecillitatem quæ eſt imperitia rerum humanarum, quæ non deputatur in vitio. Atque huc reſpexit Apoſtolus 1.Cor.1.26. *Videte vocationem veſtram, vos videlicet non eſſe multos ſapientes ſecundùm carnem, multos potentes, multos nobiles.* Sunt tamen qui intelligi volunt hac voce *νήπια* eos qui præditi ſunt ea humilitate quæ virtus eſt, ut eludant argumentum quod ex eo loco ſumitur ad aſſerendam Dei libertatem in horum vocatione ad ſalutem, quorum gloſſema refelli poteſt his argumentis. Primò. Gratia Chriſti non invenit humiles ſed facit, hæc eſt & fuit ſemper Eccleſiæ vox. Deinde,

non agitur hoc loco de incremento agnitionis Christi, quod nos fatemur præcedere humilitatem; sed de primo agnitionis Christi initio seu momento: nam inquit Christus hoc loco, *Nemo novit Patrem nisi filius, & is cui voluerit filius revelare.* Tertiò, Quum Christus hîc reddit rationem cur Pater se voluerit potiùs his quàm illis revelare, non aliam adfert quàm Patris *εὐδοκίαν*: At non erat opus recurrere ad *εὐδοκίαν*, si causa quæ Patrem incitat ut se potiùs conspicuum exhibeat his quàm illis, posita est in istorum humilitate, & illorum superbiâ. Certè non est res quæ possit hominis animum rapere in admirationem, cujus ratio alia præter Dei voluntatem reddi potest. Hoc illud est quod solet humana ratio mirari, cur Deus abjectis se revelet, Magnates autem prętermittat: at cur se potiùs mansuetis quàm superbis revelet non miratur ratio. Denique, *non vos me elegistis* [inquit Christus] *sed ego vos elegi,* Ioh. 15. 16. Discipuli de Christo ne cogitabant quidem, & ideò Christus eos elegit quod essent viles & contempti in sæculo: nam placet Deo hominum superbiam conculcare. Itaque & Beata Virgo [Luc 1 48.] ait, *Respexit Deus τὴν ταπείνωσιν*, hoc est, *humilem conditionem ancillæ suæ.*

℣. 28. Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες] Compellat Christus eos qui sub Lege anhelabant, & ex Legis operibus salutem & justitiam consequi satagebant: *Iustitiarios* uno verbo, qui operosam illam Pharisæorum justitiam sectabantur, quorum φορτίοις alibi memoratis Evangelium hîc opponit.

In MATTH. Cap. XII. ℣. 8.

Κύριος γάρ ἐστι καὶ τοῦ σαββάτου, &c.] Constat *Sabbathum* synecdochicè significare totam legem Cæremonialem, nihil enim in ea æquè commendat Deus atque Sabbathi observationem. Vnde liquet Christum non fuisse obnoxium Legi Cęremoniali, nisi quatenus voluit seipsum illi subjicere. Nec est quod quis excipiat, Christum fuisse Dominum Sabbathi quatenus erat Deus, non quatenus erat homo. Nam primò, Si Christus est Dominus Sabbathi quâ Deus, certè quâ homo nulla necessitate cogi potuit ad observationem Sabbathi, quia potuit solvi hâc necessitate quâ homo, vi Dominij quod obtinebat quâ Deus. Et certè si Christus, quâ Deus, potuit alios eximere hâc necessitate, multò magis semetipsum, quâ homo est. Atqui alios solvit, nempe Discipulos suos, quorum factum hîc tuetur. Non negat enim eos solvisse Sabbathum, sed tuetur potuisse eos solvere Sabbathum; quod ostendit duabus rationibus: prior hęc est, in summa necessitate Sabbathum solvi potest, quod probat exemplo Davidis: secunda hæc est, Sacerdotes prophanant Sabbathum in Templo, mactant enim hostias, sed hoc illis licet, quia fit in Templo, jam verò hîc adest aliquis major Templo, qui proinde potest solvere & se, & suos, necessitate observandi Sabbathi.

ψ. 31. ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία.] Alloquitur Dominus Pharisæos qui Patris œconomiam, quæ ante Christi adventum vigebat, insuper habuerant, suam item blasphemantes spreverant. Ait ergo, licèt œconomias illas, quandiu duravere, contempserint, esse tamen spem veniæ sub tertia, quæ Spiritui sancto tribuitur. Sancti verò Spiritus œconomiam si prosequantur odio, sublatam esse omnem veniæ spem, quia quarta œconomia minimè expectari debet.

In MATTH. Cap. XIII. ψ. 12.

ὅστις γὰρ ἔχει δοθήσεται αὐτῷ.] Proverbialis est locutio, quâ hoc voluit Christus significare, *Eos qui magni faciunt dona Dei locupletari novis donis, contemptores autem oblata gratia privari illo lumine quod illis affulserat.* At Christus eo loco tamen non dicit quod dicunt nonnulli, non abuti Dei donis à nobis esse, perinde atque à nobis est quod ijs abutimur: tantùm ostendit Christus, quâ ratione Deus agat cum suis: nempe dat illis specimen bonitatis suæ, & veluti γεῦμα, sed quo facit ut illi tantò ardentiùs sitiant argumentum gratiæ, cùm reliquorum corda non perinde afficiat. Quod qui negat, necesse est improbior sit illo Pharisæo, qui, verbo tenus saltem, professus est se debere Deo quod non esset sicut iste Publicanus, nempe coactus est profiteri, non modò Dei munus esse quod boni simus absolutè, sed quod boni simus comparatè.

ψ. 29. ὁ δὲ ἔφη, οὔ. μήποτε συλλέγοντες, &c.] Anabaptistæ hinc colligunt, non esse fas Magistratui animadvertere in homines sceleratos, quod est præter Christi scopum, (ut & illi ipsi reipsa & factis agnoscunt, nam utuntur excommunicatione, & quidem dirissima) cùm in redditione Parabolæ Christus meminerit tantùm providentiæ Dei, quâ fit ut improbi in hac vita floreant, pœnas aliquando daturi. Sed illis hominibus solemne est τὸ *formale* Parabolarum Christi negligere, & τὸ *materiale* urgere, non animadvertentes Parabolis Christi utendum esse tanquam pictâ tabellâ, nempe ut ne putemus quicquid pingitur id habere significationem, sed certum quid duntaxat, quod ut pingatur reliqua pingi necesse est. Ita ut reprehendenda videatur illa nonnullorum anxietas & sollicitudo, qui in parabolis Christi omnia student ad vivum resecare, quod est non interpretari, sed vexare & torquere parabolam.

In MATTH. Cap. XV. ψ. 2.

τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων.] Præter Legem scriptam erat à Pharisæis commendata doctrina quædam quàm diversis nominibus appellabant, nam & dicebatur παράδοσις, *Traditio*, מסורה & קבלה, διαδοχὴ, & שמעתא, ἀκοὴ, *auditio*. Item δευτέρωσις משנה, ad verbum *duplicatio*, δευτερούμενον. Παράδοσιν autem vocabant doctrinam suam, quod esset, ut ait Iosephus, ἐκ πατέρων διαδοχῆς. Vnde & percipi potest ratio cur eadem קבלה *Cabbala* sit vocata, nam מסורה, *traditio*, παράδοσις, & קבלה

διαδοχὴ sunt (ut loquuntur in Scholis) correlata: itaque מסורה refertur ad קבלה, & vicissim, ut sit eadem hîc ratio quæ est in dando & accipiendo. Observandum est autem, Traditiones istas non scriptas Pharisæorum nunquam in Novo Testamento dici simpliciter *Traditiones*, sed notari semper aliquo elogio, ut quum dicuntur *Traditiones Seniorum*, *traditiones humanæ*, *traditiones vestræ*, si quando Christus compellat Pharisæos, nunquam verò simpliciter & absolutè vocantur *Traditiones*. Quin si quando *Traditionis* vox ponitur simpliciter, nulla cum adjectione, sumitur in bonam partem. Nam & ipsum Dei verbum *Traditio* est. Nam quæcumque traduntur ab alio cognoscenda, quocumque modo tradantur, *Traditiones* dici possunt; deinde si cognoscuntur, hactenus *accipi* eadem dicuntur. Hoc igitur teneamus, παράδοσις מסורה διαδοχὴ קבלה, non ponuntur in vitio; at מסורה & קבלה, quoties aliquid adjicitur, sanè in vitio ponuntur, significant enim mendacium, hoc est, nihil est eorum quæ vocabula significant. Etenim Traditionem oportet fluxisse ἀπ' ἀρχῆς *à principio*, & *Acceptionem*, itidem: *Ego* (inquit Paulus 1. Cor. 11. 23.) *accepi à Domino quod & tradidi vobis*. Itaque prudenter Paulus, cùm se diceret ζηλωτὴν παραδόσεων, adjecit πατρικῶν. Christus istas Traditiones Pharisaicas unico verbo perstrinxit, eas enim vocat, ex Esaia, ἐντάλματα ἀνθρώπων, *Traditiones humanas*, & Paulus Coloss. 2. 22. ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων. Vocantur etiam Traditiones שמעתא ἀκοὴ *auditus*, Hebraicè שמועה, quæ vox in Scriptura non ponitur in vitio, extat enim Esai. 53. 1. *quis credidit* לשמו עתנו *auditui nostro?* Et Galat. 3. 2. *numquid accepistis Spiritum ex operibus Legis, an verò* ἐξ ἀκοῆς πίστεως *ex auditione fidei?* Denique, Traditio משנה vocatur, sive מתנית δευτέρωσις, & תנאים δευτερωταὶ sunt; nam illud ת pro ש ponitur, prout Chaldaismus exigit. Correlatum hujus est תלמוד, nam quod ratione Doctorum dicitur משנה, id ipsum ratione Discipulorum dicitur תלמוד, *doctrina, disciplina*. Hoc igitur fuit primum Pharisæorum dogma, quod *negarunt omnia quæ spectant ad religionem scripta esse*, id quod Iosephus disertis verbis notavit lib. 13. Antiq. cap. 14. verba ejus sunt, νόμιμα πολλὰ παρέδοσαν τῷ δήμῳ ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται. Itaque docebant duplicem esse Legem, nempe שבכתב & שבעל פה *oralem* & *scriptam* ἔγγραφον & ἄγραφον; nempe Scripturam docebant esse minùs perfectam, & minùs perspicuam. Vnde ortum duplex משניות *Traditionum* genus. Vnum earum quæ aliquid, per occasionem interpretandi Scripturam, adjiciebant Scripturæ, ut solet fieri. Alterum genus earum quas ex abdito quodam & mystico sensu Scripturæ eruebant, quod est & Pontificiorum hodiernorum dogma. Porrò Christus hoc illis objicit, quod in utroque genere peccarent.

℣. 5. δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς.] Quærunt viri docti quæ sit horum

verborum ſententia. Et ſunt hac ſuper re tres inter ſe diſſentientes & diſcrepantes ſententiæ. Prima eorum eſt qui putant his verbis nihil aliud ſignificari quàm *donum & anathema quo Pater juvetur*, hoc eſt, patri utile eſſe quod à filio donum Deo offertur: itaque filium officio ſatisfeciſſe, etiamſi patrem non juverit opibus quòd donum Deo obtulerit. Sed non videtur hæc interpretatio commoda, maximè quum expendimus particulam *ὃ ἐὰν*, non enim *ὃ ἐὰν* de re certâ dicitur, ſed hypotheſim ſeu conditionem ſatis apertè notat. Secunda interpretatio eſt viri longè ſummi, Ioſephi Scaligeri, qui hunc locum ſic interpretatur, ut, quod attinet ad ſenſum quem inde eruit, non diſcedat à prima interpretatione, tantùm docet Ellipſin eſſe, ut ſit ſenſus, *Donum quod à me profectum eſt, tibique prodeſt, me abſolvit jure quod in me habes.* Cæterùm ait vulgatum eſſe ut quum de formulis citandis agitur, citentur ita ut ſint interciſæ, ut Latinè adjecto *& cætera*. Atque formulam eſſe inde probat, quod inter offerendum, offerentem conceptis verbis uti oportuit, nempe his קרבן הדא יהנה לי ודי לי *Oblatio iſta proſit mihi & meis.* Sed nec interpretatio iſta quadrat, non eſt enim mos Scripturæ *formulas*, *proverbia*, &c. proponere conciſè. Deinde hæc interpretatio ijſdem argumentis refelli poteſt quibus prima, quæ multò mollior videtur. Tertia ſententia eorum eſt qui putant juramentum hoc eſſe, ſive execrationem, qua filius Deo devovet quicquid poſſet à ſe profectum patri prodeſſe. Quam interpretationem (quæ magnum virum Maſium habet authorem) Scaliger fruſtrà conatus eſt refellere. Vnico enim duntaxat hîc nititur argumento, eoque leviſſimo, quod nihil opus fuerit jurantem inducere filium. Nos & hoc adjiciemus, quod videtur ſcelus nimis atrox, neque credibile, ſic nullo obtentu, nulla ſpecie, tam ſplendidè, tamque apertè voluiſſe Phariſæos docere impietatem. Sed Maſium juvat imprimis, quod hæc formula Iudæis uſitata eſt. Iam verò quod Scaliger negat induci debuiſſe filium jurantem, pugnat hoc primùm cum Chriſti ſcopo, Etenim præceſſerunt illa verba, *quicumque maledixerit patri aut matri*, &c. Reprehendit igitur Iudæos quod Miſnâ ſuâ ſic illum locum interpretarentur, aut corrumperent potiùs, ut dicerent, *Non eſſe numerandum inter maledicta & probra jacta in Patrem, ſi quis ſic excipiat, ut rogatus reſpondeat, δῶρον*, &c. Deinde, pugnat etiam cum rei veritate, nihil enim magis ſolemne eſt & conſuetum, quàm ut filius rebellis & contumax ſic patrem rejiciat ut execretur interim, non quidem patrem fortaſſe, ſed vel ſemetipſum vel aliud quid. Illud verò quod unum videtur pondus aliquod habere, nempe *Carere omni ſpecie quod docebant, filium, ſi execretur, non maledixiſſe patri*, non eſt uſque adeò momentoſum: Etenim hæc execratio conſecratio fuit & votum, ſed votum quo filius ſeſe obſtringebat nulla pietate erga Deum, ſed iniquo & ingrato

ingrato erga patrem animo: qua in re duobus modis peccabatur: ac primùm quidem in eo quod patri non tribuebatur honos, (porrò ex Phrasi Scripturæ, patri laboranti inopiâ succurrere est *patrem honorare*, quomodo Paulus jubet *honorari viduas*, & Presbyteros qui benè præsunt dicit esse *dignos duplici honore*, nam quum ab inferiori merces superiori debita tribuitur, *honorarium* illud est, non est merces:) deinde, quod pater parùm verecunda oratione excipiebatur, nam si par parem sic excipiat, tolerari fortasse id poterit: at si pater sic excipiatur à filio, maledictum est, quamvis si oratio ipsa spectetur, nihilminus est quàm maledictum. Atque hanc esse genuinam hujus loci interpretationem, vel Syri Interpretis authoritate facilè probari potest, sic enim hunc locum interpretatur, קרבני מדם דתהנא מני *donum meum quocumque juvari possis à me*, quæ ipsissima est Iudæorum formula קרבן מה תהנה ממני *res est sancta quicquid à me profectum tibi prodesse possit*. Itaque מדם non fuit ab Interprete Syræ versionis exponendum *id quod*, sed potiùs *quodcumque*. Sed & hæc interpretatio videtur placuisse authori Vulgatæ versionis, *Donum* (vertit) *quodcumque ex me tibi profuerit*. Marc. 7. ubi malè interpungitur, *donum quodcumque ex me tibi profuerit*, nam legenda sunt ista uno spiritu, *quodcumque ex me tibi proderit*, atque interpunctio rejicienda in anteriorem locum, hoc pacto, *Donum, quodcumque ex me tibi proderit*.

℣. 6. καὶ ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν, &c.] Proverb. 1. 25. Sapientia stultis exprobrat consiliorum suorum contemptum his verbis, ותפרעו כל עצתי L X X. Interp. sic verterunt, ἀκύρους ποιεῖτε τὰς βουλὰς μου. Chaldæus verò Paraphr. vocem תפרעון quod est *otiosum redditis & inutile*, ἄκυρον, vertit שניתון, hoc est, *mutastis*, nam *mutare* & *abolere*, quum de mandatis Dei agitur, eódem redeunt. Itaque Act. 6. 14. καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον, καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ὁ Μωσῆς, *destruet hunc locum, & mutabit consuetudines quas tradidit Moses*, Hebraicè ישנה משפטים *mutabit*, hoc est, abolebit. Sic ἀκυροῦν & ἀλλάξαι hoc loco eódem redeunt: nempe hoc fuit solemne Pharisæis, non quidem in speciem abolere Legem; sed verba Legis in alienum sensum detorquendo, eam reapse abrogare. Atque hic fuit eorum error perpetuus, quod in Legis interpretatione hærebant in prima verborum significatione; nec reputarunt animo quod monet Paulus, *Legem esse spiritualem*.

In MATTH. Cap. XVI ℣. 14.

Ἄλλοι δὲ Ἠλίαν, ἕτεροι δὲ Ἱερεμίαν, &c.] Sunt viri docti qui hunc locum non existimant aliter posse intelligi nisi dicamus Pharisæos, Iudæorumque vulgus ex Pharisæorum institutione, credidisse cum Pythagoreis animarum μετεμψύχωσιν, nam unde hæc, inquiunt, vulgò de Christo opinio, eum esse Eliam, vel Ieremiam, aut unum è Prophetis, nisi quod (ita à Pharisæis edocti) μετεμψύχωσιν esse credebant.

Sed ſanè fruſtrà illi ſunt. Nam primò ſi Metempſychoſis credita eſt vel à Iudæis vulgò, vel à Chriſti Diſcipulis, contrà quàm illi ſentiunt, non poteſt commodè locus iſte explicari. Nam quî crediderint Iudæi Chriſtum eſſe Ieremiam eo quod anima quæ Ieremiæ corpus aliquando inſedit, corpus Chriſti inſederit? ſic enim non magis Chriſtus Ieremias fuerit quàm is cujus corpus ante, vel poſt Ieremiam anima illa, tot corporum anima, inſederat. Deinde, quidni ſuſpicati fuerint Ieremiam excitatum fuiſſe è mortuis, quòd profectò crediderunt, ut habetur Luc 9. 7. 8. penè diſertis verbis, dicitur enim Herodes Tetrarcha pependiſſe animo, properreà quod à nonnullis diceretur Ioannes excitatus à mortuis, à nonnullis Eliam apparuiſſe, ab alijs denique quendam è veteribus Prophetis reſurrexiſſe. Ergo ideò Dominus creditus eſt Ieremias, quod non videretur creditu abſurdum Ieremiam reſurrexiſſe, nihil ut opus ſit confugere ad Metempſychoſin.

℣, 16. ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος.] Fuerunt olim, & ſunt etiamnum hodie, Hæretici qui negant appellationem *Filij Dei* denotare aliquid eſſentiale Chriſto, eáque ſignificari contendunt munus duntaxat ejus Mediatorium, idque ex hoc loco ſic ſe putant poſſe evincere. Petrus, reliquorum Apoſtolorum veluti nomine hîc confitetur Chriſtum eſſe *Dei vivi Filium.* Vbi eum hac de confeſſione collaudavit & commendavit Chriſtus, mox, ℣ 20. vetat Apoſtolis, ne hoc ipſum, quod per os Petri veluti confeſſi fuerant, ulli edicant, atque evulgent. Quare quod hîc Petrus ſignificavit his verbis, *Tu es Filius Dei vivi*, hoc ipſum alijs, ſed æquipollentibus, videtur Chriſtus ℣. 20. ſignificare, his nempe, *ſe eſſe Chriſtum.* Itaque appellatio illa *Filij Dei vivi* denotat munus Mediatorium, quo functus eſt homo ille Ieſus Chriſtus. Sed primò varijs ex Scripturæ locis probari poteſt appellationem *Filij Dei* ſignificare aliquid Chriſto eſſentiale, hoc eſt, *Naturam*, vel *Perſonam* ejus divinam. Deinde reſpondemus, mutilam hîc ab ijs afferri Petri confeſſionem, non enim tantùm dixit Petrus *Tu es Filius Dei*, ſed, *Tu es Chriſtus, filius Dei vivi.* Nempe, duo fuerunt in Petri confeſſione: unum, *Chriſtum eſſe Meſſiam*: alterum, *eundem eſſe Filium Dei vivi.* Vnde patet illa duo eſſe manifeſtè diſtincta, & diverſa ſignificare, *Chriſtum* & *Dei Filium.* Chriſtus autem ℣. 20. interdicto ſuo ſatis habet vetare Apoſtolis, ne dicant ſe eſſe *Chriſtum Ieſum*, quia id vetando, ſimul eâdem operâ vetat, ne dicant ſe eſſe *Filium Dei:* Non quod *Filius Dei* & *Chriſtus* idem ſignificent; ſed quod quicunque eſt *Chriſtus Ieſus* idem neceſſariò ſit *Filius Dei*; cùm nemo munus Mediatorium exercere queat niſi qui idem Deus ſit Poteſt quidem eſſe Deus abſque hoc officio, at non poteſt eſſe hoc officium abſque Deo.

℣. 18. κἀγὼ.] Vox eſt reponentis, *Ego verò*, ſimilis illi Pſalm. 35. 13.

Et ego cùm ægrotarent, id eſt, *ego verò*. Itaque referri debet ad ea quæ antecedunt, ſed non tamen ad ea quæ proximè & immediatè (illa enim ſunt, *Beatus es Simon Bar-Iona*, quæ cum his Chriſti verbis non cohærent, *ego verò tibi dico*:) ſed ad ea quæ ſunt remotiora, ✠. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*: qua confeſſione complexus erat Petrus ſummatim quæ de munere & perſona Chriſti credi debebant: quocirca Chriſtus hoc reponit, κἀγὼ δέ σοι λέγω, q. d. Tu confeſſus es me eſſe Chriſtum, vide quid tibi pro hac confeſſione reddam: Ego viciſſim tibi dico, *Tu es Petrus*, &c. Tu me indigetaſti *Chriſtum*, ego te *Petrum* nuncupo. Sic Luc. 22. ✠. 28. 29. *Vos autem ų eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*, κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου, τὴν βασιλείαν. Et alibi paſſim, Matth. 21. 24. Marc. 11. 29 Luc. 20. 3.

Ibid. λέγω σοι.] Mirè emphaſim auget quod Chriſtus non ſimpliciter dixit, κἀγὼ λέγω, ſed κἀγὼ δέ σοι λέγω, q. d. *Tu mihi dixiſti, Tu es Chriſtus, & ego verò tibi dico, Tu es Petrus*. Certè illa verborum accumulatio, *& egò verò tibi dico*, otioſa eſſe non poteſt, quin ſubeſſe neceſſe eſt his verbis pondus aliquod, ut Chriſtum ſtatuamus aliquid agere quod ſit ſingulare: alioqui quorſum tam intenta & ſollicita præfatio?

Σὺ εἶ Πέτρος.] Hæc ſunt quæ à Chriſto reponuntur, *Tu es Petrus*, illa autem ſunt ἀντίστοιχα illis Petri, *Tu es Chriſtus*. Itaque, quemadmodum *Chriſtus* nomen eſt ſanè Filij Dei φανερωθέντος ἐν σαρκὶ; ſed illi inditum ad officium deſignandum, conſimili ratione *Petrus* eſt quidem Simonis nomen, ſed Simoni inditum ad miniſterium ſignificandum: quemadmodum enim non fuit conſilium Petri Chriſtum de nomine compellare, quum illi dixit, *Tu es Chriſtus*, ita nec hæc Chriſti mens eſt Petrum appellare ſimpliciter, ſed potiùs ornare titulo quodam, qui ei dignitatem ſcilicet atque authoritatem conciliaret. Nam certè ſi Chriſtus duntaxat voluit Petrum nomine compellare, non modò tota oratio jejuna erit & frigida, ſed & inepta. Cùm enim Petrum verſu proximè antecedenti compellans dixerit, *Beatus es Simon*, quorſum pertinuerit adjeciſſe, *tu es Petrus?* Eſt-ne qui ita loquatur, *Marce, tu quidem es Tullius?* Nemo certè, multò minùs in hunc modum, *Marce, ego verò tibi dico, Tu es Tullius*. Hoc igitur tenendum eſt, τὸ *Petrus*, titulum hîc potiùs eſſe quàm nomen. Atque ſic filij Zebedæi Ioannes & Iacobus dicti ſunt conjunctim *filij Tonitru*, ſeu *Boanerges*, non ut eo nomine appellarentur, ſed ad ſignificandum honorem quendam peculiarem, qui ijs à Chriſto conceſſus eſt. Ita planè, eodémque conſilio, *Petri* cognomine Simon inſignitus eſt.

Πέτρος.] Quidam dicunt eſſe vocem Græcam, & ſignificare *ſaxum*, quod verum eſt apud Poetas ſæpè, etiam apud Hiſtoricos & Oratores

qui Attica usi sunt dialecto. Itaque, cùm ista vox pura puta Attica, adeóque insolens sit, pro qua in Scriptura λίθος & πέτρα usurpatur, quæ λίθον προσκόμματος & πέτραν σκανδάλου pro eodem ponere solet Rom. 9. 33. non est credibile Evangelistam nomen Syriacum כאפא isto nomine minùs usitato voluisse commutare. Cur ergo (dicet aliquis) πέτρον dixit, non πέτραν? Nempè, non patitur lingua Græca ut viris (nisi fortè) per ludibrium & contemptum nomina fœminini generis tribuantur. At saltem, dicet aliquis, Evangelista Syriacum כאפא λίθον vertisset. Sanè id potuisset, nam Arabs חגרת vertit Syriacum כאפא, & retinuit utrobique pariter tam ubi est in Græco *Tu es Petrus*, quàm ubi est *& super hanc Petram*. Quid igitur obstitit? Ratio nempe Græci sermonis, qui non admittit nomina, aut cognomina, quæ propriè res significant, & quæ naturâ suâ sunt appellativa, nisi inflexa nonnihil & detorta. Itaque neminem κλέος, neque νίκην, sed νικίαν tamen & κλεώνα vocari permittit. Itaque nec πέτραν quempiam appellativè dici, at πέτρον à πέτρα inflexum facilè patitur. Qua in re à Latinæ & Hebraicæ linguæ consuetudine longè disceditur. Nam Latinis sunt non modò *Pisones*, & *Fabij*, & *Cicerones*, *Lentulique*, sed etiam *Scropha*, *Bestia*. & *Scipiones*: Hebræorum verò & Syrorum consuetudo non modò id patitur, sed penè exigit. Inde nomina ista propria אלון *quercetum*, עקרב *scorpio*, שושנה *rosa*, זאב *lupus*. Itaq; à Syrorum consuetudine videtur profectum quod Anthiocus ille qui in Syria rerum potiebatur se κεραυνὸν non verò, κεραύνιον aut κεραυνοβόλον dici voluerit.

Ibid καὶ ἐπὶ ταύτῃ, &c.] Καὶ est Hebræorum ו copula, & frequentissimè idem valet quod Græcis ἀλλὰ, vel δὲ. Vnde factum est ut apud LXX. Interpr. καὶ sæpenumerò non συνθετικὸν sed ἀντιθετικὸν sit, & non compositionem conjunctarum, sed contrariarum, aut certè pugnantium rerum oppositionem notet. Exempla passim occurrunt. Apud Græcos Authores tamen nunquam, aut perrarò, καὶ, ἀντιθέτως nota est. In Novo Testamento tres aut quatuor loci duntaxat observantur, in quibus καὶ videtur habere vim adversativæ particulæ, puta Matth. 12. 35. & Matth. 15 4. & Act. 7. 43. quamquàm & his in locis καὶ non est necessariò adversativum, siquidem omnes hi loci exponi possunt συνθετικῶς. Vnus superest, qui extat 1. Ioan. 2. 20. καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε, ubi citra omnem controversiam καὶ est particula adversativa. Sed utut sit, Esto, copula καὶ aliquando in Novo Testamento antithesim significet, tamen sequenda Tertulliani & Hilarij regula, *deligendus est sensus è materia dicti*. Porrò, licet vel maximè his in locis καὶ esset adversativum, non sequeretur statim etiam hoc loco esse adversativum. Itaque sit-ne, & hoc loco, in quo jam versamur, τὸ καὶ ἀντιθετικὸν, id verò disquirendum est. Vt autem pro copulativo habeatur, hæc videntur suadere. Primùm, quia Christus frustrà dixisset, *Tu es Petrus*, si de eo ista non

dicerentur ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, nisi enim ista ad Petrum referantur, quorsum attinebat dicere, *Tu es Petrus*. Quò & illud spectat, quod cùm Christus suprà Petrum *Simonem* (quod nomen Petri proprium est) vocasset, nunc hîc sic eum alloquitur, *Ego tibi dico, Tu es Petrus*. Num censebimus id temerè, aut nullo consilio factum à Christo? Non videtur credibile. Tum certè constat (& verò verba Christi hoc planè clamant) Christum aliquid Petro promisisse, nam hoc arguit Christi præfatio, *Ego verò dico tibi*, ut observatum est suprà. Neque enim videtur voluisse Christus, tanquam de re nova, Petrum facere certiorem, fore ut ipse Ecclesiam suam super semetipso esset ædificaturus: quod utrumque sequitur nisi hæc particula copulativa sit, & illa de Petro intelligantur. Nec est verissimile (ut nonnulli existimant) Christum ita dicentem, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, digitum in semetipsum intendisse, ut & aliàs, cùm intento in corpus suum digito, *destruite hoc Templum*, dixit, *& tertio die ego ipsum excitabo*, non est enim par ratio. Atque ut maximè indicarit seipsum digito cùm loqueretur de excitando suo corpore, quia scilicet materiale erat, & incurrebat in oculos, non demonstravit tamen corpus suum digito hoc loco, quo agitur de exstructione & fundamento Ecclesiæ: nempe, demonstratur digito quod incurrit in oculos, Ecclesiæ autem fundamentum visum fugit, & oculorum aciem: non est enim Christi corpus, quod incurrit in oculos corporis, Ecclesiæ fundamentum. Ergo non seipsum indicavit Christus, sed neque etiam Petrum, propter eam rationem. Qui dicunt καὶ hîc non esse copulativum, his adducti sunt rationibus; sed, ut videtur, non satis firmis. Prima est, *Si* καὶ *esset copulativum, sequeretur verba hæc,* καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ *pertinere ad Petrum, quod est absurdum. Neque enim Petrus, neque Angelorum quispiam, quin solus Christus, Petra est, & rupes illa firmissima, qua solà nititur & stat Ecclesia moles.* Sed hæc ratio vana est. Nam licet Christus sit Petra, Petrus tamen Petra dici potest. Nam certè Christus non *Petra* potiùs quàm *lux*, est, attamen id non obstat quominùs Apostolis dictum sit, & quidem à Christo, *vos estis lux mundi*, Matth. 5. 14. Et item, solus Christus est qui claves habet regni cœlorum, cùm Petro tamen constet datas fuisse claves regni cœlorum. Ac, ne ab argumento, quod præ manibus habemus, recedamus longiùs, etsi Christus solus sit fundamentum Ecclesiæ, nihilominus tamen idem elogium, licet ratione longè diversa, Petro & Apostolis tribuitur; nempe, ut & illi dicantur *fundamenta cœlestis Hierusalem*, Apoc. 21. 20. Et, quod eodem penè redit, *Columnæ*, Gal. 2. 9. Secunda ratio; *Si particula* καὶ *esset copulativa, & Christus Petro tantam prærogativam deferre voluisset, non fuisset usus tot, ut videtur, ambagibus, quin nudis & significantibus verbis Petro dixisset, Tu es Petrus, & super te Petre,* καὶ ἐπὶ σοὶ Πέτρε,



ædificabo Ecclesiam meam. Sed hæc ratio itidem nulla est. Christus nempè, figurata locutione uti voluit, alluderéque potiùs ad Petri nomen, quàm verba propria adhibere ad id quod voluit significandum: idque non est quod quis miretur, qui observarit, quod observatu facillimum est, quàm sit familiare Christo uti allusionibus. Nam & in colloquio cum Nicodemo & Samaritana, & in divina illa disputatione quam habuit de manducatione carnis suæ in Synagoga Capernaum, exstant hujus rei exempla longè clarissima. Tertia ratio; *Si* ϗ *esset copulativum, & hæc intelligenda essent de Petro, Christus genus nominis de industria non mutasset nihil enim prohibebat quominùs,* πέτρον *nomen retineret, quandoquidem* πέτρος *saxum significat; multò enim concinnius dixisset,* σὺ εἶ πέτρος, ϗ ἐπὶ τέτῳ τῷ πέτρῳ, &c. *Itaque mutatio generis videtur satis evidenter ostendere, Christum noluisse hunc honorem Petro, sed sibi tribuere; nimirum cui soli debetur.* Sed Responsio facilis est, Christus enim Syriacè locutus est, Evangelistæ autem כאפא πέτραν verterunt, quod nomen πέτρος, hâc quidem significatione, parùm esset usitatum: Non est enim mos Evangelistarum verba aspernari obvia, & abuti operâ in conquirendis vocabulis à communi consuetudine remotis. Itaque Christus non mutavit genus, siquidem Syriacè locutus, sed Evangelista, nempe, ne recederet ab usu communi.

Ibid. οἰκοδομήσω.] Duo hîc veniunt consideranda & notanda, verbum, & casus verbi, ut loquitur Philosophus. Verbum est οἰκοδομεῖν, quod hîc propriè usurpari non potest, neque enim agitur hoc loco de structurâ ædium. Itaque Metaphoricè sumi necesse est, sic enim sumitur in Scriptura & quidem bis tantùm in Vetere Testamento Genes. 16. 2. hæc sunt verba Saræ de Agare loquentis, *si fortè ædificer ab illa,* & Gen 30. 3. verba sunt Rachelis de Bilha ancilla sua, *& ego ædificabor ab illa.* Vtrobique οἰκοδομεῖν metaphoricè usurpatur, neque tamen idem significat quod hoc loco: agitur enim ijs in locis de ædificatione quæ sita est in procreanda sobole: Verbum Hebraicum est בנה *ædificare,* unde בן *filius,* liberi enim sunt στύλοι, *columnæ* familiarum; *In te unum,* inquit ille, *domus inclinata recumbit.* Itaque is Hebraicè dicitur בנוי *ædificatus,* quem Deus patrem fecit, contra הרוס *destructus,* qui orbus est. At in Novo Testamento οἰκοδομεῖν diversum quid significat, licet metaphoricè etiam usurpetur; nempe Ecclesia dicitur *Templum* & *Domus Dei*, idque pluribus de causis. Prima, quia ut domus compacta est & coagmentata ex multorum lapidum apta constructione, ita planè Templum & Domus Dei, quæ est Ecclesia, assurgit ex coadunatione multorum, qui quoniam Spiritu Christi regeniti sunt, *lapides vivi* dicuntur. Secunda ratio, Ecclesia *domus* (Ephes. 2. ℣. 20. 21. 22.) perinde ac *familia* dicitur, cujus nempe paterfamilias est Deus, unde tota dependet, & quo nititur tota veluti fundamento. Itaque quo sensu

ædificare dici possit qui sobolis est author & pater, & *destruere* contra qui sobolis procreationem prohibet, eodem penè sensu in Novo Testamento quum de Ecclesia agitur, verba *ædificandi* & *destruendi* usurpantur. Etenim *destruere* dicitur qui homines alienat ab Ecclesia, Rom. 4. 20. contra *ædificare*, qui homines Deo côciliat per verbi prædicationem. Denique, quomodo domus & familia societatem quandam hominum ejusdem sanguinis communione conjunctorum significat, sic & Ecclesia *Domus Dei* dicitur. Itaque collectio Ecclesiæ est *ædificatio* quædam Atque hæc de verbo οἰκοδομεῖν. Ad casum autem verbi quod attinet, quæri non absurdè potest, quorsum attinuerit quod Christus non οἰκοδομῶ, sed οἰκοδομήσω dixerit, non sit usus verbo, sed verbi casu, idque in futuro tempore. Annon enim priùs Christus ædificaverat Ecclesiam suam? Annon jam tum, quum hæc dicebat, eam ædificabat? Sed responsio facilis est & plana. Certè Christus heri & hodie fuit, & erit in æternum, fundamentum & caput Ecclesiæ suæ, quo solo ea nititur, à quo solo pendet, & robur & vires illas, quibus stat invicta & inexpugnabilis adversus omnem vim, ab illo solo mutuatur. Verùm, quia post adventum Christi, potissimum verò postquam subvectus est in cœlum, tanta lux Evangelij affulsit, ut totius præteriti temporis lucem obscurarit, ut stellas exoriens Sol, *comparatè* non *simpliciter* Christus hîc dicitur *ædificaturus Ecclesiam suam*: nam quæ patefactionis Evangelij, eadem constructionis Ecclesiæ ratio est: nimirùm, nonnisi per Evangelij prædicationem Ecclesia construitur, nam Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Quoniam igitur proferendum fuit in lucem, quod ante latebat in mysterio & occulto, Evangelium, dixit fore ut ædificaret Ecclesiam. Deinde, hoc dicitur ratione Gentium, quæ cùm essent ijs temporibus extra ambitum Ecclesiæ (quæ Iudaico populo, tanquam cancellis quibusdam, continebatur) tamen vocandæ erant ad Christum per prędicationem Evangelij. Significanter verò dixit οἰκοδομήσω, non οἰκοδομήσεις, quia ipsius Christi est ædificare Ecclesiam suam. Ergo non Petri.

Ἐκκλησίαν μȣ.] Etsi nomen Ecclesiæ, si rei Grammaticæ ratio habeatur, à verbo ἐκκαλεῖν sit ortum, non ideò tamen existimandum est eâ nomenclaturâ populum Christianum esse hoc loco designatum, quod sit cœtus hominum quos Deus è reliqua turba ad justitiam & beatam immortalitatem Evangelij pręconio evocavit. Deus enim in Scriptura ubiq; καλεῖν, nusquam ἐκκαλεῖν, & vocatio fidelium κλῆσις, non ἔκκλησις constanter dicitur; denique fideles dicuntur κλητοὶ non ἐκκλητοὶ. Sed cùm apud LXX. Interpr. non solemnes modò conventus populi Iudaici (ex quo solo Ecclesia Dei olim constabat) verùm etiam Gentis illius multitudo ἐκκλησία nuncupetur (Hebraicè עדה & קהל) nomen sacræ Scripturæ usu jam celebratum visum est Christo, & Spiritui sancto, populo im-

ponere quem ex Iudęis & Gentibus erat in unum collecturus. Nam *Synagogę* nomen Iudęi sibi fecerant peculiare, unde factum est, ut illis tanquam proprium fuerit relictum. Huc & illud accedit, quod ἐκκλησίας nomen Gręcis erat familiare & consuetum, utpote quæ illis *concionem*, & *populi conventum* significat, quales conventus in Gręcis civitatibus Reipublicæ causâ haberi solebant omnium ordinum promiscuè & indiscriminatim. Nec oscitanter prętereundum est, quod suorum cœtum Deus non βουλὴν, aut σύγκλητον (quæ Optimatum propriè est) sed ἐκκλησίαν (quę est *populi cœtus*, etiam plebeculæ & ignobilium) appellari voluit: nimirùm, ita se res habet secundùm Apostolum 1. Cor. 1. 26. *Videte, fratres, vocationem vestram, vos non esse multos sapientes, &c.* Itaque ἐκκλησιάζειν Gręcè est *concionari, cum populo agere.* Ecclesia ergo Novi Testamenti est fidelium multitudo toto orbe terrarum dispersa, non modò illius pars in unum collecta, quæ *Collecta* olim dicebatur, ut & *Colligere* erat in unum, cultûs divini causâ, coïre, & Gręcè eadem σύναξις quæ *Collecta* Latinis dicebatur.

Ex his quę hactenus dicta sunt liquet quidem aliquid singulare à Christo Petro fuisse his verbis collatum, quod non fuit illi cum reliquis Apostolis commune. Sed quia id novum & insolens multis videri possit, probandum jam & confirmandum nobis est, deinde verò apertè definiendum, quidnam sit illud singulare & pręcipuum. Et ad priùs quidem illud quod attinet, multa sunt quę evincunt, in Petrum aliquid eximium supra reliquos Apostolos à Christo fuisse collatum, ac primùm quidem ipsa totius orationis emphasis. Quum Christus Discipulos universos rogasset, quem se esse illi existimarent, prosiliens Petrus, & omnes unus pręvertens, *Tu es*, inquit, *Christus, filius Dei vivi.* Quid ad hęc Dominus, *Beatus es*, inquit, *Simon Bar-Iona.* Mirum, si Petrus reliquis Apostolis consultis tum demum respondit, cur Dominus non subjecerit statim, *Beati vos estis.* Itaque, ac si Petrus confessionem edidisset solus, κἀγὼ σοὶ λέγω, *& ego tibi dico.* Petrus dixerat, *Tu es Christus*, respondens Christus ex adverso, & quasi verba verbis opponens, *& ego tibi dico, Tu es Petrus.* (Atque hîc oportet meminisse quę supra dicta sunt, nempè; κἀγὼ reponentis esse, & καὶ hoc loco non esse adversativam, sed copulativam particulam.) Hęc enim arguunt, Christum his verbis Petrum singulariter & seorsim compellare, proindéq; & singulare quidpiam illi tribuere. Quorsum enim pertinet ista Christi oratio, quę illius mens, quis scopus, si communiter, si æquè reliqui Discipuli ac Petrus compellantur? Numquid Petri nomen omnibus Apostolis commune fuit? Tum verò illud, *Simon Bar-Iona*, cùm ad reliquos Apostolos minimè pertineat (neque enim illi nati fuerunt patre Iona) quæ ratio effecerit, ut quæ eodem tenore cum istis conjuncta & continuata sequuntur, aliò trahantur? Deinde etiam illa, *Tibi dico*,

dico, tibi dabo, Tu es Petrus, haud dubiè magnam habent emphasim, & clarè apertéque significant, hæc tam dicta singulariter, Petro singulariter ac peculiari quadam ratione convenire. Sed sunt qui excipiunt, Petrum Apostolorum omnium nomine hanc confessionem edidisse itaque censendum non esse, peculiare aliquid supra reliquos hoc loco consecutum esse, neque enim fas esse videtur, ut quorum opera fuit communis, eorum merces non sit pari ratione communis. Sed qui sic disputant non animadvertunt, cùm Christus primùm interrogasset Discipulos, *quem me dicunt homines esse?* omnes nullo discrimine respondisse, *& responderunt*, inquit Evangelista, *alij Eliam*, &c. Hîc verò cùm eos iterum interrogasset Christus, *vos verò quem me dicitis esse?* non respondent universi ut priùs, unus respondet Petrus. Itaque & unum respondentem seorsum, Dominus seorsum compellat. Quando responderunt universi, universos Dominus iterum compellat. Cùm quæsivisset Christus, *quem me dicunt homines esse*, non respondit omnium nomine Petrus. At cùm secundò Christus quæsivisset, *Vos verò quem me dicitis esse*, hîc verò solus omnium Apostolorum Petrus respondit. Atque hîc observandum est, cùm alibi Petrus aliorum nomine Christum fuisset allocutus, eo in sermone non agi de interno mentis affectu, sed de externo opere, *Ecce nos reliquimus omnia*; &c. Matth. 19. 27. Hîc, ubi de conscientia, de mente agitur & animi sententiâ, multò diversa est ratio. Vnusquisque apud Deum testis est ejus rei cujus conscius esse potest; ea verò res fides aliena esse non potest, nostra fides ejusmodi certè est. At de operibus testimonium reddi potest, indidemque de fide, deque charitate, sed quatenus illa, quæ sit, ex operibus intelligi potest. At hîc non de operibus, sed de fide agebatur. Itaque hîc Petrus respondet solus, illic solus quidem respondet, sed omnium nomine, nempe de opere agebatur. Quominùs mirandum est Christum tum ita respondisse, ut ne Petro seorsum, sed omnibus conjunctim & promiscuè Apostolis responderit, cùm hîc solum Petrum compellet. Neque verò hæc ideò à nobis disputantur, ac si ij essemus qui suspicaremur, non eandem fuisse Apostolorum fidem quæ Petri fuerit: hoc tantùm volumus, esse admodum verisimile hanc confessionem à Petro non fuisse omnium Apostolorum nomine editam. Quemadmodum in Ecclesia fides est communis, cùm tamen in symbolo fidei vocem *credo*, non *credimus* usurpemus; nempe, ut quisque justus suâ fide vivit, ita maximè idoneus suæ fidei confessor est. Sed esto, Petrus non suis, sed Apostolorum verbis responderit, quid tum postea? Nempe, inquiet, aliquis, quod Petro dictum fuit, & dictum cæteris Apostolis censeri debet; cur enim in præmio & honore sejungantur quorum fides una fuit? At verò, inquam, Petri zelus eximius fuit, senserat is præ cæteris egregiè Spiritus vim; id quod

Christus haud obscurè illis verbis significat, *Beatus es tu Simon*, &c. Quis enim ambigat hîc à Domino singulare aliquid designari? Sanè licet in Petro quandam affectûs erga Christum, & propensionis quasi præcipitem vehementiam observare, quâ cæteros Apostolos anteisse videtur, & ponè longo intervallo reliquisse, cujus rei varia extant in historia Evangelica documenta. Quare cùm zelus Petri singularis fuerit, quid prohibet quominùs censeamus, Christum Dominum eam virtutem in Petro voluisse singulari quadam prærogativa insignire, atque illustrem reddere? Incensus & ardens singulos Discipulos prævertit, non potuit sibi temperare quin Christo interroganti primus omnium & solus responderet (reliqui autem tacitè acquievisse videntur) solus hinc igitur audit, *Tu es Petrus*, &c.

Postquam jam ex superioribus constitutum est, aliquid singulariter Petro concessum esse, superest disquirendum & definiendum, *quid sit illud tandem, & quantum, quod Petro hîc singulare ac peculiare indultum est.* Quicquid autem illud sit, quantumve sit, id verò nullam esse authoritatem, aut verò jus, in reliquos Apostolos, neque etiam potestatem ullam propriè Apostolicâ majorem & eminentiorem, multò verò minùs, eam authoritatem & jurisdictionem quam Episcopo Romano ejus assentatores tribuunt, multis posset demonstrari & invictis addici rationibus (quod & à nobis alibi factum est) à quibus jam temperamus, quia in eo duntaxat sumus, ut quid sit singulare illud quod Christus Petro hîc concessit, aperiamus. Atque ut id indagemus & deprehendamus, & veluti manu teneamus, arbitror ab ipso *Petri* nomine disquisitionis initium esse faciendum: nempè, nomen illud dignitatis ergo significandæ Petro à Christo fuit inditum. Certum enim est, non frustrà, non temerè, sed sapientissimo consilio, & certa aliqua de causa, Deum vel instituta nomina mutare, vel nova indere, id nil necesse est exemplis demonstrare, nota enim est & celebrata *Saræ* & *Abrahami*, & *Iacobi* nominum mutatio. Sed etsi nulla exempla hujus rei extarent, (quæ sanè extant quamplurima) res ipsa id evidenter probat ac demonstrat. Cùm enim nomina rerum notæ sint, nonnisi judicio & adhibitâ ratione; qui vel mediocriter sapiunt vel vetus nomen antiquant, vel novum rebus & personis imponunt. Quanto magis nefas foret de Deo tale quicquam animo cogitare? Vt qui signa sua non patitur esse rerum inanes imagines & simulachra, utpote qui potentissimus, optimus, sapientissimus idem sit. Quare sine controversia statuendum, nomen istud *Petri* à Christo Petro impositum aliquid significasse. Quoniam verò Petro soli id nominis inditum fuit, indidem efficitur, eo nomine aliquid Petro singulare fuisse datum reverâ, nam quo bono titulus sine re? Ergo dignitatem & Petri prærogativam ipsum *Petri* seu nomen, seu cognomen, veluti nomenclaturâ indicabit: definito

igitur nomine *Petri* rem ipsam tenebimus. Ac *Petrum* quidem ἀπὸ τῆς πέτρας (quæ *lapidem* seu *saxum* ex Scripturæ usu significat, adeóque idipsum quod Atticis πέτρος) dictum esse jam nulla controversia est. Videndum ergo cur Petrus *lapis* sive *saxum* sit appellatus: quæ appellatio cùm non sit propria, sequitur ut sit figurata, & eâ quidem figurâ quæ Metaphora dicitur. Porrò Metaphora contracta similitudo est, itaque, quærenda hîc nominis similitudo, convenientiæque ratio: nam *lapis* certè figurâ quadam is dicitur qui cum lapide habet aliquid commune. Id verò vel vitio, vel laudi ducitur, estque vel obfirmata quædam animi durities in malo, vel in bono solida & constans atque immota firmitas; hæc utraque similitudo ab una eademque lapidis proprietate, rigore nempe & duritie, ducta est. Hanc lapidis proprietatem (quam in Scholis *absolutam* vocarent) sequitur altera proprietas, consequentia quadam naturali, ut lapis sit idoneum ædium fundamentum, quam proprietatem Scholastici *relativam* appellarent. Iam videndum est utrius proprietatis ratione Petrus *lapis* fuerit appellatus. Ac nonnulli quidem ex Patribus Simonem dictum *Petrum* putant ob fidei soliditatem, alij ob ardentem ejus zelum, διὰ τὴν ἔμπυρον θερμότητα, nam collisis magna vi lapidibus exilit momento ignis. Hanc multi conjecturam probant, nos assensum cohibemus. Fides enim Petri fluxa & instabilis fuit. Primùm enim post editam insignem illam confessionem, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, nutavit ac vacillavit, solus enim omnium Apostolorum, cùm accepisset Christo esse moriendum, intercessit, & verò scilicet ei author esse voluit ut sibi parceret, haud equidem animo malevolo sed carnali, quo nomine Dominus eum non reprehendit modò, sed increpuit atque objurgavit tam graviter, tamque acriter atque asperè, ut eum non dubitarit *Satanam* appellare. Quid? quod Christum abnegavit, idque interposito jurejurando? quod erat perfidiam perjurio cumulare. Nam ut illud omittamus sanè, quod postquam ad Christum mari incedentem properaturus desilijt in mare, defecit eum fides, unde (ut mergi continuò cœpit) à Christo audivit, *Cur timuisti*, ὀλιγόπιστε? At quid ad illud dicemus, quod post Christi resurrectionem, postquam jam ascendisset Dominus in cœlum, postquam Spiritum misisset, postquam Petro vocatio Gentium extra ordinem fuisset revelata, post prædicatum Gentibus Evangelium, post tot documenta divinæ præsentiæ, quam & Evangelij fructus, & repressus hostium furor, & tot tantáque edita miracula probarant, confirmarantque, cùm tamen esset Antiochiæ, adeò dissimulator fuit Iudæorum metu, ut eorum consortio qui in Christum crediderant è Gentibus abstineret, ut Paulus narrat Galat. 2. qua de causa in gravem & seriam Pauli reprehensionem incurrit, *qui* scilicet *ei restitit in faciem*, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, *neque* ὀρθοποδεῖ *recto pede incedebat in*

Evangelij negotio. Hæc tùm ita se habeant, profectò Simon, ob soliditatem constantiamque fidei, *Petrus* non est appellatus. At fortasse ob fervorem *lapis* fuit appellatus. At *ignis* quidem potiùs fuisset hoc quidem pacto vocandus, & *Pyrius* non *Petrus*. Etsi enim ex adfrictu & collisione lapidum concipitur ignis; at ignei tamen & fervidi ingenij hominem nemo *lapidem* dixerit; quæ concitata sunt ea minimè *saxea* aut *lapidea* dicimus. Itaque, haudquaquam probabile est Deum, cujus sapientiæ est apta rebus & convenientia nomina imponere, Petrum ob zelum & fervorem *lapidem* nominasse. Superest igitur ut aliam ob causam Simon *Petrus* fuerit vocatus. Quamnam verò? Certè ob eam quam diximus lapidis *relativam* proprietatem, ob usum lapidis quendam, nempe lapides fundamenti loco in ædificando collocantur. Simon hoc pacto *Petrus* fuerit appellatus, quod Ecclesiæ futurus esset fundamentum. Quid igitur, inquit aliquis, Ergo Petrus Ecclesiæ fundamentum est? Omnino. At non eâ ratione quam somniant Pontificij, quasi Petrus solus fundamentum & columen Ecclesiæ vel unquam fuerit, vel esset futurus seu suâ, seu successorum personâ, sed diversa omnino de causa. Nimirum, Petrus omnium Apostolorum primus Ecclesiæ fundamenta jecit. Et cæterorum quidem Apostolorum nomina Ecclesiæ fundamentis inscripta sunt Apoc. 21. 14. Sunt etiam & illi Ecclesiæ fundamenta, ut qui Dei Ecclesiam pro virili quisque parte, toto orbe fundarunt: verùm quia Petrus Princeps hoc effecit, atque (ut eleganter & scitè Tertullianus) *primus* hoc pacto *clavem imbuit*, dubium non est quin hoc elogium ei singulari ac præcipua ratione conveniat, ut *Petrus* ob hanc causam fuerit appellatus, & hic honos ei supra cæteros debeatur. Nam quod cæteri Apostoli & ipsi Ecclesias condidêre, id factum est postquam Petrus tantum opus inchoasset, ac rem adhuc integram atque intactam veluti delibasset. Petrus igitur primus Evangelium Iudæis die Pentecostes, post solemnem de cœlo Spiritus Sancti missionem, prædicavit. Act. 2. Et hoc observare facile est, primum esse Petrum, ubique præire, ejus esse primas partes, præcipuasque usque ad ea tempora quæ Act. 7. describuntur. Sic fundata est à Petro Ecclesia Iudaica, quæ postmodum exorta Hierosolymis persecutione, Deo sic providente, sparsa atque disseminata inter Gentes, Ecclesiæ Gentilis semen veluti ac fermentum quoddam fuit. Huc illud referendum est quod Act. 11. narratur, nonnullos ex illa dispersione Antiochiæ prædicasse Græcis. Sed & ipse Petrus primus Ecclesiæ Gentilis fundamenta jecit. Is enim fuit cui soli Deus, idque in ecstasi constituto, Gentium vocationem revelavit, cæteris omnibus Apostolis præteritis, quibus nonnisi Petri relatu & exemplo, quod is præbuit primus, id mysterij innotuit Nam is jussu Dei cœlitùs delato, non admonitus sacris Literis, neque concio-

nibus Domini excitatus, atque impulsus, cœpit de re tanta cogitare. Fuit igitur hæc revelatio planè extraordinaria, ac supra eam conditionem quæ Petro cum reliquis Apostolis fuit communis. Huc referri debent verba ipsius Petri Act. 15. 7. ad Synodum Hierosolymitanam, *Viri fratres, vos scitis, quod à diebus antiquis inter vos me Deus elegit, cujus ore Gentes audirent verbum Evangelij, & crederent.* Certè illud *à diebus antiquis*, quorsum pertineat non est facile dictu, nisi quod omnino res poscit, ut ad id tempus referatur quo Christus Petro dixit, *Tu es Petrus*, &c. Nam quæ tempora, à Christi ascensu in cœlum, ad id usque tempus quo Petrus eam habuit orationem, interfluxure, ea certè *dies antiquos* Spiritum Sanctum appellasse non est credibile: sed quemadmodum ἀρχὴ ad prima Christi tempora, quibus vixit in terris, sic ἀρχαίας ἡμέρας eòdem referre consentaneum est. Deinde verò, nec illud caret emphasi quod ait Petrus, *se à Deo electum inter vos*, quid enim ea locutio significet, & quam vim habeat, non est obscurum: Nimirùm, hòc pacto se Petrus notat à reliquis Apostolis segregatum, ac peculiari quadam cohonestatum atque exornatum prærogativâ. Petrus itaque sic dictus à Christo est, quia ejus potissimùm operâ uti voluit jaciendis Ecclesiæ cùm Iudaicæ, tùm etiam Gentilis, fundamentis. Ergo *Petri* nomen Petri prærogativæ titulus est; quænam autem illa sit satis indicant ipsa verba, *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* hoc est, *Tu eris Ecclesiæ meæ fundamentum*: eadem mente quâ & *Columnæ* Ecclesiæ illi dicuntur (Galat. 2. 9.) quorum operâ Ecclesiæ moles fulcitur atque sustentatur. Certè super Apostolis Ecclesiam esse fundatam constat ex Apocal. 21. 14. Sic Patres, sic Scriptura loquuntur, quid causæ est cûr nobis sit nefas sic sentire, sic loqui? Quod si verò jam Ecclesia super Apostolis est fundata, quidni & super Petro primò, qui primus in hac substructione desudavit? Id quod Tertullianus non percepisse modò, sed etiam egregiè explicasse videtur, lib. de Pudicit. cap. 21. *De tua nunc sententia quæro,* (inquit) *unde hoc jus Ecclesiæ usurpes? Si quia dixerit Petro Dominus, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, tibi dedi claves, &c. Ideò præsumis & ad te derivasse solvendi & alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam Petri propinquam, qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem? super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam, &, dabo tibi claves, &c. Sic enim & exitus docet. In ipso Ecclesia extructa est, id est, per ipsum. Ipse clavem imbuit, vides quam? Viri Israëlitæ auribus mandate quæ dico, Iesum Nazarenum virum à Deo vobis destinatum, &c. Ipse denique primus in Baptismo Christi reseravit aditum cœlestis regni, &c.* Nec est quod quisquam hâc interpretatione existimet vel minimum juvari causam Pontificis Romani. Nam si Simon filius

Iona ideò Petrus à Christo vocatus est, atq; hactenus duntaxat super eum Ecclesia ædificata est, quatenus is primus tanti operis author fuit: quid hoc facit ad Episcopi Romani quem sibi tribuit hodie, Primatum? Imò id mihi videtur vel maximam habere vim ad eum Primatum funditùs evertendum. Nam si Petro præter hanc eminentiam nihil aliud fuit in Apostolos juris, si istius eminentiæ ratio jam nulla est, jacta enim pridem sunt, non jacienda Ecclesiæ fundamenta, quid ad Papam hoc? quid ad Papatum, & monarchiam Episcopi Romani. Num quia Deus ex omnibus Genevensis Ecclesiæ Ministris, Farelli operâ in restituenda Ecclesia in Gallia potissimum est usus autumet quisquam Genevæ Farellum habere successorem, qui ea de causa jure sibi possit assumere *Galliarum Primatis* titulum? tantùm verò sibi arrogare juris, ut nisi de ipsius sententia in causis majoribus nihil debeat fieri? ad cujus arbitrium atque nutum omnia geri atque administrari æquum sit? præter ejus voluntatem, eóque non authore, quicquam attentare sit nefas? Nemo profectò mentis compos vel sic ipse ratiocinetur, vel ita ratiocinantem probet.

Ibid. καὶ πύλαι ᾅδου.] Non satis constat, quid sint hæ, quas notat Dominus, *inferorum portæ*. Alij enim volunt sic describi Satanæ vim & robur in oppugnanda Ecclesia; portas scilicet esse urbium munimenta, itaque aptè sic Diaboli potentiam designari. At verò neque portas, si propriè loqui volumus, dicemus urbium munimenta, non est hic portarum usus, mœnia, & fossa, & vallum, & agger id præstant; portæ muniuntur ipsæ non muniunt. Neque verò ut maximè portæ munimenta sint, oppugnacula sunt, unde impetus fiat in urbem, sed propugnacula potiùs. Hîc verò non propugnantium, sed oppugnantium hostium vis & robur describitur. Quæ ratio Maldonatum permovit ut *portarum inferni* nomine censeret intelligendam non eam vim qua Satanas Ecclesiam oppugnat, sed eam qua se tuetur, scilicet, adversus Ecclesiæ insultus: Nempe, Ecclesiam vult ultrò inferis bellum inferre, ut olim populus Israëliticus Hierichuntinis, non quidem ut illi, cornuum sonitu, sed Evangelij prędicatione. Verùm ne sic quidem liquet quas Christus *portas inferorum* dixerit. Nam κατισχύειν (quod hîc subjungitur) non est obsessorum, sed obsidentium, quique vim inferunt potiùs quàm illatam prohibent & defendunt. Quid, quod Ecclesia hîc domui comparatur? At quis dixerit domum seu ædificium oppugnare? Obsidetur quidem, & oppugnatur, & capitur, at nec capit, nec oppugnat, neque verò obsidet. Quamobrem alijs aliò referre hæc visum. Nimirum, olim in urbium portis consilia habebantur, jus dicebatur. An igitur *portarum* nomine technæ & fraudes Diabolicæ, quibus Ecclesiæ gravius semper quàm aperta vi nocitum est, intelliguntur? Sed nec sic quidem constat ratio. Nempe, κατισχύειν non

usque adeò aptè, cùm de consilijs agitur, usurpatur; virium potius & roboris est κατισχύειν. Quod si ea Christi mens fuisset, haud dubiè οὐκ ἐξαπατήσουσιν, non οὐ κατισχύσουσιν dixisset. Deinde verò, legimus quidem jus dictum in Portis, etiam habitos conventus, at consilia arcana non eliminanda & invulganda in ijs agitata, id verò jam nescio an quis observarit. Quid igitur superest, quàm ut ipsam consulamus Scripturam, sui interpretem omnium minimè fallacem. Extat similis locutio Iob. 38. 17. Psal. 9. 14. & 107. 18. Eadem verò Esaiæ cap. 38. 10. Quæ sit autem hujùs locutionis vis & significatio, ijs in locis, nemini est obscurum: nempe, sic notatur vis mortis & sepulchri in miseros mortales. Affinis huic locutioni est illa חבלי מות *funes mortis circumdederant me* Psal. 18. 16. & 116. 3. hyperbole splendidissima, hoc est, *perieram obrutus jam in sepulchro, humo superaggestâ, & quasi vinculis in illo carcere constrictus.* Sic verò notatur supremum mortis imperium, & vis summa, ultra siquidem quod agat nihil habet. Hæc ergo Christi hoc in loco mens fuisse videtur, *Iaceant fideles ad tempus demortui, mors in illos dominetur, exerceat jus suum, in sepulchro (veluti in carcere) eos teneat conclusos & vinculis quasi constrictos, haud tamen usque & usque obtinebit, valebit quidem certè, at non prævalebit*; ἰσχύσει μὲν, οὐ μὴν κατισχύσει. Sed hæc erunt multò clariora, si cogitemus seriò id quod res est: Vocem ᾅδης nusquam in Scriptura (unicus modo locus excipiatur) *infernum* significare, sed constanter vel *sepulchrum*, vel *hominis vitâ functi*, hactenus quidem, *statum & conditionem*. Adde, quod ᾅδης & θάνατος *infernus* & *mors* Ecclesiæ hostes dicuntur: & quidem *postremi omnium hostes*, teste Apostolo 1. Cor. 15. 26. Et Apoc. 20. 14. *mors & ᾅδης tandem dejiciuntur εἰς λίμνην πυρός.* Vbi nonnisi absurdè τοῦ ᾅδης nomine *inferos* quisquam intelligat; quasi verò infernus in infernum dejiciatur. At si quis figuratâ hâc locutione significatum velit, perituram omnem mortis & sepulchri vim, is demùm profectò à Spiritus Sancti mente minimè aberraverit. Illud etiam huc accedit, quod Christus suos confirmaturus, eos præcipuè vel maximè erigit in spem beatæ resurrectionis, atque ijs immunitatem à mortis & sepulchri veluti imperio ob oculos proponit. *Qui in me credit*, inquit, *quamvis sit mortuus vivet.* Ioh. 11. 25. 26. & cap. 6. 39. 40. 44. *eum excitabo ultimo die.* Itaque Apostolus fidem, & salutis caput atque summam collocat in spe certissima resurrectionis: Sic enim agit 1. Cor. 15. 55. ποῦ θάνατε τὸ κέντρον σου, &c. Omnino videri possit ad hanc Christi suavissimam promissionem respexisse. Huc etiam pertinet, quod mors & sepulchrum ἰσχύει quidem certè, at non κατισχύει. Serpens semini illi benedicto mulieris, Christo inquam, calcaneum momordit, nempe, passus, crucifixus, mortuus, sepultus est, hactenus ἴσχυσεν ὁ θάνατος, καὶ ὁ ᾅδης: At Christus in glo-

riosa illa sui excitatione, caput ei contrivit, in nostra verò resurrectione contriturus est. Sic οὐ κατίσχυσαν, ἀλλ' οὐδέ γε μὴν κατισχύσαι. Quid igitur? Non meminit Christus hîc tentationum, atque insultuum Satanæ? Sanè, sed consequenter. Nam cùm de mortis & sepulchri in Dei populum irrito conatu hîc agatur, omninò sequitur ut hic locus etiam ad tentationes pertineat, quas nisi cœlitùs Christi ope detur exire, mortem & sepulchrum dominari necesse est. Porrò, hinc Pontificij conficere se posse putant, *Ecclesiam in terris nunquam defecisse*, maximè verò tempore Novi Testamenti. Sed frustrà, primò, quia id non negamus quod illi probare student; deinde, hic locus nihil facit ad rem. Nam etiamsi Ecclesia intercideret in terris, non eo fieret ut portæ inferorum adversus Ecclesiam prævaluerint; tantùm fieret, ut Ecclesia desineret esse in terris: Atqui desinere esse in terris non est vinci à portis inferorum, sed contra superare inferorum portas & perfringere. Quanquàm (uti dixi) verum est Deum semper Ecclesiam aliquam habere in terris, sed nos id volumus tantùm, non posse id probari ex hoc loco. Vnde sequitur Adversarios sic prodere studium causæ, atque à causæ studio ortam mentis perturbationem. Verùm nos adversus eos & Novatores Semipelagianos, probamus hinc verè fidelium constantem ad finem usque perseverantiam. Nam si (ut illi volunt) Ecclesia aliquando à Christo sejungeretur, hoc est, si verè fideles aliquando à fide deficerent & in totalem (uti loquuntur) Apostasiam inciderent, sanè prævalerent adversus Ecclesiam inferorum portæ, quod Christus, hîc negat futurum. Sed excipiunt illi primò, *Portas inferorum* hîc significare mortem & damnationem. At hoc non efficit ut ne ex hoc loco possit probari perseverantia Ecclesiæ. Nam qui non sunt perituri, eos necesse est perseverare; Itaque si Ecclesia non potest perire, non potest itidem non perseverare, nam si non perseveraverit, peribit. Excipiunt secundò, promissionem hîc fieri duntaxat adversus vim externam, non adversus propriam hominis malitiam. At verò sic non loquuntur satis clarè, videntur enim præsupponere fore ut Ecclesia laboret malitiâ & contumaciâ. Sanè Deus contumacibus, rebellibus, & malitiâ laborantibus non pollicetur auxilium suum, verùm Ecclesia, verè fideles, inquam, non sunt hujusmodi. Omnes sanè sunt à natura proni in contumaciam & rebellionem, & ni Deus propensionem illam cohiberet, omnino tales evaderent: At Deus hîc Ecclesiæ suæ pollicetur fore ut non sit contumax, nam *inferorum portæ adversus eam non prævalebunt*, prævalerent autem si evaderet contumax. Itaque hæc exceptio est mera cavillatio, nam ita Deus (secundùm illos homines) nihil Ecclesiæ polliceretur, quod non sit omnibus hominibus commune. At certè Christus singulare aliquid hîc pollicetur Ecclesiæ, nempe ut quantumvis illa prona sit in rebellionem, ille tamen hunc impetum

impetum ſit cohibiturus per Spiritum ſuum: quod non eſt polliceri auxilium hominibus profanis, ſed polliceri (quæ ſumma conſolatio eſt) ut ne qui naturâ proclives ſunt ad impietatem, eò vergant quò ducit natura. Denique excipiunt illi, (tanta eſt eorum inconſtantia) Promiſſionem hanc tantùm dirigi ad Eccleſiam Chriſti quatenus eſt talis, neque promitti perſeverantiam in fide, aut ipſos ſemper manſuros Eccleſiam, ſed quantiſper Eccleſia manent fore ut adverſus eam non prævaleant inferorum portæ, hoc eſt, (ut loquuntur in Scholis) promiſſio hîc fit Eccleſiæ *in ſenſu compoſito*, non *in ſenſu diviſo*. At ſic promiſſio nulla erit. Vt ſi quis homini promitteret fore ut non moriatur, moriatur tamen cui promiſſum eſt fore ut non moreretur, ſic autem ſe tueatur qui promiſit, ſe duntaxat pollicitum eſſe fore ut quamdiu maneret homo non moreretur, at non promiſiſſe fore ut non deſineret eſſe homo: Ridicula & jocularis eſſet illa exceptio, & nulla promiſſio, quia quando moritur aliquis deſinit eſſe homo, nam certè homo quandiu eſt & manet homo, non moritur. Sic ſolemus ridiculè & jlocaliter dicere, *remedium adverſus mortem eſſe ut ſemper edamus & bibamus*, quia quandiu edemus & bibemus non moriemur. Sic verò tollitur omnis conſolatio & fiducia in poſterum, quis enim eſt cujus mentem unquam ſubijt hæc cogitatio, *Etiamſi Deum ex animo coluero, in eum ſperavero, tamen me Deus deſtituet?* At hæc cogitatio ſæpè animum ſubit, *In hac inconſtantia naturæ & levitate, inter tot hoſtes quis poterit ſtare, & perſtare uſque ad finem?* Hoc verò eſt quod ſollicitos habet pios, itaque hîc opus conſolatione, nulla autem erit ſi nulla eſt promiſſio. Deinde, ſi iſtorum hominum cavillatiuncula locum habet, fieri poterit ut nullam Deus habeat in terris Eccleſiam; immò verò ut omnes qui in Chriſtum crediderunt ſimul deficiant: Nempe, non poſſumus judicare de firmitate Eccleſiæ niſi ex promiſſionibus Dei, omnes autem promiſſiones Dei, ſecundùm iſtos, præſupponunt, non ponunt perſeverantiam, perſeverantia autem, ſecundùm eoſdem, incerta eſt. Itaq; tranſeundum nobis eſt in caſtra Socinianorum, qui exertè docent, nihil eſſe abſurdi ſi dicamus fuiſſe aliquandiu Eccleſiam Dei in terris extinctam.

℣. 19. *ϗ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς.*] Traditio clavium ſymbolum eſt poteſtatis atque authoritatis in aliquem collatæ: Nam quod Eſá. 22. 22. dicitur *Tradam in manus ejus* ממשלתך *imperium tuum*, idem, ſed figuratè, his verbis ſtatim ſignificatur, *Dabo ei* מפתח *clavem domus David* Ideóq; & in Chriſti titulis & hic cenſetur, *qui habet clavem domus David*, Apoc. 3. 7. Cæterùm mirari quis poſſit qua mente Chriſtus beato Petro ſpoponderit ſe traditurum claves regni cœlorum, ſiquidem traditio clavium authoritatis, poteſtatis, juriſdictionis & imperij teſſera eſt, Chriſtus autem Apoſtolos exertè vetuerit dominari, Matth. 20. 5. *Re-*

ges terræ, &c. *Vos autem non ſic.* Sed hęc facilè conciliantur. Primùm enim clavium traditio non quamvis poteſtatem, juriſdictionem & imperium ſignificat, ſed eam quæ ſit promicundi, quæ pro familiæ conditione diverſâ, diverſa & ipſa eſſe debet. Neque verò omnem Apoſtolis ademit Chriſtus authoritatem (eam ijs tribuit quæ ſumma eſt in terris Ioh. 20. 21) ſed Regiam duntaxat, quæ ſcilicet ſummi Magiſtratus propria eſt, ne obtentu ſpiritualis poteſtatis, quam illi datam à Chriſto ſanè maximam habuerunt, in Regum jura invaderent. Etſi verò clavium traditio politicæ cujuſdam poteſtatis ſymbolum duntaxat fuiſſet hac locutione tamen haud continuò cenſendus foret Chriſtus Petrum conſtituiſſe Dominatorem. Nimirum, Dominus noſter dum αἰνιγματωδέστερον de ſtatu regni ſui, deque Apoſtolorum in eo dignitate loquitur, qualis demum is ſtatus ſit futurus, id verò ſolet ſubinnuere verbis Regum & regiorum miniſtrorum dignitatem, potiùs quàm ſpiritualem Eccleſiæ ſtatum ſignificantibus: *Vos*, inquit, *judicabitis 12. Tribus Iſraëlis, ſedentes in 12. thronis*, Matth. 19. 28. & Luc. 22. 30. Etiam illud obſervatu haudquaquam eſt indignum, quod clavium traditione Doctorum apud Iudæos inauguratio veteri inſtituto peragebatur; argumento vel illud ſit, quod tradunt de R. Samuele, כתנו מפתחו ופנקסו בארונו מפני שלא זכה לבן ad quam conſuetudinem Dominus hoc loco videtur reſpexiſſe.

℣. 19. καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς, &c.] Hæc jam nova eſt figura, & à priori diverſa. Poſtquam enim Dominus Petro promiſit claves regni cœlorum, conſequens videbatur ut ſtatim adderet, καὶ ὃ ἐὰν κλείσῃς, &c. *quodcumque clauſeris ſuper terram, erit clauſum in cœlis.* Sed iſta tamen reverâ haud quadraſſent. Neque verò veriſſimile eſt Dominum hanc Petri dignitatem, verbis quæ Commentarienſis munus propriè ſignificant, dehoneſtare voluiſſe. Iam ſi ſpectemus quis fuerit finis poteſtatis quam hîc Petro ſe daturum Dominus promittit, res non erit obſcura. Scribæ, Phariſæi, etiam inter Ethnicos ſuperſtitioſi Hierophantæ, hominum animos perversâ quadam religione vinctos tenebant, dum de vera interim eos juberent eſſe ſecuros, vel certè eam ſecuritatem diſſimularent. Petri & Apoſtolorum erat ſuperſtitione quidem exolvere, contra verâ religione mentem humanam obſtringere: dum ea cum authoritate præſcribunt, quæ Deus ipſe præſcripſit, vetantque quæ is vetuit, obſequentibus interim veniam & beatam immortalitatem promittentes, contumacibus verò denunciantes æternos cruciatus, tam certo eventu quàm ſi Deus voce cœlitùs emiſsâ id foret teſtatus. In quo mihi Dominus videtur alluſiſſe ad Phariſæorum morem, qui ſibi *ligandi* & *ſolvendi* poteſtatem tribuebant. Itaque eorum poſteri, quod illi nefas eſſe voluerunt, id אסור *ligatum*, contráque quod illi jus faſque eſſe juſſerunt, id כתר *ſolutum* vocant. Itaque אסרים *ligantes*, &

rutſus מתירים *ſolventes* dicuntur. Id verò Chriſtus haud dubiè notavit, dum Matth. 23. 4. dicit de Phariſæis, *ligant onera gravia & δυσβάστακτα*. Sanè Ioſephus lib. 1. de bello Iud. cap. 4. Phariſçorum potentiam in rebus civilibus ijſdem fermè verbis deſcribit, quibus Chriſtus Petrum compellans eſt uſus, *Mox*, inquit, *omnia pro arbitrio adminiſtrabant*, διώκειν τε καὶ κατάγειν οὓς ἐθέλοιεν λύειν καὶ δεῖν, hoc eſt, *ita ut quos libebat in exilium pellerent, vel ab exilio revocarent, in carcerem conijcerent, vel vinculis ſolverent*. Sed alia mente & locutione diverſa, alia enim eſt hæc locutio, ὃ ἐὰν λύσῃς, ὃ ἐὰν δήσῃς; alia verò iſta, οὓς ἐὰν λύσῃς, οὓς ἐὰν δήσῃς; nempe, hac locutione de perſonis, illa de rebus potiſſimum agi videtur. Vide & quæ notamus infra ad cap. 18. ℣. 18.

℣. 20. τότε διεστείλατο.] Non *ſimpliciter juſſit*, ſeu *prohibuit*, ſed *graviter interdixit*, ſignificat hoc verbum: Διαστέλλειν enim propriè eſt *dividere & diducere*, ubi contra συστέλλειν *contrahere*, & quaſi *condenſare* ſignificat. Vnde poſtmodum διαστέλλειν dicitur de præcepto aliquo ſingulari (quo ſcilicet aliquid præcipitur, vel prohibetur) & ab alijs diſtincto, & quaſi diviſo ac ſeparato. Atque hic eſt uſus hujus verbi in Novo Teſtamento rarò apud prophanos & exoticos Scriptores ea ſignificatione occurrit. Sed videtur hoc Chriſti interdictum pugnare primò cum ejus bonitate, deinde cum ejus Sapientia. Ac cum bonitate quidem, quia Chriſtus hoc interdicto videtur impedire fidem, fides enim in hominum animis ingeneratur per prædicationem Evangelij, quam Chriſtus impedire videtur, quum vetat ſuis Diſcipulis ne dicant ſe eſſe Chriſtum, quæ ſumma eſt Evangelij. Verùm aliud eſt *credere in Meſſiam*, aliud vero *credere hunc ſingularem hominem eſſe Meſſiam*, ſic aliud eſt ſcire, *Quid* ſeu *qualis ſit Meſſias*, ſive noſſe *eſſe Chriſtum redemptorem*, aliud verò *quis ſit Meſſias*, hoc eſt, ſcire hunc hominem eſſe Meſſiam. Iam verò Chriſtus non interdicit Diſcipulis prędicationem Meſſiæ, hoc eſt, non vetat ne dicant eſſe aliquem Redemptorem, hæc enim fuit doctrina in Iſraële notiſſima, ſed prohibet duntaxat ne dicerent ſe eſſe Meſſiam & Redemptorem illum. Hoc autem non pugnat cum Chriſti bonitate, ſiquidem tum, ante Chriſtum ſcilicet manifeſtatum, potuit ſalus obtingere credentibus eſſe Meſſiam, etiamſi nondum crederent hunc hominem, Ieſum Nazarenum puta, eſſe Meſſiam, utpote qui nondum illis eſſet manifeſtatus, quomodo fideles ſub Lege fide in venturum Meſſiam ſervabantur, etſi nondum ſcirent quis futurus eſſet ille Meſſias. Et Cornelius Centurio priuſquam Petrum audiviſſet, non ignorabat eſſe Meſſiam, nam hoc edoctus erat à Iudæis, quibus nomen ſuum jam dederat; nondum tamen ſciebat quis eſſet ille Meſſias: quare tum habuit excuſabilem de Chriſto ignorantiam, ac propterea ſervari potuiſſet per fidem illam quam

tum habebat de Messia venturo. Verùm si post auditam Petri prædicationem, idem non credidisset Iesum esse Messiam, ignorantia ejus fuisset affectata, nec servari potuisset ex generali, quam de Messia habebat, fide. Sic Iudæi post auditum Christum & ejus Apostolos, nullam habuerunt justam excusationem si in Christum non crediderunt, ignorantia enim eorum affectata fuit, & profecta ex malitia. Ita videmus ignorari interdum posse sine peccato quis sit Messias, posséque aliquem salvum fieri etsi non credat hunc esse Messiam, modò ne sit affectata ejus ignorantia. Vnde liquet Christum hoc suo interdicto non impedire fidem, quando eam fidem non impedit perquam potest quis consequi salutem. Sic non pugnat hoc interdictum cum ejus bonitate. Sed pugnare videtur cum ejus Sapientia: nam jam anteà amandarat Discipulos ad prędicandum Evangelium, ut patet ex cap. 10. ℣. 6. 7. hujus Evangelij. Itaque hoc interdicto videtur mutasse consilium quod non est Sapientis. Verùm, Christus non priùs Discipulos emiserat ad prędicandum Evangelium propriè dictum, ipse hoc sibi servabat (quod est observandum:) Christo enim vivente adhuc, ipsi fuerunt tantùm Discipuli, jam autem Discipuli non est, vivente & vidente Magistro, docere. Emiserat quidem jam anteà eos Christus, sed ut auditores & Discipulos sibi pararent: Non itaque propriè loquendo docebant in prima illa legatione Apostoli, sed animos potiùs hominum erigebant, & præparabant in adventum Messiæ, quod vel ex verbis Christi ad ipsos liquet, Matth. 10. 23. *priusquam peragraveritis urbes Israëlis veniet filius hominis*, significans se ad hoc eos mittere, ut adventum suum hominibus nunciarent. Sed *cur tandem*, inquiet aliquis, *& quo consilio Christus noluit Discipulos suos tum prædicare Evangelium.* Multi multa hîc dicunt. Nos simpliciter respondemus, primò, id ab eo factum quia Discipuli instante Christi morte, & conturbatis ob eam ipsorum animis, non erant tum idonei tantæ rei prædicatores. Nam quos Deus mittit ad insigne aliquod facinus, eosdem etiam simul armat insigni vi & robore Spiritus, nec vult quemquam mittere qui non sit sibi conscius idonei roboris: Quare, nondum misso planè Spiritu Sancto non erant Discipuli ad rem tantam satis idonei. Secundò, cùm Christus Discipulos esset brevi relicturus, noluit eos eâ onerare invidiâ quam necessariò affert secum Evangelij prędicatio; sed eos voluit expectare donec validè essent corroborati à Spiritu Sancto quod tum demum factum est, quum post ascensum ejus in cœlum missus est in eos Spiritus Sanctus. Atque in hoc elucet Christi in Discipulos charitas, quos quandiu cum ijs fuit & convixit, fovit impensè: unde etiam eos interrogat, *Quamdiu fui vobiscum, & misi vos absque crumena* &c. *numquid defuit vobis? Ipsi verò dixerunt*, *Nihil. At nunc*, *inquam*, *qui crumenam habet sumat eam*, *similiter & peram*, &c. Luc.

22. 35. innuens eos longè duriùs habitum iri, postquam ab ijs recessisset.

℣. 27. μέλλει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.] Vbiquitarij putant hoc loco Christo, quatenus est homo, tribui Majestatem, gloriam atque potestatem divinam, utpote cui tribuitur hîc potestas judicandi mundum, & unicuique reddendi secundùm opera ejus. Quod si potestas illi tribuitur divina quâ homo, sequitur & potentiam divinam illi, quâ homo est, convenire; potestas enim potentiam prçsupponit necessariò. Si divina potentia, seu omnipotentia illi convenit quâ homo, certè & omnipręsentia illi conveniet, nulla enim ratio est, cur una magis quàm alia proprietas divina illi competat. At verò per *filium hominis* non intelligitur hic aut alibi natura Christi humana, sed persona munere Mediatorio ornata, neque eo significatur naturam humanam Christi potestate infinita esse donatam, sed hoc duntaxat, personam eo munere ornatam potestate judicandi omnes homines infinita esse prçditam; Christo nempe Mediatori, qui neque est simpliciter homo, neque etiam simpliciter Deus, sed θεάνθρωπος, data est illa potestas infinita.

Ibid. καὶ τότε ἀποδώσει ἑκάστῳ, &c.] Hoc avidè arripiunt Pontificij ut hinc adstruant operum suorum meritum. At verò Apostolus Rom. 11. 35. disertè negat Deum quicquam cuiquam reddere, *quis illi dedit prior,* καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ, *& reddetur ei?* Quî ista conciliabuntur? Nempe, Deus homini nihil propriè loquendo debet; dominium enim habet in creaturam suam absolutum, quod non ullis nititur in hominem collatis beneficijs, sed essentiæ & potestatis ὑπεροχῇ. Deus itaque dicitur homini retribuere non propriè, sed ἀνθρωποπαθῶς, quum stat promissis, quæ aliqua nituntur conditione. Alia est hac in parte Dei, alia hominum ratio: homo homini retribuere propriè dicitur, quia homo homini debet, & potest aliquod vicissim ab eo accipere beneficium verbi gratiâ, etiam pater potest aliquid debere filio, quia filius non omnia habet à patre, ingenium, puta, indolem, industriam, & ea quæ labore, diligentiâ, & propriâ industriâ sibi paravit, quæ omnia non à patre propriè, sed à Deo accepit. Deus autem omnia dedit creaturæ & ipsa à Deo in solidum habet quicquid habet. Deus itaque nemini quicquam propriè reddit, quia nemini quicquam debet, nihil enim à quoquam potest accipere, quod rationem habere possit beneficij: quod si debet, non aliter debet, quàm quia se constituit promissis suis debitorem, atque tum reddere dicitur, quum ea præstat quæ promisit. Retributio itaque humana est propriè dicta retributio, diuina verò impropriè, metaphoricè & ἀνθρωποπαθῶς tantùm dicta retributio, quia id reddit ad quod voluit sese promissis obstringere, cùm tamen minimè teneretur, siquidem absolutum habet dominium.

Ibid. κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ.] Ergo, inquiunt Pontificij non ex fide sola, sed etiam ex operibus justificatur homo. Sed primò observandum est,

Deum agere cum homine vel ex Lege, vel ex Evangelio, Lex autem est justitiæ, Evangelium misericordiæ, quæ non possunt in uno eodémq; subjecto convenire, nam qui experitur justitiam, non sentit vim misericordiæ, & contrà, qui misericordiam experitur, non sentit vim justitiæ. Si agit nobiscum ex Lege sumus omnes legis violatæ rei. Itaque si nobis experiendum est judicium secundùm Legem, certa nobis imminet pernicies. Non dat ergo Deus vitam secundùm Legem, sed secundùm Evangelium, quod est misericordiæ. Secundò observandum est, nullam esse proportionem vitæ æternæ & operum nostrorum, quod probatur ex Apostolo, qui Rom. 8. 18. ait, *τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ non esse ἀντάξια, æquiparanda gloriæ illi quæ in nobis est revelanda.* Tertiò observandum est, si judicium institueretur ex operibus fore ut duo sequerentur absurda, primum est, judicium de alijs futurum esse ex operibus: de alijs verò non esse futurum ex operibus; Christus enim quum more humano ultimum describit judicium hanc rationem reddit sententiæ suæ, *quia esurivi & cibastis me,* &c. Erunt igitur aliqui qui subvenerunt; alij verò quibus subventum est. Hi ergo quibus ab alijs subventum est. Quid fecerunt cujus ratione regnum ipsis à Christo datur? Christus enim non commemorat eos quidquam fecisse. Alterum absurdum quod sequeretur, hoc est, nempe futurum esse ut nonnulli judicentur ex operibus qui nullo opere defuncti sunt, ut sunt illi qui in ultima vitæ linea resipuerunt: quodnam enim potest esse illorum opus, nisi affectum ipsorum pro opere sumas. His ita positis & constitutis, Respondeo ad illam Pontificiorum ex hoc loco objectionem, ideò in extremo judicio fieri operum, non verò fidei mentionem, quia tum pij non secum comparabuntur, sed cum impijs. Si enim compararentur secum, actum omnino esset de ipsis, siquidem peccata eorum innumera sunt, & immensi ponderis, si cum bonis ipsorum operibus conferantur. Iustificatio fidelium fit in hac vita (non differtur in ultimum judicium, fit enim ad pacandam conscientiam) quando illi fide Deum sibi in Christo reconciliatum respiciunt: atque in hac justificatione fideles secum comparantur, instituunt nempe collationem sanctitatis suæ cum Lege Dei, quo fit ut cùm se videant damnatos per Legem, confugiant ad Christum, & ad Dei misericordiam in Iesu Christo. In futuro autem judicio non secum amplius comparabuntur, sed cum impijs; quia cùm fideles jam resipuerint in hac vita, & per Christum justificati sint, deletáque eorum omnia opera mala, Deus peccatorum ipsorum non ampliùs rationem habebit, ac propterea nulla instituetur comparatio peccatorum & bonorum operum quæ fecerunt, quæ sanè si institueretur nihil possent expectare fideles præter mortem æternam. ℞. Secundò, in extremo judicio instituetur comparatio causæ cum causa; causæ, inquam, piorum cum causa impiorum, quod docet Apo-

ſtolus 2. Theſſal. 1. 6. 7. & Chriſtus Luc. 16. 25. in Parabola Lazari & Epulonis, non enim inſtituitur illud judicium ut conſcientia pacetur, ſed ut cauſa piorum cum impiorum cauſa comparetur. ℞. Tertiò, Scriptura aliter loquitur de juſtificando & reconciliando, aliter de juſtificato & reconciliato. Quum de juſtificando loquitur meminit tantùm fidei, quia ſi meminiſſet operum, nemo non terreretur ob ingentia ſua peccata, at fides erigit conſcientiam jacentem, & ad pœnitentiam invitat. Vbi verò Scriptura loquitur de reconciliato, proponit illi vitam tanquam bonorum operum mercedem, non ut nitatur operibus tanquam causâ vitæ, ſed ut ſtatuat non ſibi eſſe remiſſa peccata ut iterum vivat in peccatis, neque fide aperiri feneſtram ad otium; ſed contrà, ſolamen fidei proponi ut alacriùs capeſſat ſtudium juſtitiæ & pietatis, juxta illud Davidis, *Eſt apud te miſericordia ut te revereamur*, Pſal. 130. 4.

In MATTH. Cap. XVII. ✝. 10.

ὅτι Ἠλίαν ἐλθεῖν δεῖ πρῶτον.] Illud πρῶτον *primùm* non eſt intelligendum, neque Diſcipuli intellexerunt, de die Iudicij, ut ſit ſenſus, *Quomodo Scribæ dicunt fore ut Elias veniat ante diem judicij*, quod volunt tamen Pontificij. Eſt enim hęc interrogatio conjungenda cum ijs quæ præcedunt, non autem cohæreret cum ijs illo ſenſu; nam proximè præcedit interdictum quo Chriſtus vetat ne divulgent viſionem: ex illo igitur interdicto nata eſt hujus quæſtionis occaſio. Nempè, cùm inter Iudæos conſtaret ex doctrina Scribarum & occaſione Prophetiæ quæ eſt Malachiæ cap 4. Eliam venturum paulò ante Meſſiæ adventum, cúmque Diſcipuli Chriſti exiſtimarent illam Malachiæ Prophetiam de Eliæ adventu impletam eſſe in viſione iſta quæ facta eſt in monte, mirati ſunt cur Chriſtus vetaret ne ulli narrarent hanc viſionem, putabant nempe hoc futurum eſſe efficaciſſimum argumentum quo Iudęi adducendi erant ad Chriſtum agnoſcendum pro Meſſia, ſi omnibus evulgarent ſe vidiſſe Eliam in monte cum Chriſto colloquentem. Mirantur itaque cur Chriſtus interdicat illis ne hoc evulgarent.

✝. 11. Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει τὰ πάντα.] Pontificij & Iudęi negant Eliam illum, cujus ſit mentio Malach. 3. 1. & cap. 4. 5. 6. veniſſe, nos cum Chriſto ✝. 12. hujus capitis, dicimus veniſſe. Pontificiorum argumenta hæc ſunt, primò aiunt Iohannem Baptiſtam, cùm quærerent ex eo Iudæi an eſſet Elias, reſpondiſſe ſe non eſſe Eliam, Ioh. 1. 21. Reſpondeo Iudæi quæſiverant ab eo an eſſet is Elias quem ſibi finxerant Iudęi: Itaque rectè negavit ſe eſſe Eliam, ex eorum ſcilicet mente, & talem qualem ſibi fingebant Eliam, cui ſcilicet Deus novum corpus creaturus eſſet ante diem ultimi Iudicij. Sic cùm Chriſtus ab aliquo appellatus eſſet bonus, tacitè negavit ſe eſſe bonum (*cur me*, inquit, *bonum vocas?*) nempe ex mente illius Scribæ, qui cum ita com-

pellaverat ac si Christus merus esset homo. Secundò dicunt, Christum hîc dicere, *Eliam venturum & restituturum esse omnia*: hoc itaque intelligendum esse nolunt de Iohanne Baptista, qui jam venerat, sed de vero Elia, quem venturum adhuc somniant. Resp. primò, Christus Malachiæ prophetiam primùm adfert his verbis, Ἠλίας μὲν ἔρχεται, &c. tum deinde eam explicat, quum subjicit, *sed dico vobis jam venisse*. Resp. Secundò, ἔρχεται non modò significat illum qui venit, aut qui venturus est, sed etiam qui debuerat venire, ut sit sensus, Ἠλίας ἔρχεται, hoc est? *Elias is est qui debuerat venire, cæterùm jam venit.* Sic Matth. 11. 3. Iohannis discipuli Christum interrogant, σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, hoc est, *es-ne tu is qui venturus erat*, seu, *quem oportuerat venire?* Tertiò, aiunt, Elias Malach. 4. dicitur *venturus ante terribilem & metuendum Domini diem.* At prior Christi adventus, quem præcessit Ioh. Baptista, non fuit terribilis. Resp. Etiam prior Christi adventus in Scriptura dicitur terribilis. Nam Act. 2. 17. Petrus verba quæ habentur Ioel. cap. 2. de priori Christi adventu interpretatur. Quin & ipse Ioannes Baptista dicit se esse nuntium illius terribilis diei, quum ait; *Securim* esse admotam radici, &c. Quartò, aiunt, Elias omnia restituet. At Ioh. Baptista non omnia restituit. Resp. Minor ista contradicit Angelo, qui Luc. 1. 16. 17. eadem de Iohanne Baptista usurpat quæ Malachias cap. 4. de Elia. Item Zachariæ, qui idipsum de filio suo vaticinatus est repletus Spiritu Sancto, *Convertet corda Patrum*, &c. Ioannes ergo dicitur *omnia restituisse*, quomodo dicitur *convertisse corda filiorum*, &c. hoc autem non fecit plenè & perfectè, nam sunt etiamnum, eruntque semper impij. Ergo, neque intelligendum est eum omnia plenè restituturum, sed comparatè ad statum Ecclesiæ præcedentium temporum sub Vetere Testamento. Vltimò dicunt, Discipuli Christi intellexerunt verum Eliam; Ergo quum Christus dicit Ἠλίας ἔρχεται, intellexit Eliam verè & propriè dictum. Resp. Primò quidem, quum Discipuli interrogarunt Christum, putabant ipsum verè & propriè dictum Eliam venturum, sed hunc ipsis abstulit errorem Christus, quum ait, *Ego verò dico vobis Eliam jam venisse*, unde subjicitur, *Discipulos intellexisse eum de Iohanne Baptista esse locutum.*

Iudæorum primum argumentum, hoc est, dura est & ridicula interpretatio, *Veniet Elias*, hoc est, Veniet aliquis qui non est Elias, nempe Iohannes Baptista. Resp. primò, Iohannes Baptista eodem modo dicitur Elias, quo Messias dicitur David, Oseæ cap. 3. 5. Resp. secundò, Iohannem Baptistam dici Eliam, quia venit *in spiritu & virtute Eliæ*, & magna sane fuit similitudo inter Iohannem Baptistam & Eliam. Secundum Iudæorum argumentum. Elias debuit precedere proximè diem judicij, debuit enim præcedere *diem terribilem Domini.* At Iohannes Baptista non proximè precessit diem judicij. Resp. Duplex est judicium,

cium, alterum *Vniversale* totius mundi, alterum *particulare* mundi (ut ita dicam) Israëlitici, quorum alterum alterius est typus. Mundus autem Israëliticus (hoc est Iudęorum Respublica) totus jam est deletus, novum cœlum, nova terra jam sunt facta. Hoc judicium particulare debuit pręcedere Iohannes Baptista (non verò *Vniversale* mundi) & revera præcessit. Tertium Iudęorum argumentum. Eliæ debuit esse magna authoritas, Iohannis Baptistæ non magna fuit authoritas. Ergo non est Elias. Resp. Imò verò magna fuit Iohannis Baptistæ apud Iudęos authoritas, & longè major quàm ipsius Christi, ut patet ex Iosepho, qui Iohannis Baptistæ pręclaram facit mentionem.

Argumenta nostra quibus probamus Iohannem Baptistam esse Eliam, quem Malachias prædixit venturum hæc sunt; primùm adversus Pontificios. Nisi Iohannes Baptista sit Elias, Elias nondum venit: At Elias venit, teste Christo hoc loco, ℣. 12. Ηλίας ἤδη ἦλθε. Ergo. Secundum argumentum. Christus Matth. 11.4. postquam de Iohanne Baptista verba fecit, subjicit, *Etsi vultis recipere, ipse est Elias qui venturus erat,* quo clarius nihil dici potest. Et hîc, ℣. 13. τότε συνῆκαν οἱ μαθηταὶ, ὅτι περὶ Ἰωάννου Βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς. Contra Iudęos sic argumentamur. Primùm Elias debuit omnia restituere, Malach. 4. 6. השיב לב אבות *convertet corda Patrum ad filios*, &c. Ergo non debuit statim sequi dies ultimi judicij, sed restitutio potiùs Ecclesiæ per pœnitentiam. Secundum argumentum. Finis restaurationis illius describitur à Malachia, *Ne veniam & feriam anathemate terram.* Iam verò quoties hæc vox *Terra* in Vetere Testamento reperitur sine adjectione, toties significatur terra Israëlis. Itaque non agit Propheta de exitio totius terræ in extremo Iudicio, sed tantùm de clade Iudaïca, si perstent in contemptu oblatæ Gratiæ. Tertium agumentum. Iudęi fatentur agi de Elia sub initio capitis 3. Malachiæ. Atqui eo loco agitur de primo adventu Messię, etenim pollicetur Deus, *se missurum Angelum suum*, &c. *& tunc venturum Dominum in Templum suum.* Hæc non possunt intelligi de die extremi judicij.

Ibid. ἀποκαταστήσει πάντα.] Quomodo id debeat accipi, nempe non simpliciter, absolutè, & perfectè, sed comparatè ad statum Ecçlesiæ pręcedentem, modò jam indicavimus. Porrò tanta fuit efficacia officij Iohannis Baptistæ, ut tota Iudęa, imò & ipsi Pharisęi prodirent in desertum ut baptizarentur à Iohanne; magna etiam fuit ejus authoritas apud plebem, uti liquet ex Matth. 21. 26. At interfectus est ab Herode. Verùm est, sed sibi inde metuebat Herodes à plebe, apud quam Iohannes in magna erat existimatione.

℣. 15. σεληνιάζεται.] Atqui mox infrà ℣. 18. dicitur habuisse dęmonium. Iam cum suprà cap. 4. 24. Matthæus ipse distinguat Lunaticos ab arreptitijs, cúmque affectus Lunaticorum notatus suo nomine non pos-

crebræ sint hortationes ad orandum, nullus est locus quo Spiritus nos hortetur ad ieiunandum, non quod non laudetur ieiunium in N Testamento, sed quum excitandi sumus ad officia veræ pietatis, nunquam nos hortatur Spiritus ad ieiunandum. Imo verò dum Matth. 9 11. Pharisæi Christum interrogant, cur eius Discipuli non ieiunent, respondit Christus tuendo factum Discipulorum, quod non fecisset, si ieiunium pars esset veræ pietatis & cultus Dei. Ergo si quando in Novo Testamento laudatur ieiunium, hoc fit non ob ipsum ieiunium, sed ob adiunctas ieiunio preces: Nempe ieiunii religiosi (nam de eo hîc sermo est) finis est ut animus sit magis aptus ad orandum, legendum, vel audiendum Dei verbum:itaque non est adhibendum ieiunium quod mentem præpedit, atque hîc est adhibenda prudentia Christiana, ut unusquisque ita utatur ieiunio ut non obsit mentis iudicio, sed prosit, illudque iuvet. Potest ergo quidem ieiunium nos aptiores reddere ad Deum colendum, sed non potest esse pars cultus illius, non magis quàm lachrymæ & fletus. At Orationis diversa est ratio, est enim oratio pars cultus divini, in qua plurima sunt quibus Deus mirificè delectatur. Non est ergo idem ieiunii & Orationis usus in expellendis Dæmonibus. Ieiunium enim vel est ab oratione (nam qui orat seriò & cum gemitu non delectatur cibo & potu)vel tendit ad deiiciendum animum, quod necessarium est in oratione. His ita constitutis ad posterius illud quod quæsitum est, *Quo pacto ista simul stare possint, ut vi fidei ejiciantur Dæmonia, cùm tamen adhibere necesse sit jejunium & orationem.* Resp. Vtrumque verum esse, fide eiici Dæmonia, & ieiunio atque oratione etiam eiici; non sunt enim ista collateraliter opposita, sed subordinata. Itaque quæ fiunt fide operante per preces, ea non fiunt partim precibus, partim fide, sed illa fide quæ nos ad orandum impellit, fides enim promissione nititur, promissio autem nulla facta est seclusa conditione præcandi, *Petite & dabitur vobis.* Et Marc. 11. 24. *quæcumque petieritis orantes, credite vos ea accepturos, & ea fient vobis.* Quomodo ergo absurdum dictu & cogitatu foret, nos partim anima, partim manu movere aliquid loco suo, rectè autem dicitur, nos solius animæ vi per manum movere aliquid loco suo; quia manûs vis omnis est ab anima: sic ineptè dicitur, partim nos fide, partim precibus obtinere, omnis enim vis precum est à fide. Idcòque & Christus oravit dum ederet miracula, ut Iohan. cap. 11. dum excitaret Lazarum. Et Iacobus Epistolæ suæ cap. 5. orationem, qua sanantur ægroti; vocat εὐχὴν πίστεως. Rursus cùm Matth. 9. Discipuli dicantur, non ieiunasse, imò verò Christus eo loco neget iis esse ieiunandum, hic tamen Christus videatur iis objicere quod non jeiunarint, cùm exprobrat quod non potuerint eiicere Dæmonium illud, quod nonnisi jejunio & oratione ejicitur, quæritur quî ista non pugnent? Ac primò quidem dici potest, Christum

Matth. 9. non negare simpliciter Discipulos suos omninò jejunasse, sed tantùm non jejunasse τὰ πολλὰ καὶ πυκνά, quemadmodum Discipuli Ioannis, & Pharisæi, quibus hoc erat solemne. Aliud enim est sæpè & ordinariè jejunare, aliud extraordinariè: qui sæpè & ordinariè jejunant, simpliciter dici possunt jejunare; qui nonnisi rarò & extraordinariè, dici possunt etiam non jejunare. Deinde, Discipuli solebant ex tempore ejicere Dæmonia, itaque non est credibile, cùm essent ejicienda Dæmonia, eos postulasse sibi dari aliquod tempus ad jejunandum, & tum posteà eiecisse Dæmonia. Nam quod orarint sive voce sive mente extra controversiam est, sed eos jejunasse non est credibile, cùm quotidie ederent miracula. Itaque Christus hoc tantùm hîc vult, Discipulis defuisse fidem, indeque factum ut Dæmonem non potuerint ejicere, cùm Dæmonia ordinariè non ejiciantur nisi oratione & jejunio: q. d. Hoc genus Dæmoniorum ejusmodi est ut non ejiciatur nisi oratione & ieiunio, idcirco opus vobis fuit magna fide ut illud ejiceretis, nam & Iudæi ejiciebant Dæmonia jejunio & oratione. Itaque cùm Christus vellet significare quàm difficile esset eiicere Dæmonia, dixit non posse ejici nisi jejunio & oratione.

℣. 24. *οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες.*] Δίδραχμον vox est Græca, attamen usurpata à Iudæis qui scripserunt Græcè, etiam tum quum agunt de rebus Hebræorum, ut à Iosepho. Sed quid significet hoc loco non constat apud omnes, dissentiunt hîc Interpretes. Nam plerique putant agi hîc de *Capitatione* quam Romani vocabant. At stare non potest illa sententia. Primò: Nulla fit apud Iosephum mentio de ejusmodi tributo, erat quidem tùm tributum impositum familijs, quod Agrippa remisit, at non fuit id Capitatio. Et quòd affertur ex Luc. 2. jussisse Augustum describi πᾶσαν οἰκουμένην, levius est quàm ut adstruat authoritatem, quia mandatum hoc fuit universum, ut Augustus cognosceret nomen & opes populorum suorum, non verò ut tributum imponeret. Nec tributum Iudæis impositum, quod Appianus in Syriacis dicit fuisse gravissimum, huc pertinet; erat enim centesima pars bonorum uniuscujusque patrisfamilias: non ergo fuit dimidium sicli in singula capita, sed varium fuit pro rata cujusque parte bonorum. Deinde, hæc est natura hujus tributi, Capitationis, inquam, ut exigatur à nolentibus, jam verò qui exigunt hoc tributum, agunt cum Christo & Petro ac si volentes & ultrò solverent hoc tributum: sic enim compellant Petrum, *Magister vester τελεῖ τὰ δίδραχμα?* Petrus autem respondet ναί, quæ vox est συγχωρητική. Tùm etiam responsio Christi hoc arguit. Non enim videtur ratio ulla dari posse responsionis Christi si agatur de tributo quod pendebatur Cæsari, nam esset paralogismus, *Reges terræ non exigunt tributa à filijs suis, Ergo, ego non solvam.* Sic ostensum est non agi hîc de Capitatione. Sed neque de dimidio siclo quatenus interver-

sus erat à Romanis, quæ est aliorum de hoc tributo sententia. Nam primo (uti jam dictum est) agitur hîc de tributo voluntario, ad cujus solutionem nemo vi à Magistratu compellebatur. Deinde, tributum quod pendebatur Sanctuario non fuit interversum à Romanis nisi post deletam à Tito Vespasiano Hierosolymam teste Iosepho lib. 7. de bello Iudaico cap. 28. Sequitur ergo ut dicamus hîc agi de dimidio sicli quatenus dependebatur in usum sanctuarij ut erat à Deo præscriptum, Exod. 30. Quod ostenditur primò, testimonio Iosephi qui testatur tributum hoc in usum Sanctuarij pendi solitum ad deletam usque Hierosolymam. Deinde, id ipsum constat ex Christi argumentatione. *Nemo Rex tributum exigit à filio suo, Ego sum filius Regis illius qui exigit hoc tributum, Dei nempe; Itaque non teneor illud dependere.* Sunt qui negant præscriptum illud Mosis Exod. 30. de dimidio siclo esse extendendum extra tempus suum, mandatum nempe volunt fuisse temporarium, quod nonnisi semel in deserto usurpatum fuerit: Sed rationes eorum levissimæ sunt. Deinde etsi non fuisset hoc tributum (uti ipsi volunt) perpetuum, constat tamen ex scriptis Iosephi (loco suprà laudato) hoc tributum suo tempore solvi solitum eo modo quo Moses præceperat. Et in Iudæorum libris, nempe in ר״י Rambam lib. 3. qui est *de Temporibus* Tract 7. qui est *de Siclis*, mentio fit hujus consuetudinis tanquàm legis, de dependendo quotannis dimidio siclo in usum Sanctuarij. Sed objici hîc nobis potest quod suprà objecimus adversus Capitationem. Nempe dimidium sicli quod Sanctuario dependebatur non fuisse voluntarium, siquidem erat Lege impositum, quod pugnare videtur cum eo quod ab iis qui illud exigebant (qui non dicuntur Publicani, sed simpliciter οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες) quæsitum est, an Christus solveret hoc tributum. Verùm seu habeatur ratio temporis, seu loci, potuit huic quæstioni esse locus, etiam tum quum ageretur de tributo à Deo imposito. Nam primò, si loci habeamus rationem, hoc quæsitum est in Galilæa, non in Iudæa, idque Capernaumi, ubi magna fuit morum licentia, quæ si Romanis fuisset damnosa, non abiisset impunè: at quia nihil inde decedebat Romanis, sed Deo, & tum Iudæorum Respublica non modo erat attrita, sed penè excisa, potuit hæc quæstio habere locum in Galilæa & Capernaumi, nempe ubi licebat per Magistratum si non prophana, saltem sacra violare. Tum etiam, si habeamus rationem temporis, idipsum liquebit. nam eo tempore quo gesta hæc sunt, disciplina Iudæorum fuit omnis ferè soluta. Itaque Pharisæus ille qui describitur Luc. 18. deputat in magna parte gloriæ suæ quod decimas solveret, quod non fecisset si omnes fuissent coacti solvere, sed quia propter licentiam temporum pii duntaxat decimas solvebant, aut qui videri volebant sanctiores & religiosiores, ut Pharisæi, hinc fit ut in rebus à se præclarè gestis, Pharisæus nume-

ret ſolutionem Decimarum,quam nemo neget à Deo præſcriptam.Idem dici poteſt de hoc tributo dimidii ſicli, quod dependebatur in uſum Sanctuarii. At tributum Romanis debitum omnes cogebantur dependere.

℣. 26. ἄραγε ἐλεύθεροί εἰσιν, οἱ υἱοί.] Hinc Pontificii confici poſſe putant clericos, quos vocant, à ſolvendo tributo immunes à Chriſto conſtitui, utpote quod Chriſti & Apoſtolorum ejus ſucceſſores quodammodo ſint. Sed primò, ſi vera ſunt (ut ſunt) quæ ſupra à nobis diſputata ſunt de Didrachmis, futile omnino eſt quod ex hoc loco ducitur à Pontificiis argumentum: Ex iis enim fit manifeſtum, non agi hîc de tributo quod Magiſtratui ſolvi debet, ſed de dimidio ſicli quod ex præſcripto Legis Cæremonialis in uſum Sanctuarii à Iudæis pendi ſolebat: proindéque his verbis Chriſtum ſe ſolùm immunem à ſolvendo illo tributo probare. Sed dato, non conceſſo, hoc loco agi de tributo quod Magiſtratui dependebatur, & Chriſtum eo tributo ſe & Diſcipulos ſuos Apoſtolos exemiſſe, quamdiu ipſe fuit in terris, non ſequitur hoc privilegium pertinere ad ſucceſſores Apoſtolorum. Nam primò, Etiamſi Chriſtus fuerit immunis à ſolvendo tributo Magiſtratui: non ſequitur hoc privilegio debere frui de jure Miniſtros Dei in Eccleſia. Deinde, etiamſi Apoſtoli Chriſti immunes fuiſſent vivente Chriſto à ſolvendo tributo, non inde ſequitur, hoc privilegium ſucceſſoribus Apoſtolorum convenire, quæ duo hîc ſigillatim demonſtranda ſunt. Et ad prius quidem quod attinet, Chriſtus non fuit obnoxius ulli Regi niſi κατ' οἰκονομίαν, quia nempe illi ita libuit; erat enim, etiam quâ homo, præditus ea dignitate (nempe quâ Mediator) quæ omnem humanam ſuperat dignitatem. Itaque quod Chriſto conveniebat non continuò reliquis hominibus convenit, niſi quis mortalium ſit qui ſibi idem poſſit tribuere quod Chriſtus. Nec obſtat quod Chriſtus fuit homo, proindéque obnoxius ſecundæ Tabulæ Legis. Sunt enim quædam præcepta ſecundæ Tabulæ quæ non conveniunt homini in univerſum, ſed tali homini, & certis quibuſdam hominibus. Magiſtratus non debet Magiſtratui obedientiam, (ſed ſubditi) neque enim par in parem habet imperium. Iam vero Chriſtus etſi homo, tamen quia Dei & hominum Mediator, ejuſmodi fuit perſona in quam Magiſtratus nullum jus obtinere debuit: certè Chriſtus non tenebatur (ſiquidem voluiſſet uti iure ſuo) parêre Magiſtratui; quia etiamſi homo fuit, nec Magiſtratus ipſe fuit, attamen dignitas eius longè fuit amplior, eius poteſtas multo maior quàm ſi fuiſſet Magiſtratus. Itaque ex eo quod Chriſtus immunis fuerit à ſolvendo tributo non ſequitur ullos mortales eſſe immunes. Iam ad poſterius illud quod attinet, id inde manifeſtum eſt, Diſcipuli (quandiu Chriſtus agebat in terra) erant Chriſti veluti familia, etiam ſecundùm carnem: Itaque quæ Chriſti dignitas effecit ut eſſet immunis à tributo, eadem id ipſum præſtitit erga familiam, & effecit ut

etiam Discipuli immunes essent ab eo: At Christo iam subvecto in cælum nulla est eius hîc in terris secundùm carnem familia. Vt res clarior fiat notandum est, Christum cùm ageret in terris, etiam secundùm carnem præ se tulisse speciem quandam regiam: itaque Discipuli eius ei famulantur etiam secundùm carnem, obeunt quædam ministeria, imo omnia ferè: indéque factum ut Christus Hierosolymam ingressus sit non sine pompa quasi regia, quamvis illa species in Christo fuerit abiecta, non enim erant Discipuli eius purpurati aulici, nec ipse ingressus est Hierosolymam invectus quadrigis sed asino. At iam cùm status rerum sit immutatus, & Christus non sit iam in terris neque hîc familiam habeat secundùm carnem, licet Discipuli eius fuissent tum immunes à tributo, non potest tamen id trahi in exemplum. Omnes sanè, quotquot sumus Christiani, tenemur Christum sequi, esse ministri Christi, illi ministrare, at non secundùm carnem, sed secundùm Spiritum. Dum Christus erat in terris, non omnes tenebantur eum sequi, & ministrare illi secundùm carnem, sed quibus ab eo præceptum fuit. Itaque privilegia Apostolorum hac in parte non pertinent ad successores Apostolorum.

℣. 27. *δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ.*] Hinc Pontificii confici posse putant, Christum aliquam Petro asseruisse præ reliquis Apostolis authoritatem, siquidem pro se & pro Petro tributum solvit, non item pro reliquis. Nempe illi hoc volunt, tributum non solere pendi nisi à Patribusfamilias. Ergo, hoc pacto Christum indicasse Petrum esse Patremfamilias, reliquos autem Apostolos esse sub eo ut filios, vel servos in domo. Sed nihil est vanius hoc argumento si perpendamus ea quæ diximus de tributo hoc, quod probavimus fuisse dimidium sicli quod dependebatur Sanctuario: pendebatur autem hoc tributum à singulis qui annum vigesimum excessissent. Itaque iuxta expositionem istam concidit planè argumentum istud Adversariorum. Sed & responderi potest, Christum ideo pro se & Petro, non item pro aliis solvisse, quia Petrus habebat familiam Capernaumi, unde & socrum eius isthic sanavit à febre, reliqui autem Discipuli familiam isthic suam non habebant Item responderi potest, fortasse reliquos Apostolos abfuisse, nam de duobus hîc tantùm sermo est, fortasse & pro reliquis solvit, licet Evangelista non meminerit.

In MATTH. Cap. XVIII ℣. 1.

ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν.] *Regnum cælorum* hîc, & ubique in Evangelio, est Christi regnum (quod & *regnum Dei* dicitur) sive status & conditio Ecclesiæ quæ propriè Christiana dicitur. Sic nempe à Iudæis dicebatur *Messiæ regnum* quod ab ipsis expectabatur, etiamnumque hodie à Iudæorum Rabbinis regnum Messiæ vocatur מלכות השמים *regnum cælorum*, quod videre est passim in eorum scriptis. *Cælorum*

autem

autem regnum dicitur; primò, quia Rex, qui hoc regno potitur, non est terrenus è terra, sed cœlestis è cœlo. Secundò, quia sedes ejus non est in terra, sed in cœlis, illinc regnat, inde exerit vim & potentiam suam. Tertiò, quia ejus subditi, fideles nempe, etsi quoad naturæ conditionem sint terreni & animales, tamen, postquam cooptati sunt in hoc regnum, fiunt cœlestes & spirituales; nam qualis est Rex tales facit & subditos suos. Itaque etsi fideles versentur in terris, eorum tamen πολίτευμα est in cœlis. Quartò, Sedes certa subditorum hujus regni non est alibi quàm in cœlo: Itaque in terra versantur ut peregrini; habenturque à mundo pro exteris. Denique, hoc Christi regnum cœleste est propter rationem gubernationis, quæ tota cœlestis est, & spiritualis. Porrò regni Christi duplex status est, *gloriæ* scilicet & *gratiæ*. Status gratiæ est in quo Christus per peccatorum remissionem, per sanctificationem Spiritus, per hostium suorum cladem temporalem, ad Ecclesiam liberandam, exerit (etiam in hac vita) potentiam, sapientiam, misericordiam, & justitiam suam. Status gloriæ est in quo Christus participes facit gloriæ suæ Electos suos, & contrà, hostes non afficit pœnis temporalibus, ut in hac vita, sed pessumdat & æterno exitio devovet. Vnde factum est ut in Scriptura *regni Dei* nomen aliquando significet statum gratiæ, aliquando verò, & quidem plerumque statum gloriæ. Cęterùm quum hîc quærunt Discipuli à Christo, *quis sit futurus maximus in regno cœlorum*, non videntur intellexisse regnum illud spirituale & cœleste Christi, sed regnum terrenum & temporale Messiæ quale expectabant, & animo concipiebant tùm temporis Iudęi; dum enim Christus Discipulos reprehendit quod istud quæsierint, non objicit illis curiositatem, quasi quęrerent, quinam sint illi quos Deus in Ecclesia tum militante, tum triumphante, donis suis maximè locupletaturus sit, sed fastum & superbiam potiùs, atque immodicum studium inanis gloriæ illis objicit, siquidem jam anteà contenderant de Primatu inter se.

℣. 2. *προσκαλεσάμενος παιδίον.*] Παιδίον hoc loco eodem sensu usurpatur, quo cap. 1. Matth. ubi jubet Angelus Iosepho *παραλαβεῖν τὸ παιδίον.* Nam si de puero hîc agitur, nullus est ferè adeò ingenuus puer ut accedens ad ætatem illam quæ adolescentia dicitur, possit esse idoneum exemplum hujus humilitatis & simplicitatis ad quam Christus suos hortatur. Nec obstat quod dicitur Christus advocasse puerulum, nam apud Marcum cap. 9, 36. Christus dicitur *λαβὼν sumpsisse* puerulum; & apud Lucam multò *ἐμφατικώτερον apprehendisse puerulum injecta manu*, *ἐπιλαβόμενος* Gręcè, & pertinebat sanè ad suavitatem illam affectus Christi puerulum lactentem blandè compellare. Similis est iste locus cap. sequenti ℣. 13. *προσηνέχθη αὐτῷ τὰ παιδία*, & *ἄφετε τὰ παιδία*, ubi pro voce *παιδία* Lucas cap. 18. 15. usurpat *βρέφη*, quod Gręcè significat *pueros lacten-*

tes, aitque Christum προσκαλέσασθαι *advocasse* illa βρέφη, ut nemo hinc, quod Christus istos puerulos hîc advocasse ad se dicitur, possit colligere necessariò puerulos illos habuisse dum usum rationis. Itaque non pugnant inter se Evangelistæ, quum eorum unus ait Christum προσκαλέσασθαι, alij verò λαβεῖν, vel ἐπιλαβέσθαι παιδίον.

℣. 3. ἐὰν μὴ στραφῆτε.] Non dicit ἐπιστραφῆτε, sed simpliciter στραφῆτε; nam ἐπιστροφὴ non significat simpliciter *mutationem*, sed *pœnitentiam*, in Scriptura. Hîc autem etsi pœnitentiæ locus fuit, tamen Christus noluit hoc significare. sed tantum mutationem ingenij & affectus. Nempe, non modò fecit hęc Discipulorum opinio de regno Christi carnali, atque hic Discipulorum fastus opinionem illam consecutus; ut Discipuli indigni essent regno cœlorum. sed etiam ut ἀσύστατον esset, ut qui sic animis essent affecti, possent esse cives regni cœlorum.

℣. 4. Τίς ἄρα ὁ μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ, &c.] Hinc ducunt Pontificij argumentum quo probent dari varios & distinctos gloriæ in cœlo gradus. At nihil opus est ut intelligamus hoc loco *regnum cœlorum* quale est in cœlis, quando nec Apostoli intelligebant illud, sed regnum cœlorum quale est in terra, ut is maximi faciendus sit qui maximè demissè de se sentit: ut hæc sit sententia responsionis Christi, *vestra vera dignitas in hoc sita est, ut quàm maximè demissè de se unusquisque vestrum sentiat.* Deinde, etiamsi de regno Dei quale est in cœlis intelligeretur hoc loco *regnum cœlorum*, ne sic quidem efficient Pontificij quod volunt, est enim Christi mos res quas magni debemus facere, nominibus earum rerum designare quas magni facimus.

℣. 7. καὶ ἀπὸ τῶν σκανδάλων.] Scandalum non unum habet nomen, nam aliquando dicitur πρόσκομμα, id est cui pes allisus offenditur, (Heb. מכשול, est enim כשל *cespitare* & cespitando *humi affligi*) aliquando παγὶς *laqueus*, Heb. פח vel מוקש, aliquando verò σκῶλον. Est autem σκῶλον lignum acuminatum desinens in cuspidem, quale cernitur in muscipulis. itaq; *scandalum* non significat simpliciter id quo quis læditur, sed id quo quis lęditur imprudens. Est autem duplex, vel *animi* vel *corporis*. Animi scandalum est cùm animus dejicitur, non sine errore in quem inductus est. Dejicitur autem animus vel quum præpeditur gaudium & pax animi, unde fit ut qui sic offenditur minus alacrem possit operam exhibere in pietatis negotio, (de hoc scandalo agit Paulus Rom. 14.15.) vel quum quis exemplo ad peccandum inducitur. Error autem qui in omni scandalo est, aliquando proficiscitur ex illius vitio cui scandalum objectum est, hoc est, qui offenditur efficit ut quod in se non est scandalum, id ei scandalum fuerit. Hoc solet dici vulgo Scandalum *acceptum*. Interdum hic error est à culpa illius qui objecit scandalum; idque tribus modis: Primò, si quis hortando induxit in errorem, cùm esset vel magna prǫditus authoritate, vel magno ingenio,

vel magnâ eloquentiâ. Secundò, peccando in moribus & vita, nam exemplo suo minus malos illexit in peccatum, improbos confirmavit. Tertiò, id fit dum quis abutitur libertate sua quæ parta est per Christum: atque hoc est illud scandalum de quo toties, & tam multis, disputat Paulus Apostolus. Abutitur autem quis libertate sua, vel dum superbè (ut insultet minùs peritis & infirmioribus) eâ utitur, vel si non quidem eo animo, sed tamen ita negligenter utatur ut sit lata culpa. Porrò non id semper eo modo fit, ut gignatur dolor aut indignatio, sed vel præcipuè quum exemplo aliquis provocatur ad ea sine fide facienda quæ alij ex fide possint facere: qua de re Apostolus Rom. cap. 14. & 1. Cor. 8. Scandalum etiam ad hunc modum distingui potest, ut aliud sit in se scandalum, seu lapsus sequatur, seu non sequatur; nam & pijs objiciuntur scandala, cùm tamen non semper labantur, impijs autem sine lapsu nullum ferè objicitur scandalum: aliud verò est scandalum quod ideò est scandalum quia lapsus secutus est. Atque istud rursus duplex est. Vel enim res est in se necessaria (ut quum Deus unus invocatur, id scandalum est apud eos qui existimant etiam creaturam invocandam esse) vel res est legitima quidem in se, attamen non necessaria: ut quum Christianus utitur libertate sua in iis rebus in quarum usu nullum est peccatum, & hoc scandalo tum impii, tum infirmi fratres offenduntur. Scandalum quod oritur ex rebus per se bonis & necessarijs non licet evitare, quia non est faciendum malum ut eveniat bonum. At rerum legitimarum, sed non necessariarum, dispar ratio est, nam si ex earum usu, propter externas circumstantias, aliquid decedit gloriæ Dei vel paci Ecclesiæ, aut Reipublicæ abstinendum est illis: non enim Deus indulget libertatem ullam contra gloriam suam, contra quietem & tranquillitatem societatis humanæ.

Ibid. ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκανδ.] Videndum hîc quæ sit Scandalorum necessitas. Est verò illa quæstio ardua in primis, quæ multorum magni nominis in Ecclesia virorum ingenia torsit. Nam dum voluerunt justitiam Dei, exigentis severè pœnas ab authoribus scandalorum, à calumnia liberare, existimarunt constituendum esse id (ob quod miseri homines tam gravi supplicio afficiuntur) ejusmodi esse, ut nulla necessitate ad id patrandum (quicquid tandem fuerit) inducti fuerint, cùm ista pugnare inter se videantur, ut quod peccatum non est, pœnâ expiari debeat: id autem apud eos est pro certo & constituto, peccatum nullum esse quod idem necessarium sit. Itaque illi hanc Christi vocem, *Necesse est scandala evenire*, benigna interpretatione emollire conati sunt. Author Glossæ interlinearis imprimis *necesse* pro eodem hoc loco accepit ac si scriptum fuisset *utile*, ut fuerit ista Christi mens, ex illius sententia, *Vtile esse ut scandala eveniant*; nam & sic vulgò loquimur, ut quod admodum expedit id dicamus necessarium.

In qua ſententia & Chryſoſtomus eſt, cujus adeò authoritate author illius interpretationis ſe tuetur. Sed primùm authores hujus interpretationis hoc pacto in id ipſum incurrunt, quod ut vitarent hanc interpretationem commenti ſunt; nam ſi utile eſt ſcandala evenire, & bonum eſt evenire ſcandala, quod ſi verum eſt, quid eſt quod cujuſpiam aures offendat, ſi audiat neceſſe eſſe ut quod bonum eſt eveniat? Deinde, quominus hæc interpretatio locum habeat, obſtat tum Chriſti conſilium, tum etiam verba quibus uſus eſt. Et conſilium quidem, quia non eſt Chriſti animus hoc loco docere quam afferant ſcandala utilitatem; ſed contrà, quàm ſint ſcandala damnoſa, quamquam ſanè ſummam habent utilitatem, non eventura omnino ſi prorſus nullam haberent. Verba etiam Chriſti repugnant, quia quod hîc Matthęus dixit ἀναγκαῖον ἐστί, Lucas cap. 17. 1. dixit ἀνένδεκτον μὴ ἐστί, quod ſanè non ſignificat *utile eſſe*, ſed *non contingens non eſſe*, hoc verò idem eſt quod, *impoſſibile eſt non eſſe*, & hoc rurſus idem quod, *neceſſarium eſt eſſe*. Alij minùs adhuc tolerandi, concedunt ſcandalorum neceſſitatem in genere, negant ſingulorum ſcandalorum neceſſitatem: Nempe ſic aiunt, *Neceſſe eſt ſcandala evenire, at nihil neceſſe eſt ut iſte, puta Iudas, hoc ſcandalum, puta Chriſti proditionem objiciat: Itaque in eo peccari, & quidem liberrimè, quod iſte hujus ſcandali author ſit.* Sed nec authores iſtius interpretationis videntur attigiſſe ſcopum ad quem maximè collimarunt, hoc enim voluerunt efficere, ut ne peccatum videretur neceſſarium, conceſſerunt autem peccatum in genere neceſſarium eſſe. Iam verò quæ in genere neceſſaria ſunt (ſiquidem neceſſarium pugnat cum natura peccati) ea ſi fiunt non habebunt peccati rationem: nam quod in genere malum eſt, illud in ſingulis malum eſſe neceſſe eſt. Quis autem adeò ſtupet, ut vel peccatum in genere malum eſſe, vel quod generi convenit individuis convenire neget? ea enim quæ neceſſe eſt eſſe in genere, ſi mala ſint, etiam neceſſe eſt mala ſint in ſpecie & in ſingulis. Nam, quod etiam pueri norunt, genus non eſt niſi in ſpecie & individuo: Itidemque quod ut fiat in genere malum non eſt, illud, ſi quando fit, malum eſſe non poteſt ob eandem cauſam. Itaque ſi ſcandala evenire in genere non eſt malum, nec ut ſint in ſpecie & individuo malum erit. Non autem in genere malum erit ſcandala eſſe, ſi quicquid neceſſarium eſt id ipſum malum non eſt, quod aſſerunt authores hujus ſecundæ interpretationis. Itaque cùm concedant, neceſſe eſſe ut ſint ſcandala in genere, fateantur oportet id ipſum non eſſe malum, unde ſequitur quod concluſimus, nec in ſpecie, nec in individuo ſcandala evenire malum eſſe. Deinde, hæc interpretatio maximam partem providentiæ Dei tollit è medio: Nam ſi ratio habeatur cauſarum ſecundarum (qua ratione ſcandala peccata ſunt) multo plura fiunt in mundo mala quàm bona; plures enim mali ſunt quàm

boni, imò bonorum virtus imperfecta est. Itaque Deo detrahenda esset laus sapientiæ, potentiæ & bonitatis, in gubernatione mundi, nisi scandala essent definita & certa, & quoad authores, & quoad locum, & quoad tempus, & quoad eos quibus objiciuntur scandala. Itaque non esset unde pij agnoscerent se castigari à Deo, quum illis res est cum impijs hominibus qui ipsis scandala objiciunt, nec esset argumentum divinæ providentiæ cùm impij sese mutuò evertunt, idque objectis invicem scandalis, in quo deprædicatur Dei sapientia, ut cùm Deus Madianitas inter se commisit, Iudic. 7.

Quid igitur? fieri-ne potest ut idem necessarium sit & peccatum? Certè necessitas videtur pugnare cum peccati ratione, non est enim peccatum quod non sit idem spontaneum, nec spontaneum esse videtur quod necessarium est. Sed *necessarium* non dicitur uno modo; est enim necessarium quoddam quod idem *violentum* est, ut quum quis ab alio impulsus aliquem imprudens dejicit, vel cùm pater casu lapsus carissimum sibi filiorum oppressit, utrobique necessitas fuit, & quidem violenta. In his quæ sunt ejusmodi nulla est peccati ratio. Secundò, necessarium est necessitate *naturæ*, ut quum gravia tendunt deorsum, levia autem sursum. Quæ sunt hoc modo necessaria rationem peccati non habent, non enim pendent à judicio & ratione. Tertium genus necessitatis est ejus quam licet *animalem* appellare, ut sunt appetitus belluarum. In actionibus quæ proficiscuntur ab appetitu animali ideò non est peccatum, quia non facit iste appetitus ut animal, quod eo præditum est, possit statuere de suo fine. Iam verò hoc est valdè observandum, eam necessitatem quam prætexunt homines dum se excusant, petitam esse ex aliquo trium horum generum necessitatis. Si igitur ullum sit præter illa necessitatis genus cui actiones humanæ obnoxiæ sint, cùm constet multa fieri à nobis cum laude, multa item indecore, certè erit quædam necessitas, quæ cum decore, & dedecore stare potest, proindéque cum virtute & vitio. Hoc igitur quærendum est. Nos verò in hac sumus sententia. Actiones illas in quibus peccatum est, aut verò etiam pietas & virtus, obnoxias esse alicui necessitati. Quod probari potest quamplurimis rationibus & argumentis tum è Philosophia, tum è sacra Scriptura petitis. Sed pauca tantùm, exempli gratiâ, è Philosophia proferemus. Primùm, *Finis appetitur necessariò*, id verò positum est extra omnem controversiam; *gravissimè autem peccatur in appetitu finis*, nam si quis verum finem non appetat, nempe Deum, non modò in eo graviter peccat, sed eo facit ut quicquid facit peccatum sit, *Ergo in eo gravissimè peccatur quod fit necessariò.* Gravissimum hominis peccatum & fons omnis peccati hic est, quod ipse sibi videtur esse finis, nam sicubi peccat, ob hoc peccat, quod omnia referat ad seipsum, atque in seipso hæreat ex innata φιλαυτίᾳ. Cùm ergo verum bonum sit etiam

verus finis, ſequitur appetitum veri boni, ut finis, eſſe neceſſarium in ijs qui illud bonum appetunt, eſt enim illorum finis. Cùm autem hoc ſit non laudabile modò, ſed heroïcum & planè admirandum, ſequitur ut idem ſit neceſſarium & laudabile, proindéque & cum virtute conjunctum. Itaque ut vitium non pugnat cum neceſſitate, ita neque virtus. Deinde, prout finis appetitur, appetuntur etiam media tendentia ad finem. Media, inquam, non *materialiter*, ſed *formaliter* conſiderata. Puta, quamdiu dubitamus an ſint media, non commovemur neque ut ea velimus, neque ut ea reſpuamus, at ſi media eſſe jam conſtat, prout finis appetitur, etiam appetentur media. Itaque Ariſtoteles omnem *προαίρεσιν*, ſeu *mediorum electionem*, ait ſequi *προβούλευσιν*, *antecedentem deliberationem.* Nec obſtat quod pro ſua libertate poſſit homo hoc medio potiùs uti quàm illo, vel enim id fit quod hoc medium magis ſit idoneum ad conſequendum finem præcipuum, qui verè finis eſt, vel omninò non fit, ut experienti rem hanc apud ſe manifeſtum erit. Tertiò, ratio boni & mali idem evincit; *Bonum enim eſt quod omnia appetunt.* Ergo quod non eſt bonum illud non appetetur, ſi enim appetitus fertur in bonum tantùm, ſanè quod non eſt bonum ne appetetur quidem. Quum autem *bonum* dicimus *id quod omnia appetunt*, non intelligendum venit id quod *eſt in ſe* bonum, ſed quod *videtur eſſe* bonum, quemadmodum & malum in in hoc argumento non eſt quod *eſt in ſe* malum, ſud quod malum *eſſe videtur.* Igitur ea erit ratio voluntatis ad bonum & malum, quæ eſt intellectus ad verum & falſum, nempe ut intellectus non ſemper aſſentitur vero, tamen ſemper aſſentitur ei quod videtur verum, neque diſcedit ſemper à falſo, ſed ſemper ab eo quod videtur falſum, (alioqui nullus eſſet errori locus, nemo enim errat prudens ſciens, hæc enim ſe mutuò evertunt) ita planè voluntas non ſemper amplectitur id quod eſt bonum, neque refugit ſemper id quod eſt malum, ſed refugit ſemper id quod videtur malum. Cùm itaque id quod volumus ideò velimus quia nobis videtur bonum, & quod nolumus ideò nolimus quia nobis videtur malum, ſequitur nos neceſſariò velle vel nolle quicquid volumus vel nolumus. Denique, Axioma eſt in Scholis pervulgatum, *Effectum ſequi cauſam, poſitâ cauſâ effectum poni:* Itaque conſtitutis ijs omnibus quibus movetur voluntas, movebitur neceſſariò. Reſpondent, hoc locum habere in Phyſicis, in Ethicis non habere locum. Sed reſponſionis ſuæ nullam adferunt rationem extra Theſim quam tuentur. Iam verò hominis eſt ingenui, & ſtudioſi veritatis, qui negat axioma pervulgatum, rationem reddere negationis, vel ultro fateri inſcitiam. At nulla hujus negationis ratio reddi poteſt: hoc enim non convenit cauſæ quatenus cauſa eſt in hac vel illa materia; ſed convenit cauſæ quâ cauſa eſt: itaque cùm cauſa formalitatem ſuam ubique obti-

neat, necesse est ut quod sequitur hanc formalitatem ubiq; locum habeat.

Objiciunt, *voluntatem non sic fore liberam si necessariò velit vel nolit, quia libertas & necessitas pugnant.* Vt illi occurratur objectioni tenendum est quid sit libertas. Est autem Libertas *facultas faciendi quod libet*; itaque is liber est qui quantum vult tantum potest, (contra servitus est *inopia facultatis faciendi quicquid libet*) libertas enim dicitur ab eo quod libet. Porrò duplex est facultas faciendi quæ tibi libeat, *Ethica* altera, altera *Physica*. Facultas *Ethica* est quando lege aliquid licet agere, aut non agere. *Physica* verò quando possumus aliquid agere viribus corporis, aut animi, vel etiam ope bonorum illorum quæ vulgo *fortuna* appellantur; sic potest aliquis interficere vel non interficere innocentem, erogare vel non erogare eleemosynam. Et hæc facultas *Physica* faciendi quod libet adeò distincta est à facultate *Ethica*, ut aliquid *Ethicè* liceat quod non licet *Physicè*, ut ægro licet cohortari filios suos ad sanctè vivendum, at morbi vi impeditus interdum non potest id præstare. Contrà, multa *Physicè* licet facere quæ *Ethicè* non licet, puta hominem perdere, *Physicè* aliquando licet, at *Ethicè* nunquam licet, est enim lege interdictum. Iam verò ut hæc ad rem accommodentur, Creatura rationalis lege non est libera, nisi κατά τι, nempe in ijs quæ sunt ἀδιάφορα, quæ neque sunt bona neque mala, de quibus non est lata certa & definita lex. Libertatem *Physicam* ne homo quidem obtinet in universum, pleraque enim sunt quæ etsi nobis liceant, cùm maximè velimus, non possumus tamen præstare, nempe deest facultas exequendi consilium & voluntatem animi. Solus Deus verè & propriè liber est, & *Physica* libertate, quia est Omnipotens; & *Ethica* libertate, quia nulli est obnoxius legi, ipse sibi lex est. His ita constitutis. ℞. ad objectionem, negando consequentiam: Non enim ex eo quod voluntas fertur necessariò in objectum suum, sequitur, volentem non esse causam liberam: liber enim is est qui facit quantum vult, volens autem necessariò facit quantum vult, saltem aliquando, nempe quando adest illi facultas, quam diximus *physicam*: Ergo liber est. Sed in hoc latet argumenti fallacia; quod confunduntur actus qui vocantur *eliciti* voluntatis cum actibus *imperatis*. Libertas voluntatis in his omnis versatur, non autem in illis: ut verbi gratiâ, dicimus in actu *imperato*, voluntatem esse liberam, quia actus imperatus dependet à voluntate, id est, eo defungimur quia voluimus: at libertatem quærere in ipso actu elicito tam absurdum est, quàm si quis actum elicitum diceret imperatum, cùm actus eliciti non imperentur, sed eliciantur. Itaque non sequitur voluntatem non esse liberam in actibus imperatis quòd se habuerit necessariò in elicitis, cùm (ut dictum est) actus elicitus non sit imperatus, sed actus imperati causa impellens. Deinde, est etiam fallacia in voce *necessarium*, non enim id uno mo-

do dicitur, sed uti suprà expositum est, aliud est *à vi* profectum, aliud *à natura* ἁπλῶς dicta, aliud *ab appetitu animali*. Libertas cum his generibus necessitatis non potest stare. At jam ostendimus esse quandam necessitatem dependentiæ voluntatis ab intellectu & ratione: Hanc necessitatem negamus non posse consistere cum libertate, quia non impedit quin aliquis tantum possit quantum velit, quę definitio libertatis est

Neque pugnat etiam hæc necessitas cum contingentia. Etsi enim contingentia & necessitas ita erga se mutuo affectæ sint, ut contingentia non possit esse necessitas, neque necessitas item contingentia, tamen fieri potest ut idem sit contingens & necessarium. Sit res exemplo clara, *Casus* & *Consilium* ita è diametro opposita sunt inter se ut nulla ratione *Casus* dici possit *Consilium*, aut *consilium casus*, tamen unum idemque fieri potest casu & consilio, adeo differunt multum ista, *convenire formaliter*, & *convenire subjecto*; nam certè *formaliter* casus & consilium non conveniunt, at *subjecto* conveniunt: Vt verbi gratiâ, si herus voluerit duos servos sibi invicem occurrere, & neutrum monuerît quid sibi esset in animo, eò autem ablegarit utrumque quò si tendant necesse est eos occurrere, aio istum occursum esse *fortuitum*, & eundem esse *à consilio*, *fortuitum* si referatur ad servos, *à consilio* si ad herum. Eadem est ratio Necessitatis & Contingentiæ, nam aliquid dicitur fieri contingenter, quum refertur ad causam à qua non dependet necessario, idem dicitur fieri necessariò quum refertur ad causam à qua necessariò emanavit: verbi gratiâ, Voluntas vel potest conferri cum objecto *materialiter* considerato, atque ita voluntas si appetit illud objectum dicetur illud appetere contingenter, quia si spectetur voluntas in se, si objectum item in se, nulla ratio reddi potest cur voluntas magis amplexa sit quàm repulerit id objectum. Vel objectum potest considerari *formaliter* ut est in ipsa mente, quale est post προβούλευσιν *deliberationem*, atque hac ratione voluntas dicitur appetere illud necessariò, non autem contingenter. Res illustretur exemplo. Priusquam Orator habuerit orationem; priusquam permoverit auditorem, objectis menti speciebus rerum, auditor ita affectus est, ut dicamus posse fieri ut velit quod Orator suasurus est, posse etiam fieri ut nolit, attamen requiri suasionem, ut objiciantur animo quibus commoveatur. At si cui persuasit Orator rem esse absolutè bonam, non jam dicimus amplius fieri posse ut is velit aut non velit, cui persuasum est rem esse expetendam. Contingentia ergo & Necessitas, cùm significent tantùm dependentiam rerum, possunt simul competere eidem rei, quia idem potest dependere à diversis causis, pro quarum ratione diversimodè se habet.

Quæ hactenus disputata sunt pertinent ad demonstrandum naturam voluntatis dum est in actu, sed cùm scandalum non sit interna voluntatis

tatis actio, sed dictum aut factum secus atque oportuit, consilium autem nostrum fuerit disputare de necessitate scandali, accommodanda sunt ea quæ suprà dicta sunt ad rem quam agimus: Sic igitur se res habet. Actus imperati voluntatis tum dicuntur necessarij quum voluntas imperat, & facultas exequendi adest, nam qui vult & potest, is necessariò agit: itaque voluntatem agendi & facultatem actio sequitur necessariò. Hinc est quod quum quæritur cur à nobis aliquid non sit factum, respondetur quia defuit vel voluntas, vel facultas. Iam verò adest sępè facultas patrandi scandali, in impijs autem (quales sunt plerique omnes) semper voluntas prompta est; Itaque scandala venire necesse est.

Illud multò gravius est quod quærit solet, *Habeant-ne scandala ullam σχέσιν & dependentiam à Providentia divina, &, si ullam habent, quæ tandem illa sit.* Nostra sententia est, scandala pendent à providentia divina, sunt enim respectu providentiæ divinæ media tendentia ad bonum finem, quæ suarum causarum respectu peccata sunt. Probatur istud primò ratione, deinde verbo Dei. Ac ratio quidem hoc evincit. Suprema causa non potest excidere suo fine, hoc enim est vel insipientiæ, vel impotentiæ argumentum. Cùm itaque scandala media sint ad bonum finem quem Deus sibi proponit, necesse est ea pendere à divina providentia. Scriptura hoc etiam docet luculentissimè, *Dominus fecit omnia propter se, etiam impium in diem malum,* Proverb. 16. 4. Vbi notanda est phrasis *fecit*, notat enim dispositionem rerum, earumque gubernationem, sensus enim simplicissimus est, *Omnia eveniunt providentiâ divinâ, etiam scelera, in quibus puniendis Deus aliquando ostendit se non cæcutijsse ad hominum peccata.* Et Esai. 10. 5. 6. 7. *Væ Assur virga furoris mei*, &c.

Scandala autem pendent à Providentia, quatenus (uti dictum est) media sunt ad finem. Referuntur nempe vel ad gloriam Dei, vel ad salutem fidelium. Ad gloriam Dei, primò, quia sunt argumenta potentiæ Dei, *Excitavi te* (inquit ad Pharaonem) *ut in te demonstrem potentiam meam.* Secundò, ut ejus Iustitia emineat, nam quamdiu latet hypocrisis, non usque adeo manifesta est lux justitiæ divinæ in puniendis hypocritis, sed quum postquam illa se prodidit in scandalo, Deus ἐπιφέρει ὀργὴν, omnes agnoscunt Iustitiam Dei. Tertiò, Deus sinit evenire scandala ut edat exempla misericordiæ suæ, sic Ezechiam sivit labi, & Davidem, & sæpenumerò, sic omnia disponit Providentiâ suâ, ut magna peccata magnæ pœnitentiæ & humilitatis prębuerint argumenta. Quartus finis scandalorum est demonstratio Sapientiæ Dei, ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν, Iob. 5. 13. Nisi eveniant scandala non elucebit tantoperè Dei Providentia quantum elucet. Nullum majus unquam fuit scandalum quàm proditio & crucifi-

xio Christi, in quo tamen Deus evidentissima dedit argumenta Iustitiæ, Sapientiæ, Potentiæ, & Misericordiæ suæ.

Respectu fidelium usus scandalorum est multiplex. Faciunt enim ad eorum salutem. Et cedunt quidem in gloriam piorum, quatenus per varia scandala vel à doctrina nova & impura, vel à cruce & persecutione, probatur eorum amor & fiducia in Deum, sanctitas eorum educitur in lucem hominum & Angelorum; item quatenus ita pij sibi ipsi innotescunt qui sint; Studium etiam eorum & charitas in proximum nonnisi scandalis probatur, *quæ enim est gratia si eos feramus quorum iram ultrò provocavimus*, &c. 1. Petr. 20. Faciunt etiam ad gloriam fidelium, quatenus hac ratione (patiendo nimirum injustè ab hominibus gravia multa) conformes redduntur Filio Dei. Tum & alijs modis multis faciunt scandala ad fidelium salutem.

Porrò, cùm scandala aliena sint naturâ suâ ab hoc fine, à gloria scilicet Dei, & salute fidelium, necesse est respectu hujus finis ut media tantum sint per accidens: quare à superiori causa dirigi necesse est ad hunc finem. Itaque cadunt sub Providentiam. Nec propterea Deus est author peccati hominum, impios enim non indurat efficiendo, sed (quod illi liberum est) suspendendo actum gratiæ & bonitatis suæ. Temerarium autem est velle scrutari rationem Providentiæ Dei in malo, Scriptura enim posuit hîc curiositati nostræ repagula, quum docet Iudicia Dei esse *ἀνεξιχνίαστα*, & Apostolus propterea exclamat *ὦ βάθος*. Sanè in hoc statu peccati in quo nunc sumus, res adeò non est impedita, proclives enim sumus omnes à natura in malum, itaque quum ista proclivitas se prodit scandalo, id est, dicto aut facto, nihil aliud fit quàm quòd in publicum prorumpit quod latebat anteà. Itaque constat hîc aliqua ratio Providentiæ divinæ, quæ hoc pacto ita ostendit quò perversum hominis ingenium propendebat, & simul efficit ut ea omnia quibus hoc ostenditur reddundent ad gloriam nominis sui & salutem suorum. Sed quum agitur de primi hominis lapsu, hîc demum hæret ratio humana, neque se expedit. Non tamen nulla fuit Providentia, quæ versata sit, & vim ostenderit suam in Adami lapsu, sed non est nobis curiosè & sollicitè in illius Providentiæ rationem inquirendum; satis nobis hoc esse debet, ita sese gessisse Dei Providentiam in illo lapsu, ut à culpa fuerit immunis, neque tamen illud, quicquid culpæ fuerit, admissum esse vel invito & repugnante Deo (absit enim ut summum bonum à malo superetur) vel cœcutiente & connivente. Quod si capi à nobis non potest, potiùs inscitiam accusemus nostram quàm ut Deo Providentiam detrahamus, sine qua Deus esse non potest.

Sequitur explicandum, quomodo, si scandala eveniant necessariò, justus sit Dominus, qui ob id homines plectat quod evenit necessa-

rio. Cujus quęstionis solutio ex ijs pendet quæ suprà disputavimus de necessitate, quam conclusimus non pugnare cum ratione peccati. Itaque si constat, quod necessarium est idem peccatum esse, consequens erit ut quod necessarium est idem pœnâ dignum sit. Priùs autem verùm est, ut suprà demonstratum est, Ergo & posteriùs.

℣ 9. εἰ δὲ ἡ χείρ σου.] Locus iste Veterum ingenia fatigavit, dum in eo rem absurdam & abhorrentem tum à ratione, tum à religione κατὰ τὸ ῥητὸν præscriptam à Christo cernerent. Itaque confugerunt ad Allegorias: Nam eorum alij nomine *oculi* & *manus* voluntatem & affectus animi pravos intelligi voluerunt, alij illa quæ nobis charissima sunt (ut parentes, uxorem, liberos, facultates seu opes, &c.) figuratè à Christo hîc describi censuerunt. Quæ interpretationes non possunt usquequaque huic loco quadrare, subjecit enim Christus, præstare ut monoculi, claudi, manci ingrediamur in regnum Dei, quàm ut utrumque habentes oculum, & integri projiciamur in gehennam ignis. Nam si Allegoriæ locus est in ijs quæ antecedunt, necesse est ut etiam in consequentibus locum habeat, quod absurdum est, quem enim sensum habeant hæc verba, *Præstat sine pravis affectibus ingredi in cœlum, quàm peccatorem detrudi ad inferos:* Oratio diluta est. Tum & illa, *Præstat suos odio prosequentem ingredi in regnum cœlorum, quàm amore prosequentem dejici in inferos.* Deinde non possunt dici *unoculi* (sed *cæci* potiùs sunt dicendi) qui omnes suos negligunt, siquidem nostri nobis sunt veluti *oculi*, neque *claudi* aut *manci*, sed utrisque pedibus & manibus truncati, qui sibi charissima quæque abjiciunt, siquidem quæ chara sunt *pes* & *manus* nobis sunt. Sanè oratio Christi simplicissima est, nec causa dici potest cur hîc Allegoriâ uti voluerit. Est nempe hyperbolica locutio, cujus sententia huc redit, si daretur optio (& ut Paulus ad Galatas loquitur, *si fieri potuisset, eruissetis oculos ac mihi dedissetis*) potiùs eximendum esse oculum, aut exscindendam manum, aut verò pedem, quàm ut patiamur nos authores esse scandalorum, cùm scandali ea sit natura ut accersat in authorem pœnam æternam: eam enim esse beatitudinis præstantiam, ut optabilius sit eâ frui saltem ex parte, quàm ut ea admittamus quæ nobis integris miseriam adferant intolerabilem. Sic filius patris amantissimus, si quando audiat à quoquam exigi à se ut patrem offendat, Moriar, inquit, non quod velit significare ἁπλῶς se moriturum, sed se moriturum potiùs quàm ut offendat patrem. Et sunt filij qui rogant aliquando parentes suos ut exhæredent ipsos, non quidem hoc cupientes, sed significantes tamen malle se (si res eò esset deducta) excidere hæreditate, quàm obstringi tam severa lege. Sic Moses Deum rogavit ut ipsum delere vellet ex libro vitæ. Sed multos hoc decipit quod Christum arbitrantur ubique exactè & sollicitè (quomodo Aristoteles aliquis) locu-

tum eſſe, quod à vero alienum eſt. Chriſtus enim ſemper quidem utitur ingenua oratione, ſed ſæpè etiam utitur hyperbolis(quæ tamen tantùm abeſt ut obſcuræ ſint,ut contra nihil illis ſit ſignificantius)aliquando Proverbijs penè è trivio petitis, aliquando figurata eſt Chriſti oratio, aliquando cauta, nunquam tamen vafra & inſidioſa.

℣. 10. ὁρᾶτε μὴ καταφρονήσητε.] *Contemnere καταφρονεῖν* hoc loco idem eſt quod Hebraicè בוז, ſignificat autem בוז non modo *contemnere*, ſed *negligere* etiam, ut quum Salomon Prov. 14. 21. deteſtatur eos qui pauperem negligunt vocat eos *pauperum contemptores*, בז לרעהו חוטא *qui contemnit proximum ſuum, peccat*: ubi רעה non eſt quilibet proximus, ſed is qui pauper eſt, quod liquet ex ſequenti hemiſtichio ומחונן ענוים אשריו *at qui beneficus eſt erga afflictos, eſt beatus*. Liquet enim רעה & ענוים poni tanquam ſynonyma, בז vero & מחונן tanquam oppoſita: ענוים autem iſthic eſt pro עניים *afflicti*. Itaque in lingua ſancta ut *negligere* eſt contemnere, ſic viciſſim curare, ſollicitum eſſe de re aliqua conſervanda, illud *honorare* eſt, uſque adeo ut præmio afficere Hebraicè ſit *honorare*, ut quum Iudic.cap. 13. Manoah, Angelum Prophetam ratus, pollicetur ei fore ut eum honoraret ſi quod prædixerat erat eventurum, כבדנוך inquit, id eſt *præmio te afficiemus*: Sic alicubi Cicero monet Tironem, ſe dediſſe operam *ut Medico honos haberetur*. Itaque *honorare* non pertinet tantùm ad laudem, ſed etiam ad mercedem, ad curam, ut nemo miretur quid ſibi voluerit Apoſtolus, qui 1. Timoth. 5. hortatur Timotheum ut *pauperculas viduas honoret*, nempe hoc voluit, ut earum curam gerat, ut det operam ut illis benè ſit; eodemque ſenſu eodem capite, *Presbyteri*, inquit, *qui benè præſunt digni ſunt duplici honore*. Quid eſt igitur hoc loco καταφρονεῖν τοὺς μικροὺς? nempe non contemnere modo, ſed vel *negligere eos qui ſecundùm carnem ſunt contempti, & tamen in Chriſtum credunt*. Conſilium ergo Chriſti eſt reprimere Diſcipulorum faſtum, qui alios etiam in Chriſtum credentes contemnebant, quod non fuerunt ornati & locupletati à Chriſto tot privilegijs quot ipſi erant conſecuti, ſeu hi parvuli fuerint inter ipſos Apoſtolos (neque enim omnes Apoſtoli ijſdem præditi donis fuere) ſeu fuerint aliûs ordinis.

Ibid. ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων] Μικρὸς Hebraicè קטון vel refertur ad ætatem, vel ad molem, ſed priùs ad molem quàm ad ætatem, ideo enim pueri & μικροὶ ijdem ſunt, quia corpus puerorum mole parvum eſt, & μικρὸς etiam Hebraicè dicitur צעיר. Sed hoc loco μικρὸς non videtur ſignificare parvulum ætate, aut mole corporis, agit enim Chriſtus de ijs quos ℣. 6. ornavit hoc elogio, ut eos vocaret *parvulos*, ſed *credentes*. Itaque quærenda eſt hîc alia hujus vocis ſignificatio, ut nempe ſit קטון & צעיר, ſed quatenus hæc verba Hebræis abjectam conditionem denotant, ut quum Geneſ. 32. Iacob profitetur ſe parvum eſſe, קטנתי

inquit, id eſt, *minor ſum omnibus tuis beneficijs, & omni veritate quam feciſti mihi*, haud dubiè indignitatem ſuam agnoſcit, atque hoc vult profiteri, *ſe non eſſe tanti ut Deus ipſum tam magnis beneficijs proſequi debuerit.* Sic Deut. 1. 17. Moſes Iudices hortatur *ut ne faciem agnoſcant in judicio,* כקטון כגדול תשמעון id eſt, *tam eum qui contemptus eſt quàm qui magnus eſt audietis*; itaque קטון eo loco is eſt qui conditionis eſt abjectæ. Sic etiam צעיר denotat ſtatum miſerum, & qui habetur deſpicatui, ut quum Gedeon Iudic. 6. profitetur ſe eſſe צעיר *parvum in domo patris ſui*; hoc eſt, contemptum. Et Mich. 5. Propheta dicit Bethlehem eſſe צעיר *parvam inter* אלפי *chiliadas Iuda*, hoc eſt, deſpicatiſſimam in tribu Iudæ. Itaque Deus cap. 30. 19. Ierem. ubi agit de reſtitutione Iſraëlitarum, והכבדתים *glorificabo eos*, ולא יצערו *& non erunt parvi*, hoc eſt, contemptibiles. Sic Iobus cap. 14. 21. deflens conditionem mortalium, *Filij hominis*, inquit, *glorificantur, & item* צערו hoc eſt, *fiunt inglorij, cùm pater vitâ defunctus nihil ſentiat.* Tenendum igitur eſt non denotari hoc loco à Chriſto ullam animi demiſſionem, quæ virtus eſt, & quidem ſumma; ſed μικροὶ hîc ſunt *conditione & ſtatu vitæ illi quos homines vulgò contemnunt*, nempe vel ob paupertatem, vel ob obſcuritatem generis, vel ob imperitiam rerum, vel ob corporis vitia, & ſi quæ ſint alia quæ in ſæculo infamia ſunt.

Ibid. οἱ ἄγγελοι αὐτῶν.] Non mirum debet videri aut novum, quod Chriſtus, eos Angelos qui pro ſalute ſuorum excubant, *Angelos* dicat *eorum* quibus operam dant: nam & Paulus, quamquam Chriſti Apoſtolus fuit, hoc eſt, à Chriſto miſſus, tamen Rom. 11. 13. profitetur ſe eſſe *Gentium Apoſtolum*, hoc eſt, miſſum ad Gentes, non à Gentibus. Sic *Angeli fidelium* dicuntur non qui mittantur tanquam nuncij à fidelibus, ſed qui mittuntur ad fideles. Porrò, non dicuntur hîc *Angeli parvulorum iſtorum*, quod unuſquiſque peculiarem habeat Angelum ſibi addictum, ſed quia Angelis, pro Dei arbitrio, hoc incumbit ex officio ut invigilent ſuis (ſic Eſai. 3. 4. quod dicitur, *Principes & Magiſtratus populi pueros fore*, nemo inde collegerit ſingulis è populo datum eſſe quendam Magiſtratum.) qui Angeli certè numero plures ſunt, & quidem qui ſuccedunt ſibi invicem.

Ibid. διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός.] Quod Angeli dicuntur hoc loco *contemplari faciem Patris*, & quidem *ſemper*, ſimpliciſſimè dicitur, nempe conſequens ponitur pro antecedente; Nam quia in hac vita Apparitores & Miniſtri ſtant coram ijs qui in eos habent imperium, ut ſint parati ad eorum nutum, ideo dum voluit Dominus ſignificare contemptos iſtos homines magnæ eſſe Deo curæ, ait eorum Angelos eſſe Dei Miniſtros & Apparitores, & uſque adeo ſedulos, ut niſi juſſi nihil faciant, juſſi autem omnia. Quod verò adjicitur διὰ παντὸς, non eſt torquendum, ſic enim Regina Saba 1. Reg. 10.

Salomonem alloquitur, *Beati*, inquit, *homines tui*, hoc eſt, famuli tui, *qui ſemper ſtant coram te:* Noluit hoc Regina, famulos illos & ſervos numquam diſceſſiſſe è conſpectu Salomonis tantùm hac phraſi ſignificavit paratos eſſe ſemper illos ad exequenda Salomonis juſſa.

Ibid τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς] Non ideo dicit Chriſtus *Patrem ſuum eſſe in cœlis*, quod cœlo incluſus ſit quod ad eſſentiam ejus attinet, quod nonnulli tamen hoc ſæculo auſi ſunt affirmare, atque adeo defendere, tanto graviori ſcandalo quod nundum ſeceſſerant ex Eccleſia: Sed cùm ubique ſit Deus, multis tamen & varijs de cauſis dicitur eſſe ſingulariter in cœlo. Primò, quia ſupra cœlos omnia quieta ſunt, in cœlis aſpectabilibus, atque infra cœlos qui incurrunt in ſenſum, omnia motui ſunt obnoxia; nam & cœli aſpectabiles continuò circumaguntur, & infra Lunam omnia ſubinde depereunt & augeſcunt. Cùm igitur natura divina quieta ſit, & quamquam agat, minimè tamen agatur, hinc fit ut mens humana, dum de illa cogitat, ſeſe efferat ſupra omnia illa quæ agitantur, quocunque demum agitentur motu. Deinde, ſupra cœlum nihil poteſt mens cogitare niſi quod non continetur in Vniverſo, quemadmodum igitur, dum cogitat de æternitate Dei, egreditur extra limites temporum, & Deum cogitat qui fuit πρὸ τῶν αἰώνων, ſic etiam dum Deum vult eximere è numero rerum conditarum, tranſgreditur terminos creaturæ, & eò conſcendit ubi nulla creatura eſt, uſque adeò ut neget Deum contineri cœlis cœlorum, 1. Reg. 8. 27. Tertiò, nulla eſt in cœlis peccati labes, in terra autem omnia plena ſunt peccato, itaque dum cogitamus Dei ſanctitatem eò ſe mens ſubvehit ubi peccato nullus eſt locus. Iam, quod conſequens eſt, ubi miſeria eſt, ærumnæ, calamitas, perturbatio, non cernitur plenè gloria Dei: Itaque dum vult mens occupari in contemplatione gloriæ divinæ, ſubducit ſe à conſpectu rerum humanarum, quæ plenæ ſunt miſeriâ; Vnde etiam & cœli ſunt ſedes Angelorum, ubi & Spiritibus beatis certa requies datur, illic enim neque peccato, neque quæ peccatum ſequitur, morti ullus eſt locus. Denique, Deus tum pro modulo ingenij noſtri à nobis capitur, dum cogitatur à nobis prout eſt inviſibilis, talis autem commodè à nobis cogitari non poteſt, niſi avertamus oculos non corporis modò, ſed etiam animi à rebus ſenſibilibus, id vero nunquam tam facilè fit quàm dum eluctamur & emetimur, & ſuperamus omnia iſta viſibilia. Itaque Dominus Ieſus corpus ſuum intulit cœlo, non modò ut eſſet arrhabo ſalutis noſtræ & futuræ gloriæ, verùm etiam ut nos eum eò animi affectu ſequeremur, unde fit ut converſatio noſtra in cœlis eſſe dicatur, Philip. 3. 20. Hinc eſt quod Dominus juſſit nos *patrem noſtrum* orare *qui eſt in cœlis*, nempe, ut non modo habeamus ob oculos robur & potentiam Dei, (quæ hac locutione ſignificantur) verùm etiam ut inter orandum cogitationes noſtræ non

affigantur rebus aſpectabilibus, nihil ut opus ſit imaginibus aut ſimulachris. Colligamus igitur ex Chriſti verbis Chriſti mentem, *Ne quiſpiam contemptos iſtos vulgò, qui in me credunt, audeat contemnere, aut verò negligere, tam enim Deo chari ſunt, ut eorum cuſtodia præfecerit Angelos apparitores ſuos ac miniſtros, qui ad ejus nutum præſtò ſunt.*

℣. 15. ἐὰν ἁμαρτήσῃ,&c.] Chriſtus Diſcipulos ſuos hîc alloquitur, non quatenus Apoſtoli ſunt, (nam hactenus commendat illis tantùm quę pro Apoſtolici muneris ratione ijs incumbunt agenda) ſed quatenus ſunt Diſcipuli ſimpliciter, hîc enim præcipit illa quæ omnibus Chriſtianis communia ſunt. Quæ diſtinctio diligenter eſt obſervanda; regula autem, quâ diſtingui poſſint illa quæ Chriſtus dat Apoſtolis ſuis præcepta cum omnibus Chriſtianis communia, ab ijs præceptis quæ Diſcipulis, quâ ſunt Apoſtoli, ſunt peculiaria, pendet vel à locutionibus Chriſti, vel à rei, de qua loquitur Chriſtus, natura & conditione. Nam dum Diſcipulos alloquitur, dum ijs dat præcepta, quoties agitur ijs de rebus quæ ad eorum munus Apoſtolicum ſpectant propriè, compellat eos univerſos, non utitur ſingulari numero, ſed plurali. Rurſus quum agitur ijs de rebus quæ Diſcipulis conveniunt, non quatenus Apoſtoli, ſed quatenus Chriſtiani ſunt, plurali quidem utitur numero quandoque, ſed ad ſingularem ſtatim delabitur, cujus rei exemplum eſt cap. 6. hujus Evangelij. Sed certiſſima norma hæc eſt, ut res ipſas de quibus agitur, intueamur, ſint-ne ejuſmodi quæ certo cuidam hominum ordini conveniant, an verò quæ omnibus hominibus in univerſum competant, verbi gratiâ, patienter ferre, & quatenus fieri poteſt, ſtudere modis omnibus ut reſipiſcat frater, aut verò non habeatur pro fratre; id non Apoſtolorum modo, ſed omnium omnino eſt fidelium.

Ibid. εἰς σὲ.] Sunt qui hęc verba ita accipiunt ac ſi mens eorum eſſet, *te conſcio*, putantque hîc agi de peccatis in Deum, quæ admittuntur non publicè, ſed clam, nobis tamen conſcijs. At certè Chriſtus non dixit *ſi quis in Deum peccet*, ſed *ſi quis peccet in te*, quod non eſt, *ſi quis peccat te conſcio*, ſed *ſi quis peccaverit adverſus te.* Quod hinc evinci poteſt, primò quia eadem verba eâdem ſententiâ exſtant Luc. 17. 3. quo loco jubetur frater in quem peccatum eſt, redeunti ad ſe fratri & culpam agnoſcenti remittere culpam, non eſt autem illius, qui peccati conſcius eſt remittere culpam admiſſam in Deum. Deinde, Petrus paulo poſt hunc locum, auditâ Chriſti oratione, Chriſtum interrogat, quoties condonaturus ſit fratri ſuo, ſi frater ſæpè in eum peccaverit, *nunquid*, inquit, *ſepties?* Imo, inquit, Dom. N. *ſeptuagies ſepties*, hoc eſt, infinities. Huc etiam & illud accedit, quod Chriſti præceptum videri poſſit abſurdum, ſi *peccare in te* nihil aliud eſt quàm *peccare te conſcio.* Iubet enim Chriſtus peccatorem reprehendere adhibitis teſtibus, tum vult peccatorem deferri ad Eccleſiam, quo conſilio, ſi tu ſolus ſis peccati illius conſcius?

nam factum negabit, tu affirmabis factum, utri potius credetur? Certè rei causa bonis viris potior judicatur, donec constet de accusationis jure & veritate. Imo vero si *si peccare in te* hoc loco est *peccare te conscio*, oratio non cohærebit, erit mutila & imperfecta; suprà enim hortatus est Christus ut ne fratres contemnamus, hoc est, ut studeamus modis omnibus fratribus nostris. Iam verò vult præscribere quid sit faciendum si frater peccavit in nos, hoccine est nobis conscijs? Illud esset actum agere, suprà enim id præscriptum est: certè fratrem contemnit qui peccantem videt & negligit, ut ægrum aspernatur qui non succurrit: sed præscribendum tamen erat quid nobis ex officio incumbat agendum, quando lædimur à fratre. Itaque Christi hortatio non fuisset numeris omnibus absoluta, nisi & hac in parte nos fuisset cohortatus ad patientiam & charitatem, atque ad patientiam eo quod non vult nos statim excandescere in fratrem atque ad charitatem, eo quod nos vult potius sollicitos esse de fratris nostri salute, quàm de nostro damno. Itaque maneat hoc conclusum, *peccare in aliquem* hoc loco significare *aliquem lædere*, non verò *aliquo conscio peccare*. Pugnat enim cum cum prudentia, tum etiam cum pietate, ea peccata in lucem proferre quæ latent ita ut in lucem proferri non possint, non autem poterunt proferri in lucem, si te solo conscio admissa sunt. Itaque Iudices sæpè etiam eos coguntur dimittere quos certò sciunt esse nocentissimos, quia non suppetunt argumenta quibus convincantur.

ẏ. 17. εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ.] Verbum εἰπὲ est quidem imperandi; At non tamen quicquid jubet Dominus, unâ eâdemque ratione jubet, nam sæpè jubendo non imperat, sed indulget, ut verbi gratiâ, jubet Adamum vesci fructibus omnium arborum quas plantaverat in Edene, præter unicam arborem scientiæ boni & mali, non est istud imperium, sed paterna indulgentia. Sit res igitur disquirenda, an præceptum hoc, quo Christus jubet fratrem deferri ad Ecclesiam, sit hujus generis ut ad indulgentiam potiùs quàm ad imperium pertineat. Sanè quicquid Deus præscribit quod non simpliciter beneficij, sed officij rationem habet, id est à Dei imperio. Itaque in distinguendis ijs quæ mandatorum formâ concipiuntur in Scriptura, id semper ob oculos habendum est, pertineant-ne res præscriptæ ad officium, an verò ad beneficium & privilegium simpliciter, quod si occurrat in mandato officij ratio, non est profectò indulgentia, sed imperium. Iam si hanc regulam sequamur, facile erit dispicere, pertineat-ne ad indulgentiam, an verò ad imperium, quod Christus hoc loco præscripsit. Certè recurri potest ad Ecclesiam, vel eo animo ut interventu authoritatis Ecclesiasticæ reparetur damnum, vel ut præcipuè habeatur fratris ratio, qui corrigendus est, & revocandus ad sanam mentem. Si Christi consilium esset hoc loco rationem præscribere quâ, quod amissum est injuriâ fratris,

recuperari

recuperari poteſt, indulgentia eſt; nam certè neminem cogit Chriſtus ad repetendum jus ſuum: imò Apoſtolus 1. Cor. 6. requirit in Corinthijs ut patiantur ſe potiùs affici injuriâ quàm litigare. Vel frater perſequitur injuriam, non tam animo damnum reparandi, quàm ſtudio reducendi in viam fratrem aberrantem, quæ hoc loco mens fuit Chriſti proculdubiò, qui non vult quidem negligi damni reſtitutionem, attamen non jubet pro imperio ut id præcipuè ſpectemus, ſed imprimis vult haberi rationem reſipiſcentiæ illius qui nos affecit injuriâ. Itaque cùm hæc ſit Chriſti mens, præceptum eſt ex eorum genere quæ non permittendi duntaxat, ſed imperandi vim habent & authoritatem.

Ibid. τῇ ἐκκλησίᾳ.] Sunt qui hoc loco *Eccleſiæ* nomine univerſam intelligunt plebis in Eccleſia Chriſtiana multitudinem, unde occaſionem arripiunt conſtituendi in Eccleſia Democratiam, quæ revera potiùs eſt ὀχλοκρατία. Atque hi hoc præcipuè nituntur fundamento, quod *Eccleſiæ* nomen putant nuſquam adhiberi in Scriptura, niſi ad ſignificandam promiſcuam, & confuſaneam multitudinem: Quod omnino falſum eſt, nam Hebraicè עדה non ſemel in Scriptura ***conventum Iudicum*** ſignificat, ut Pſal. 82. 1. & prætereà quum agitur de judicando, utrum cædes admiſſa fuerit temerè & fortuitò, jubet עדה *Eccleſiam* ea de re judicare. Itaque quod illi ſumunt pro confeſſo, falſum eſt, *Eccleſiam* ſemper eſſe miſcellaneam turbam: ſatis enim conſtat judicia in populo Iſraëlitico non fuiſſe exercita per plebem, ſed per certos quoſdam & conſtitutos Iudices. Doctiſſimus Interpres, *Eccleſiæ* nomine Synedrium Iudæorum intelligit, πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ, ut appellatur Luc 22. conventus primariorum Sacerdotum & Scribarum, qui erat Synedrium magnum. Verùm ſi ita eſt, quæritur ratio tam novæ & inſolentis appellationis. Nam certè is cœtus עדה quidem aliquando dicitur in Scriptura, (עדה autem *Eccleſia* eſt, id eſt, cœtus, coïtus multorum) attamen quoties ea vox Synedrio tribuitur, toties Græcè vertitur συναγωγὴ: nec ullus in Veteri Teſtamento occurrit locus quo vox עדה quum *Synedrium* ſignificat, non exponatur per vocem συναγωγὴ; cœtus autem ille nunquam dicitur *Eccleſia*, ſed *Eccleſia* eſt קהל: eſt autem קהל populi, multitudinis, quæ etiam συναγωγὴ Græcè dicitur. Ergo peculiariter συναγωγὴ Synedrium eſt, quamquam & ea appellatio populi eſt. At *Eccleſia* קהל cœtum populi duntaxat ſignificat in Vet. Teſtamento, & quidem cœtum externum, non autem quatenus cœtus ille σχέσιν habet ad religionem. At contrà in Novo Teſtamento *Eccleſia* cœtum ſignificat, & quidem σχέσει ad religionem, neque notat σχέσιν ad coïtionem, ſed unitatem ſignificat. Quæ cùm ita ſe habeant, quæ poteſt reddi ratio cur Synedrium Iudæorum Dominus *Eccleſiam* vocaverit? Certè alibi in Novo Teſtamento Synedrium di-

citur πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ. Cur hoc ſolo loco *Eccleſia* dicatur non videtur dici poſſe cauſa idonea. Fortaſsè dixerit hîc aliquis, Chriſtum non eſſe locutum Græcè, ſed Syriacè. At Evangeliſta tamen non ſcripſit Syriacè, ſed Græcè, cur ergo hoc loco *Eccleſiam* dixit, quod alibi alio nomine Græco ſignificatur? Eſt qui *Eccleſia* nomine hoc loco intelligit Magiſtratum politicum, Chriſtique hanc eſſe mentem, ut Magiſtratus politicus qui rectè ſentit de fide primùm adeatur, tum ſi nihil ſic promovetur, ut liceat fratri experiri jure apud Magiſtratum alienum à religione. Quæ ſententia etſi habeat ſpeciem veri, attamen aliena eſt à Chriſti mente, qui hîc conſcientiæ legem præſcribit, & vult nos eſſe ſollicitos, non tam de accepti damni reſtitutione, quàm de emendatione fratris: neque enim dat hoc loco Chriſtus præcepta œconomica, ſed quæ ſpectant ad conſcientiam. Sic verò Chriſti præceptum non reſipiet manſuetudinem & patientiam Chriſtianam: Fingamus enim habuiſſe ſummam αὐτονομίαν Synedrium Iudæorum, profectò cauſa apud Synedrium agi non potuiſſet, niſi frater etiam pœnâ corporis mulctaretur; hoc verò non eſt componere diſſidia inter fratres, ſed inflammare & vehementius accendere odia fratrum. Cùm ergo Chriſtus ita ſit hoc loco locutus, ut verbum, quo uſus eſt, Evangeliſta *Eccleſiam* interpretatus ſit, non ſoleat autem in Novo Teſtamento tribui Synedrio *Eccleſiæ* nomen explicandum eſt, quid *Eccleſiæ* tandem nomine Chriſtus ſignificârit. Igitur *Eccleſiæ* nomine videtur Chriſtus ſignificaſſe collegium Preſbyterorum, qui Eccleſiæ Chriſtianæ erant præfuturi: cujus Preſbiterij mentio fit 1. Tim. 4. 14. Sed quominus *Eccleſia* Preſbyterium hîc ſignificet Eccleſiæ Chriſtianæ, duo imprimis obſtare videntur. Ac primò quidem illud, quod *Eccleſia* multitudinem Chriſtianorum in Novo Teſtamento ſignificat, *Presbyterium* autem eſt Collegium τῶν πρεσβυτέρων, cujus Collegij erat προεστὼς unus, non poteſt enim ſtare ſine Præſide Collegium ullum. Deinde verò, verba Chriſti, *ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, non poſſunt referri ad tempora Novi Teſtamenti, ſed pertinent propriè ad Eccleſiam Iudaicam. Verùm prius illud facile eſt diluere, nam Eccleſia perinde multitudinem ſignificat in Novo Teſtamento ut ſancti dicuntur quilibet ſancti. At verò 1. Cor. 6. 1. Apoſtolus Corinthios graviter reprehendit, quod non detulerint cognitionem litium ſuarum Sanctis: non intelligit autem promiſcuam multitudinem, ſed eos qui in Eccleſia conſtituti erant ut vacarent gubernationi Eccleſiæ: quemadmodum igitur Apoſtolus *Sanctos* dicit quoſdam ex ſanctis, ſic Chriſtus *Eccleſiam* dixit quoſdam & præcipuos ex Eccleſia. Alterum verò illud quantumvis ſpecioſum ſit, tamen futile eſt: Nam ſolet Chriſtus uti locutionibus ductis à conſuetudine ſui temporis ad eas res ſignificandas quæ contingere debuerunt poſt ejus aſcenſionem in cœlum. Itaque non neceſſe eſt ut quoties uti-

-titur Christus locutione significante rem quæ tum fiebat cùm versaretur in terris, toties putemus Christum nihil aliud voluisse. Deinde, Paulus temporibus Novi Testamenti locutionibus usus est ductis à consuetudine Ecclesiæ Iudaicæ, 1. Cor. 16. 22. *Siquis non amat Dominum Iesum, sit Anathema Maranatha.* Ad hæc & illud accedit, quod Ecclesiæ illa rectè dicuntur dici, quæ dicuntur ijs qui Ecclesiæ pręsunt cum authoritate; nam quemadmodum corpus dicitur videre, cùm soli videant oculi, sic Ecclesia audire id dicitur, quod ij audierunt soli qui sunt veluti Ecclesiæ oculi.

Ibid. ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, &c.] Pontificij putant se ex hoc loco duo evincere posse, & primùm quidem illud, *Ecclesiam fore semper visibilem*, quandoquidem Christus jubet nos eam adire, eam audire, alioqui dicendum esset constitui hîc à Christo judicem invisibilem, aut certè qui non semper sit visibilis, quod absurdum esse videtur. Alterum verò illud est, *Ecclesiam non posse errare*, quandoquidem jubemur stare illius judicio. Et ad prius quidem illud quod attinet, Negamus, ex eo quod Christus nos ablegat ad Ecclesiam, sequi fore ut Ecclesia semper sit visibilis. Alia enim est ratio pręceptorum quæ locutionibus affirmavitis concipiuntur, alia pręceptorum quæ formulis negativis proponuntur: nam horum hęc est ratio ut sint perpetua, illorum non item, (de virtute, inquam, sermonis, ut loquuntur) ut, verbi gratiâ, jubemur erogare eleemosynam, non est hoc præceptum perpetuum, neque enim vel omni loco, vel omni tempore, vel omnibus, vel ab omnibus erogari potest eleemosyna: Imò verò hoc loco, si frater in nos peccarit, jubemur eum adire seorsum, non potest hoc semper & ab omnibus, nam fortasse notum non erit quis offenderit, & ut esset notissimum, aberit fortè is qui offendit. Certè si apud Toupinambaultios frater offenderit fratrem, non poterit adiri Ecclesia, nisi constituta sit inter Barbaros illos Ecclesia. Itaque non ex eo quod Christus jubet adiri Ecclesiam, sequitur continuò posse semper adiri Ecclesiam: sed quemadmodum quum agitur de conveniendo fratre supponitur facultas, sic quum Christus jubet adiri Collegium Presbyterorum, eadem facultas supponitur. Tam facilè diluitur quod ex hoc loco volunt *Ecclesiam non posse errare* in controversijs definiendis Quòd si quis respondeat, non agi hîc de controversijs in religione definiendis, sed de privatis injurijs componendis, non infringet vim argumenti, sed potiùs videbitur addidisse pondus huic rationi: Nam credibile-ne est Deum voluisse Ecclesiam judicare de peccatis quæ committuntur in proximum, fuisse securum de ijs peccatis quæ committuntur adversus priorem Tabulam Legis: non est, inquiunt, credibile. Itaque concludunt definiendi controversias (cujuscumque tandem sint generis) potestatem Ecclesiæ à Christo tributam esse. Sed quicquid hac

in parte dixerint Pontificij, nihil promoverint: ac primò quidem, eo quod quum agitur de Ecclesiæ constantia, in retinenda & confirmanda veritate, non disputatur de singulis Ecclesijs, quas in confesso est posse errare; nam ij quibuscum nobis res est, tribuunt tantùm Concilijs Oecumenicis hoc infallibilitatis privilegium. At hîc non agitur de Concilijs Oecumenicis, non enim quando frater fratrem offendit, cogenda sunt Concilia Oecumenica. Itaque aut nihil effecerunt, aut tantùm effecerunt, ut singularum Ecclesiarum Presbyterijs tribuenda sit potestas definiendi Controversias, ut nihil opus sit Concilijs Oecumenicis, neque verò Papæ authoritate, ad definiendas Controversias, nam frustrà fit per plura quod æquè commodè fieri potest per pauciora. At hoc non est argumentum solvere, sed ostendere quod nihil faciat ad illam causam quam agit is qui utitur argumento. Itaque directè sic respondemus. Ex eo quod Christus Ecclesiam vult adiri, quod nos vult stare judicio Ecclesiæ, non sequitur Ecclesiam non posse errare: Nam & Christus Pharisęos jussit adiri, & ea fieri quæ pręscriberent Pharisęi, cùm idem Christus jubeat ut caveamus nobis à Pharisęorum *fermento*, quod Evangelista interpretatur *doctrinam* Pharisęorum. Esto ergo, Deus Eccclesiæ suæ commisit potestatem omnes omnis generis controversias definiendi (neque id fecit tantùm in gratiam Ecclesiæ universalis, sed & in gratiam Ecclesiarum singularum) hoc non est negandum, sed hęc potestas non est potestas Dominij, sed qualis est potestas Iudicis qui vulgò *subalternus* dicitur, cujus sententia stat si Lege nititur, non stat si lata est contra Legem, datur enim ab ea provocatio. Vt ergo Iudex superior inferiorem adiri jubet, neque, ordinis servandi gratiâ, patitur rem ad se statim deferri, attamen non prohibet idem Iudex superior, ne sicubi inferior Iudex erret, provocetur ad se, sic & hoc Christus, Ecclesiam jubet à nobis adiri, eamque consuli, at cum provocandi tamen ad se libertate, si illa erret. Ergo potest ex hoc loco colligi quis sit servandus ordo in Ecclesia in definiendis controversijs, non potest hinc colligi firmitas & veritas definitionis. Nam, quod hîc vel maximè observandum est, supponitur in hoc Christi præcepto revera peccatum esse, non opinione duntaxat (non enim dixit Christus, *Si frater tuus videtur in te peccasse*, sed *Si frater tuus in te peccavit*) & noluisse fratrem obedire rectè monenti Ecclesiæ, & studenti revocare in viam. Itaque, quemadmodum temerè provocatur à Iudice subalterno, neque temerè modò, sed damnosè etiam, etenim afficitur mulctâ à Superiore Iudice qui justam inferioris Iudicis sententiam contempsit: ita planè, qui ab Ecclesiæ judicio justo provocavit, multò magis qui id Iudicium contempsit, reddidit se obnoxium Dei judicio. At si frater non peccavit in fratrem, Ecclesia autem judicavit peccasse, non pertinet ea species (*casum* vulgò vocant) ad hanc Christi legem. Aut si res est contro-

versa & dubia, non spectet eò præceptum Christi, ut quis in re controversa cęcâ obedientiâ stet hominum judicio: Verbi gratiâ Prov. 6. jubentur Filij à Deo parêre parentibus in omnibus, & quicumque non paret patri monenti habetur in Scriptura pro execrabili, quid ita? quia nempe supponit Scriptura patrem monere sapienter & piè, quod si pater secus faciat, non tenetur conscientia filij ulla lege obstricta, pręter eam quæ sit Dei. Quisquam-ne est qui ex ejusmodi pręcepto de obediendo parentibus, colligat, cæcâ obedientiâ filijs esse parentibus obediendum? Ne ipsi quidem Pontificij sic collegerint, neque enim putant parentes non posse errare. Sic jubent extremo supplicio affici Leges humanæ & divinæ, quicumque Principi sese exhibent rebelles: Nemo tamen inde collegerit, Principes non posse errare, aut in omnibus, nulla adhibita cautione, Principi esse parendum. Sic Scriptura commendat obedientiam quæ debetur ijs qui pręsunt Ecclesiæ, singulis, inquam, neq; tamen voluit eo, (etiam fatentibus Adversarijs) singulos Ecclesiæ Præpositos non posse errare; hujus generis enim hortationes requirunt conditionem, ut hoc loco, *si in te peccaverit*: Nam alioqui temerè delatus innocens frater, temerè damnatus, adulterij puta, non tenetur eo se adulterum fateri. Sanè illi ipsi quibuscum nobis jam res est, fatentur in quęstione de facto Papam ipsum posse errare (atqui hîc agitur de quęstione de facto) itaque solemnis formula inter eos est, *Clave non errante*, quæ nimirum si erret, nec Absolutio prodest, nec Excommunicatio obest, sive nocet. Ergo quum jubemur stare judicio Ecclesiæ, illud semper intelligendum est, *dummodo Ecclesia faciat quod Ecclesia est.* Nam & Christus (uti jam dictum est) jubet adiri & audiri Pharisęos, *sedent enim*, inquit, *in cathedra Mosis*, quâ adjectâ ratione indicavit non absolutè, sed certâ quâdam conditione eos esse audiendos, nimirum quatenus & quandiu verè Mosis partes agunt, verè docent quæ tradidit Moses, id enim est, *sedere in cathedra Mosis.* Temerè igitur ex eo quod Christus contemptoribus Ecclesiæ interminatur gravissima, colligitur eam non posse errare, cùm eadem tribuantur Parentibus, Regibus, Pastoribus, etiam falsis Doctoribus in Ecclesia (Pharisęis puta) Doctoribus tamen. Quorsum igitur (inquiet aliquis) spectat hęc locutio? Nempe sic loquendum est, quoties de his agitur qui constituuntur in officio aliquo & munere, ut ijs concilietur authoritas: statuendum enim est fore ut officio suo ritè fungantur, in eorum gratiam qui eorum fidei commissi sunt. Sic dum pater liberos commendat Pędagogo, minus obsequentibus interminatur, hoc tamen semper subaudit, modò ne turpe quicquam, aut quod sit contra bonos mores pręscribat, quod si fiat, etiam septennis filij, aut quinquennis indoles laudatur à Patre, si authoritatem, & verò si severitatem Pedagogi fuerit aspernatus.

℣. 17. ἔςω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς ϗ ὁ τελώνης.] Est quidam loquendi mo-

dus ſeu figura quam Iudęi vocant דרך גנאי, Rhetores autem & Grammatici Gręci λόγον διασυρτικόν. Eſt autem iſta figura tum familiaris, quum agitur de re aliqua quam ſtudemus reddere exoſam. Iudęis non Ethnici modò, ſed & Publicani, erant vel maximè exoſi, habebanturque pro hominibus prorſus impijs & profanis. Chriſtus autem non ubique ſequitur genus dicendi accuratum, & exactum ad normam Philoſophorum & Oratorum, ſed utitur ut plurimum, & ferè ſemper, ijs loquendi formulis quæ populo erant in ore. Itaque, ſequutus hîc vulgatam loquendi conſuetudinem, eos dixit *Publicanos* quorum (ut loquitur Scriptura) portio eſt in hoc mundo, homines impios & profanos. Nec Chriſtus modò, ſed & Apoſtolus Paulus, ſic loquitur ut vulgi rationem habeat, utiturque ejuſmodi διασυρτικῷ λόγῳ, ut verbi gratiâ Gal. 2. 15. *Nos naturâ*, inquit, *Iudæi*, *non ex Gentibus peccatores* dum ſic loquitur non vult ſignificare fideles è Gentibus potiùs eſſe peccatores, quàm ſunt Iudęi fideles, ſed ita locutus eſt על דרך גנאי ſequutus ſententiam Adverſariorum de fidelibus qui erant è Gentibus. Idem Epheſ. 2. 11. hortatur Epheſios velint meminiſſe qui fuerint olim, nempe *Gentes*, dictum id eſt διασυρτικῶς, per contemptum priſtinæ conditionis. Idem genus loquendi adhibuit Chald. Paraphraſtes Levit. 25. 47. ubi alienum à Dei populo, quicunque tandem ſit & cujuſcunque Gentis, vocat ארמאי *Aramæum* ſive *Syrum*. Sic & Syrus Interpres in Novo Teſtamento quod dicitur cap. 16. Actorum ſtatim initio, Timotheum fuiſſe filium *Græci patris*, exponit *patris* ארמיא *Aramæi*, ſequutus nempe דרך גנאי non enim eo loco notatur tam natio patris Timothei quàm religio: cùm enim Syri, etiam antiquitùs, eſſent nobiliſſimi Idololatræ, hinc factum eſt ut quicumque à Deo vero eſſet alienus, *Syrus* hac loquendi formula vocaretur. Sic apud authores Eccleſiaſticos Ἕλληνες dicuntur, non qui natione Græci ſunt, ſed qui non ſunt Chriſtiani: eâdem figurâ quâ Galli ſolent vocare *Turcas* & *Arabas* non eos modò qui ſunt Turcæ & Arabes natione, ſed etiam homines crudeles, barbaros, & avaros. Iuxta hanc loquendi rationem, Chriſto & Evangeliſtis penè ſolemne eſt, quoties *peccatorum*, hoc eſt, hominum profanorum & impiorum faciunt mentionem, toties meminiſſe *Publicanorum*. Itaque Dominus Ieſus cap. 20. hujus Evangelij ſecundum Matthęum, ſcorta ſeu meretrices Publicanis adjungit, & initio cap. 15. Evangelij ſecundum Lucam, *Publicani* & *peccatores* conjunguntur. Neque hæc figura Novo Teſtamento peculiaris eſt, ſed etiam in Veteri uſitata. Nam Deus Ezech. cap. 16. 2. Iſraëlitis exprobrat quod eorum habitatio eſſet *Chananæorum habitatio*, quod nati eſſent *patre Amorrhæo, & matre Chittæa*, Dictum illud eſt על דרך גנאי, nam Chananæi, Chittęi, Amorrhęi gentes erant exoſæ: itaque dum vult Deus exagitare Iudęos, *Chananæos* & *Amorrhæos* eos vocat. Conſimili figurâ Iu-

dæi (Iohan. 8. 48.) Christum vocant *Samaritanum, & dæmonium habere* dictitant, non quod putarent Christum esse Samaritanum aut arreptitium, sed quod ea nomina apud Iudæos significabant rem maximè invisam. Sic etiam Arabes dissentientem à se in religionis negotio, maximè verò Ethnicum מגוש hoc est, *Magum* vocant. Itaque verba Christi hoc loco non efficiunt ut statuendum nobis sit, eum hoc tantùm velle, ut qui Ecclesiæ dicto non est audiens conveniatur apud Magistratum, non verò ut habeatur pro homine prophano.

℣. 18. ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα, &c.] Verba illa *ligare*, & *solvere* in Ecclesia Iudaica fuere usitatissima, proindéque notissimæ significationis quo tempore Christus agebat in terris. Significabat autem *ligare* in Ecclesia Iudaica *interdicere*, *prohibere*, contrà *solvere* significabat *permittere, concedere*. Itaque eorum linguâ אסר est *prohibere*, & contrà התיר est *permittere*, ut quum dicunt, *Ezechielem & Davidem nihil ligasse nisi quod esset ligatum in Lege.* Itaque *ligare* est declarare rem aliquam esse profanam & illicitam, ut sint illa quæ ipsi איסורי vocant, hoc est, *res prohibitas*, quarum usus est ex Lege illicitus. Contrà *solvere* est pronuntiare rem aliquam esse legitimam, sive ex Lege licitam, ut sunt illa quæ ipsi vocant מותרים. Vt sit hæc sententia Christi, *quæcumque Ecclesia causâ cognitâ declarabit esse injusta, ea Deus declarat esse injusta, contrà, quæ Ecclesia pronuntiat esse justa, ea Deus justa pronuntiat.* Nam & hoc observandum hìc est, Christum non sic loqui, *quoscumque ligaveritis*, aut *quoscumque solveritis*, sed neutro genere usus est ὅσα *quæcunque*, non ὅσους *quoscunque*, haud dubiè non sine gravi causâ. Vide & quæ suprà notata sunt ad cap. 16. ℣. 19.

℣. 19. πάλιν.] Quid πάλιν hoc loco significet non est usque adeò clarum, propter inusitatam hujus significationem, in qua hìc adhibetur. Nam πάλιν linguâ Græcâ duo tantùm significat, vel enim est particula, ut ita loquar, *repetitiva*, quæ significat repetitionem rei jam factæ, aut sermonis jam dicti, vel est particula *oppositiva* significans oppositionem, quum significat *contrà, è diverso.* At hìc neutrius est significationis, nam nec Christus hìc quidpiam reperit quod antè dixerit, neque facit oppositionem. Quid igitur est? Locutio est Syriaca, in qua linguâ particula respondens particulæ πάλιν significat additionem, idemque quod linguâ Latinâ *præterea.* Est autem illa particula תוב (ducta ex שוב Hebræo) quæ significat *iterùm*, *præterea*, *etiam.* Vt cap. 4. hujus Evangelij ℣. 7. quum Diabolus tentat Christum, citat locum è Scriptura, Christus autem respondet; πάλιν γέγραπται, noluit opponere Scripturam Scripturæ, neque repetere locum Scripturæ prius allatum; hoc tantùm voluit, *etiam scriptum est*, ut illud scriptum est, ita etiam & hoc, & cap. 5. 33. hujus Evangelij, πάλιν ἠκούσατε, &c. *rursus dictum est Antiquis, non perjerabis*, noluit dicere hoc bis esse dictum, tantùm sensus est, *Præterea dictum est.*

Ibid. λέγω ὑμῖν.] Accipiendum est illud dictum signanter, non enim significare tantùm vult Christus se aliquid dicere, sed majus aliquid. Et certè hæ locutiones, *dico tibi*, *dico vobis*, vel sunt *constitutivæ*, hoc est, significant constitutionem, vel sunt *affirmativæ* & *asseverativæ*, nullus ut dubitationi locus in auditoris animo relinquatur: verbi gratiâ, cap. 2. Evangelij secundùm Marcum, dum Christus vult se demonstrare verum esse Deum, & qui non per blasphemiam sibi tribuit potestatem remittendi peccata, ait Paralytico, *Dico tibi, Surge, & tolle grabbatum tuum.* Et cap. 4. ejusdem Evangelij secundùm Marcum, *Puella, dico tibi, Surge.* Vbi, *dico tibi*, constitutivum est; Quò pertinet quod dicitur Psal. 82. *Ego dixi, vos Dij estis*, ubi *Ego dixi* vox est potestatis constituentis, unde Apostolus dixit Rom 13. 1. *omnem potestatem esse à Deo.* Et est eadem locutio *asseverativa*, sed quæ asseverationem cum authoritate conjunctam habet, cujus locutionis passim exstant exempla in Evangelio. Nam Christus cùm aliquid magnum affirmat (cùm præesset domui Dei non ut servus, sed ut filius) *dico*, inquit, *vobis*, *dico tibi.* Similis est locutio apud Prophetas, *dixit Dominus.* Itaque non est oscitanter legendum in Evangelio, *dico tibi, dico vobis*, præsertim hoc loco, quo Christus promittit Ecclesiæ rem optatissimam & maximè necessariam. Itaque *dico vobis* hoc in loco idem est quod Græcè διϊσχυρίζομαι ὑμῖν, & Hebraicè מבטיח אתכם. Itaque LXX Interpretes blasphemum illud Rabsacæ dictum אל יבטח אתכם *ne faciat vos confidere Ezechias*, verterunt, μὴ λεγέτω ὑμῖν Ἐζεκίας.

Ibid. ἐὰν δύο ὑμῶν. Et mox ℣. 20. οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς.] *Duo aut tres*, hoc est, vel paucissimi. Prospexit enim Dominus quibus tempestatibus Ecclesia sua esset jactanda. Nam Regibus terræ licet quando illis libet habere conventus, & quidem frequentissimos; Non est ea semper Ecclesiæ conditio. Iam verò duo aut tres minimum & infrequentissimum faciunt conventum, itaque hac locutione usus est Dominus. Sic Hebræi dum volunt dicere *non ita pridem*, *dicunt* תמול שלשום *heri, nudiustertius.* Sic Oseæ cap. 6. 2. *Dominus à duobus diebus vivificabit nos, & tertio die excitabit nos*, hoc est, brevi Dominus nos liberabit. Non sunt igitur hæc verba accipienda præcisè, quamvis etiamsi præcisè accipiantur, res eòdem redibit.

Ibid. συμφωνήσωσι.] Συμφωνία est vox musica quæ *concentum* significat. Concentus autem à cantu eo differt, quod cantus unius sit, concentus nonnisi plurium. Hîc verò consensum significat animorum, qui in hoc situs est quod plures non modò eòdem, sed eâdem viâ tendunt. Certè nisi eòdem tenderint summa erit dissentio, nisi viâ eâdem tenderint, erit quidem dissensio, at non erit summa. Hoc illud est quod Iudæi, qui post Prophetas scripserunt, vocant הסכם. Porrò

observandum

obſervandum quod Geneſ. 14. 3. ubi eſt חברו LXX. Interp. verterunt συνεφώνησ. Eſt autem חברו eo loco, *convenerunt in unum locum ut inirent conſilia de conſciatione adverſus communem hoſtem.* Itaque Oſeæ cap. 6. 8. חבר ſignificat *collegium & ſocietatem hominum idem ſentientium:* quare ſi חברו eſt συνεφώνησαν, חבר erit συμφωνία. Ergo חבר כהנים eo loco non erit ſimpliciter *Collegium Sacerdotum*, ſed *collegium Sacerdotum conſentientium inter ſe.* Itaque videtur Dominus noſter Ieſus Chriſtus non ſimpliciter notaſſe conſenſum, ſed conſenſum hominum qui coïerunt in eundem locum; quod & ſequentia confirmare videntur. *Nam*, inquit, *ubi duo aut tres convenerunt in nomine meo, ego ſum in medio eorum.*

Ibid, περὶ παντὸς πράγματος.) Doctiſſimus Interpres diſtinxit hæc à prioribus ὑποσηγμῇ, atque conjunxit cum ſequentibus. Rectè. Nam nihil aliud vult Dominus niſi ſuos, quoties unanimi conſenſu, & ſtudio decernendi ex præſcripto Verbi Dei quid fas aut nefas ſit, in unum locum convenerint, quæcumque ad hanc rem ſubſidia petierint, impetraturos: quamquam etſi verba iſta jungantur cum præcedentibus res eódem redibit; non enim eo divellentur ab iis quæ proximè ſequuntur οὗ ἐὰν αἰτήσωνται. οὗ ἐὰν.) Notandum eſt quoties ἐὰν ſequitur poſtpoſitivum ὅς, ἥ, ὅ, id ipſum ſignificare quod Latinis *cumque* quum adjicitur pronomini *qui*, *quæ*, *quod*, ſic *quicunque*, *quæcunque*, *quodcunque*, cujus rei exempla nihil eſt neceſſe referre, cùm ſint crebra in N. Teſt. Vno erimus contenti, quod eſt cap. 15. 5. hujus Evangelij, δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, &c. de cujus loci ſenſu vide ſupra ſuo loco. Αἰτήσωνται.) Αἰτεῖν & ἀξιεῖν differunt: Nam ἀξιεῖν eſt *poſtulare aliquid*, nempe *ex jure* at αἰτεῖν ſeu αἰτεῖσθαι eſt *ſuppliciter aliquid petere*, unde qui Græcè προσαίτης dicitur, Latinè dicitur *mendicus*, Sic deſcribitur precantium affectus. Γενήσεται αὐτοῖς.) Phraſis eſt etiam Hebræa, *erit illis*, nam quod factum eſt, נהיה illis dicitur, hoc eſt, *fuit*.

℣. 20. εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα.] Quid ſit *cogi in unum Chriſti nomine*, non adeò liquet, unde tot & tam variæ exortæ ſunt interpretationes: itaque tenendum eſt quid ſibi velit in Scriptura hæc locutio, *in nomine Dei*, *in nomine Chriſti.* Igitur ut ad rem veniamus, *Nomen Dei* primò ſignificat nomen illud quo ſe diſtingui voluit à fictitijs Dijs, nomen autem illud eſt יהוה ut ait ipſe Dominus Exod. 3. 14. *Ego ſum* יהוה, *Deus patrum veſtrorum*; *Hoc eſt* (inquit) *nomen meum*, *& memoriale meum.* Vnde factum eſt ut Iudæi השם, hoc eſt, *Nomen*, pro ipſo Deo dixerint. At in Scriptura ſacra ponitur quidem pro Deo ipſo Dei nomen, ſed hac formula *Dei nomen*, non formulâ Rabbinicâ השם *nomen* ſimpliciter. Hæc igitur eſt prima huius formulæ *nomen Dei* ſignificatio, ut nempe ſignificet ipſum Deum. Sed quum aliquid fieri dicitur *in Dei nomine*, diverſa locutio eſt, tum enim *nomen Dei* ſignificat authori-

K

ritatem & potentiam Dei; ut Sam. 17. 45. David profiteur se prodire adversus Goliathum *in nomine Domini*, hoc est, non fretus meis viribus, nec mea authoritate, sed Dei potentiâ, & jure quod obtinet in omnes. Sic Psal. 20. 8. *Illi in curribus & equis, sed nos in nomine Domini commemorabimus*, hoc est, illi jactant robur & instrumenta bellica, nos autem potentiâ Dei & authoritate in creaturas nitimur. In Ecclesia autem Iudaica tam fuit hæc Phrasis usitata, ut Actor. 4. 7. sic Petrus & Apostoli compellentur à Synedrio, *in qua potentia, & in quo nomine ista facitis?* id est, ut habetur cap. 21. 23. hujus Evangelij, *quis vobis dedit hanc authoritatem?* Hinc patet quo sensu dicamur, *servari in nomine Christi*, Actor. 3. 16. nempe vi & authoritate Christi. Et 1. Corinth. 6. 11. *justificari in nomine Domini Iesu.* Atque hinc affertur lux formulæ in Ecclesia celeberrimæ, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, hoc est, authoritate Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizo te in remissionem peccatorum, & sanctificationem Spiritus, alioqui Baptismus esset ritus inanis. Itaque hoc loco ij dicuntur *convenire in Christi nomine*, qui deliberaturi de re magna, nec ex authoritate sua conveniunt, sed ex vocatione, hoc est, jubente Christo: neque item subnixi viribus suis, sed fiduciâ auxilij Christi. *Ego* (inquit Christus, Iohan. 5. 43.) *veni in nomine Patris mei*, hoc est, missus à Patre, *& non recepistis me, alius veniet in proprio nomine*, id est, à nemine missus, sua authoritate, *& recipietis eum*. Neque id solum requiritur, sed etiam ut qui vocantur à Deo, à Deo pendeant (pendebunt autem à Deo si in consilijs suis sequantur Dei præscriptum, quod nisi fecerint, non convenerint in nomine Dei, sed in suo nomine) tum etiam agnoscant non posse fieri ut sequantur in consilijs præscriptum Dei, nisi Deus adsit per Spiritum suum, & det ipsis bonam mentem. Tenemus igitur quid sit *convenire in nomine Christi*, nempe convenire primò ex vocatione, secundò convenire animo sequendi præscriptum Dei. Tertiò, ita ut unusquisque diffidat sibi, & soli Deo fidat, & promissionibus auxilij divini. Et ratio est, quod scilicet ex phrasi Scripturæ, *aliquid facere in nomine Dei*, est aliquid facere subnixum authoritate & potentiâ divinâ.

Ibid. ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν.] Videri posset hîc esse Pleonasmus, attamen nihil minùs est: Nam *esse in medio* duobus modis dicitur in Scriptura Phrasi Hebræa, vel enim *in medio esse* dicitur is qui adest, ut verbi gratiâ Chittæi dicunt Abrahamo, *Nonne tu es Princeps Dei in medio nostri?* Genes. 23. 6. ubi Chaldaïcus Paraphrastes rectè vertit ביננא *inter nos*. Et Ezechiel cap. 1. ✠. 1. *Ego eram* בתוך הגולה *in medio captivitatis*. Huc etiam pertinet quod scriptum est Esai. 52. 11. & repetitum à Paulo 2. Cor. 6.17. *Separamini de medio eorum*, nihil aliud est quàm segregemini ab ijs. Profectò si hæc esset significatio perpe-

tua hujus locutionis, Pleonaſmus eſſet, ſed qui tamen haberet emphaſin, quomodo Græci dicunt πάλιν καὶ πάλιν, Latini *etiam atque etiam:* Sed nihil neceſſe eſt huc confugere. Nam & Phraſi Scripturæ *eſſe in medio* dicitur is qui præeſt, qui [ut vulgò dicimus] reliquis præſidet. Vt Pſalm. 82.1. *Deus judicat in medio Deorum*, præceſſit enim, *ſtat in congregatione Deorum.* Nam locus Præſidis eſt medius locus in cœtibus Iudicialibus, ut, quantum fieri poteſt, ab omnibus ex æquo pariter audiri, pariter omnes queat audire.

✠. 27. σπλαγχνισθεὶς δὲ ὁ Κύριος, &c.] Sociniani hinc concludunt, ſignificatum hac parabola à Chriſto, Deum citra ullam ſatisfactionem homini condonare peccatum; Cùm tamen in redditione parabolæ Chriſtus ejus rei non meminerit: Quamquam ut illis liceret hoc urgere, tamen non poſſent aliud efficere, quàm Deum non exigere ab eo ſatisfactionem cui peccatum condonat. Cęterùm non eſt eadem debitæ pecuniæ & pœnæ apud Deum ratio, nam pecunia debita ni ſolvatur in nullius damnum cedit præterquam creditoris: itaque ſi tam dives eſt ut hoc damno non lædatur, ſi bonus eſt condonat gratis, nulla, non jam dico à debitore; ſed ne à ſponſore quidem exacta ſolutione. At pœnæ debitæ non eſt eadem ratio, non enim ideò Iudici debetur, quia niſi luatur, Iudex in damnum incurret, ſed quia niſi ſolvatur non fiet juſtitia. Medius hîc itaque tenetur Hæreticus: ſeu enim mens Chriſti fuerit oſtendere rationem condonationis peccatorum noſtrorum [quod verum non eſt] tantùm inde effecerit, Deum nihil à nobis exigere; ſeu non fuerit ea Chriſti mens [uti patet ex redditione Parabolæ] abuſus eſt hoc loco.

In MATTH. Cap. XIX. ✠. 3.

ἀπολῦσαι.] *Dimittere*, etiam Latinè *abſolvere* dicitur, ut ſi quis abſolvi ſe petat, nihil aliud petit quàm ſibi ut liceat diſcedere. Iam verò cùm uxor nonniſi invita dimitteretur [unde repudiata גרושה hoc eſt, *expulſa* dicitur in Scriptura, quamquam & שלוחה *dimiſſa* etiam dicitur, ſed שלח Hebraicè etiam *invitum ejicere* ſignificat, non modò *mittere ire volentem*] quæri poteſt cur Hebraicè שלח hoc loco ab Evangeliſta vertatur ἀπολῦσαι? Ad hoc reſponderi poteſt, rem duram molli verbo aliquando ſignificari, ut qui mortuus eſt eum *vixiſſe* Latinè dicimus, non dicimus eſſe mortuum. Sic Achis Pſal. 34 1. dicitur ſecundùm Hebræum *ejeciſſe Davidem*, ויגרשהו ubi LXX. reddiderunt ἀπέλυσεν αὐτὸν *abſolvit eum.* Deinde *abſolvi* dicitur mulier quum dimittitur, quia ea dimiſſione ſolvebatur nexu: non enim, quandiu viro obnoxia eſt, mulieri licebat novo nubere viro, at dimiſſa, ipſa dimiſſione hoc jus acquirebat, nam quæ anteà non erat ſui juris & libera, ſic ſui juris reddebatur. *Repudium* igitur & ἀπόλυσις haudquaquam pugnant, etiamſi invito & reluctanti repudij libellus obtruderetur.

Ibid. τὴν γυναῖκα αὐτοῦ.] *Vxorem suam.* Non sine emphasi dicitur *uxorem suam*, satis enim videbatur dixisse *uxorem*, quando alienam nemo dimittit, sed suam; Verumtamen sic videtur dimittenti uxorem acrius pervelli auris, cùm officij sui admonetur. Id quod haud dubiè, qua erant malignitate animi Pharisæi, de industria ab illis adjectum est, ut si Christus respondisset id licere, tanto majorem invidiam illi conflarent. Alia mente Paulus, 1. Cor. 7. 2. *unumquemque jubet habere uxorem suam.*

Ibid. κατὰ πᾶσαν αἰτίαν.] *Propter omnem causam.* Videri possit dictum insolenter, nam κατὰ certè non significat propriè *propter*, sed *secundùm, juxta*; Deinde *omnis causa* etiam durius dictum videri possit, cum dicendum potiùs foret *quaslibet*, vel *singulas causas.* Quod ad illud κατὰ attinet, observandum est Hebraicas præpositiones ב, על, תחת &c quæ multiplicem habent significationem, ideóque respondent multis præpositionibus in alia lingua, in Novo Testamento indiscriminatim reddi per quamlibet præpositionem cui in qualibet significatione respondent. Vt verbi gratiâ על significat aliquando κατὰ aliquando διὰ, hoc est, aliquando *juxta*, aliquando *propter*, (quomodo Latinè *propter* & *juxta* & *pro* significat) propterea LXX. Interpr. indiscriminatim seu על significet *propter*, seu significet *juxta*, id exprimunt per κατὰ Hujus generis locutio est quum εἰς pro ἐν, & ἐν pro εἰς ponitur, quod multoties fit in Scriptura, ut *redempti sumus in sanguine Christi*, hoc est, per sanguinem Christi. Quamvis & id dici possit, neque absurdè, κατὰ hoc significare etiam *juxta*, ut sit sensus, *Num statim atque oboritur aliqua occasio dimittenda est uxor?* Ita κατὰ retinuerit nativam significationem: Et certè id non videtur alienum à mente & scopo Pharisæorum. Cæterùm *omnis causa* hoc loco quælibet causa est, nam in Scriptura *omnis* non significat semper unum idemque: ponitur enim interdum pro *unoquoque*, quæ ejus primaria significatio est; deinde pro comprehensione atque complexu singulorum, ut verbi gratiâ Eph. 4 13. *donec omnes occurramus in unitate fidei*, significatur complexus atque unio singulorum, sic cum dicimus, *omnes fideles qui sunt, aut fuerunt, aut erunt, constituere corpus Christi*, non intelliguntur singuli fideles seorsim sumpti, sed conjunctim omnes, cuncti, ut placet nonnullis Grammaticis eam vocem interpretari. Deinde significat *omnis* ex singulis ordinibus, vel etiam speciebus, certum, ut quum Christus dicitur *sanasse omnem morbum*, hoc est, omnia morborum genera; In Scholis vocant *genera singulorum*, non *singula generum.* Denique vox hæc *omnis* pro voce *quilibet* ponitur, nempe ita ut significentur singuli non jam conjunctim, sed disjunctim, inter quæ magnum est discrimen: nam qui omnes conjunctim dicit, singulos complectitur, ita ut oporteat sumi omnes: At qui *quemlibet* dicit (quod hoc

loco dicitur) non significat statim omnes esse sumendos, tantùm significat non interesse qui sumatur, ut (quod jam diximus) hoc loco quærunt Pharisæi, *An quamlibet ob causam liceat uxorem dimittere.* Causa verò αἰτία in Scriptura duplicem habet significationem, vel enim significat *crimen & culpam*, exempli gratiâ, titulus Crucis Christi ab Evangelista dicitur Matth. 27. 37. αἰτία γεγραμμένη, *causa inscripta, causa* eo loco crimen est, cujus falsò Christus insimulabatur, quàmquam vera fuit inscriptio. Et Pilatus, *nullam invenio causam in eo*, inquit, hoc est, nullum crimen. Verumtamen, quoniam divortia non semper fiebant ob crimen aut culpam, sed ea de causa quæ calamitatis potiùs quàm culpæ nomen mereretur, præstat ut hîc *causam* intelligamus non jam eam tantùm quæ culpam notat, sed occasionem etiam. Tenemus igitur mentem Pharisæorum, quærunt, *Num qualibet de causa, quæcumque tandem illa sit, statim atque datur, liceat divortium facere.*

℣. 4. οὐκ ἀνέγνωτε, &c.] Summa responsionis Christi huc redit: Qui non sunt duo sed unus, eorum alterutrum ab alterutro divelli nefas est, Atqui maritus & uxor ejusmodi sunt. Ergo, &c. Major Propositio est certissimæ veritatis: Enimverò ea quæ unum faciunt ejusmodi sunt ut habeant partium rationem, jam quum pars à parte abscinditur sane fit aliquid præter naturam, partium enim hæc est ratio, ut ex earum unione dependeat *Totius* salus. Iam Christus tribus argumentis id probat, probat, inquam, Deo authore virum & uxorem partes esse quæ unam carnem constituant, hoc est, arctissimo inter se vinculo conjungi.

Ibid. ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς.] Primum argumentum inde ductum est quod *Deus initio creavit marem & fœminam.* Quod argumentum levius videri possit (absit blasphemia dicto) nam & belluas Deus creavit mares & fœminas. Cæterùm longè aliter se res habet: nam in creatione belluarum nulla fit mentio maris & fœminæ, in creatione viri & mulieris id fit tantummodò. Et ratio est quia belluarum libidines vagæ sunt, ducuntur enim impetu naturæ, quod si in quodam genere aliter se res habet, factum est id admonendi hominis causâ, quomodo Sapiens ablegat nos ad formicas. Itaque id ipsum hîc accidit quod quum dicitur Deus adflasse Adamo Spiritum vitæ, cùm tamen in historia creationis reliquorum animantium, quorum spiritus est à Deo, nulla hujus adflationis mentio fiat, nempe factum id est, ut notetur animæ immortalitas. Ita planè mentio maris & fœminæ expressa est facta, ubi agitur de creatione viri & mulieris, ad notandam istam conjunctionem, ut certè res ipsa poscere videtur, nam omnia hîc ita comparata sunt, ut in ijs qui ratione præditi sunt non promiscua esse omnibus, sed duorum inter se conjunctio significetur.

℣. 5. ἕνεκα τούτου, &c.] Secundùm argumentum quo Christus utitur ex eo ductum est quod viro præscribitur ut adhæreat uxori suæ. Cujus argumenti vim quidam malè feriati homines, dum volunt ostentare acumen ingenij, studuerunt elevare: Aiunt enim scriptum esse, *Diliges proximum tuum ut te ipsum*, neque tamen ullam subesse caussam cur inde colligi debeat, colendam esse societatem constanter cum uno aliquo è proximis. Sed multa sunt quæ faciunt ut non debeat videri par ratio. Ac primò quidem illud, quod jubetur vir derelinquere patrem & matrem: Vnde efficitur, conjunctionem viri cum uxore summam esse, quando nulla in natura arctior conjunctio est quàm parentum & liberorum. Itaque si conjunctio viri & uxoris hanc ita superat ut illa ei cedat, profectò oportet eam conjunctionem esse multò maximam. Porrò summæ conjunctionis hæc est ratio ut sit individua.

Ibid. προσκολληθήσεται.] Verba sunt hæc notanda, *adhærebit uxori suæ*: nam hujus verbi hæc est significatio, ut προσκολληθήσεται significet arctissimam conjunctionem, nam quid sit κολλᾶν nemini est obscurum. Deinde vox Hebraica, quæ hac voce redditur, est דבק *adhærescere*, *conglutinari*, דבק autem est *ferrumen*, *plumbatura*, *conglutinatio*. Adde quod non simpliciter ea vox redditur κολληθήσεται, sed προσκολληθήσεται. Denique Apostolus 1. Cor. 6. 17. *qui adhæret Domino unus Spiritus est*. Nam quod sæpenumerò דבק sic usurpatur in Scriptura ut non significetur προσκόλλησις, sed conjunctio simpliciter, id fit figuratè. Vt sit finis, quandoquidem hæc verba non præcedunt, sed sequuntur, *& adhærebit uxori suæ*, ea necesse est obtinere eam vim quam sequelæ ratio exigit: Atqui præcessit, quod fœminam Deus creavit unicam, idque ex costa exempta ex viri latere; consequens ergo ratio postulat (ista enim dicuntur, ut loquuntur in Scholis, *illativè*) ut intelligatur conjunctio duorum. Certè Malach. 2. idipsum significasse videtur, *Nonne*, inquit, *unum fecit*, nempe Deus, *cùm esset abundantia Spiritus in eo?* Alludit scilicet Propheta ad hominis creationem, quæ peracta est afflatu Spiritus vitæ; q. d. Propheta, potuisset Deus plures simul homines creasse, neque enim deerat illi quem afflaret etiam multis, Spiritus, at verò unum tantùm creavit, nam mulierem ex costa viri efformavit: itaque mulier in viro condita est: neque verò plures efformavit mulieres, quod tamen proclive fuisset Deo, & facilè æquè atque unicam ex unica viri costa formare. Quorsum verò sic egerit Deus, Propheta indicat, *ut esset*, inquit, *semen Dei*, hoc est excellens semen. Nam qui gignunt ex promiscua & vaga libidine, dant ad instar belluarum operam procreandis liberis: itaque eorum soboles, si generationis rationem habeas, non est soboles digna, orta nempe ex nefario concubitu: unde factum est

ut quodam naturæ veluti instinctu, qui hac conditione nascuntur sint contempti, & vulgò infames habeantur.

Ibid. *καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν.*] Tertium Christus inde ducit argumentum, quod dictum est, *& erunt duo in unam carnem.* Certè in Hebræo nulla duorum fit mentio, unius carnis fit mentio. Attamen res ipsa poscit ut duo intelligantur, etenim neque unus vir cùm pluribus uxoribus, neque una uxor cum pluribus viris possunt unum efficere: oportet enim conjunctionem esse arctissimam, non potest autem esse arctissima inter plures quàm sint duo. Id quod facilè intelligi potest, nam arctissima unio est inter duo: quod si aliquando contingit ut unum multis arctissimè jungatur, hoc ideò fit quia illa multa unum sunt inter se: ut verbi gratiâ, Christus arctissimè unitur multis fidelibus, sed hoc fit ideò quia omnes fideles unum corpus constituunt. Itaque non singuli fideles sponsa Christi sunt, si volumus propriè loqui, sed tota Ecclesia, fideles simul sumpti, id quod fieri commodè potest propter uniusejusdemque Spiritus communionem, unde & dicuntur *corpus Christi*, & alij aliorum membra. At in matrimonio id non potest habere locum, nam non omnes simul, sed una quæque seorsim uxor est, neque potest maritus pariter se omnibus exhibere, si unà plures habeat uxores, unde oriuntur rixæ, contentiones, &c.

℣. 6. *οὐκ εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία.*] Ista viri & uxoris unio, qua fit ut sint una caro, intelligi potest si intendamus oculos in finem istius unionis; finis autem illius unionis est ut vir auxilium & subsidium habeat in promptu, non quodvis auxilium & subsidium, sed illud quod sit (ut loquitur Deus) כנגדו *ipsi simile* nullum autem ejusmodi auxilium suppeditari viro potest nisi cum eo coalescat in unum: nam auxilio viro opus est, primò ad procreationem sobolis: quamvis enim propriè genitor sit, non potest tamen solus generare naturæ conditione, unde fit ut genita proles utrumque parentem agnoscat, & quidem tanquam unum, unus enim ab uno est. Secundò, homini opus fuit auxilio in educandis liberis, nullum autem auxilium æquè ad idoneum nancisci potuit quàm uxorem, quæ eadem mater esset, quod fieri nullo modo potest sine hac unione; enimverò quo arctior conjunctio est, eo plura & efficaciora suppetunt amandi argumenta. Tertiò, homini auxilio opus fuit, vel ut (quod futurum fuisset, nisi lapsus intervenisset) communicaret cum alio gaudium suum, nam ut minuitur dolor, si quem habeas ad quem doloris tui sensus aliquis perveniat sic intenditur lætitia & gaudium, si quem habes qui tuum gaudium suum esse existimet. Id quod in statu naturæ, in nulla hominum conjunctione æquè potest contingere ac in conjunctione viri & uxoris, unde sequitur summam esse animo-

rum conjunctionem. Illud etiam observandum est, quod reliquæ societates, quæ fœdere contrahuntur, non continuò gignunt tam acrem & vehementem affectum amoris, nam hîc etiam inter ignotos, postquam fœdus pactum est, nascitur continuò summus amor, nisi id malignitate quadam impediatur. Quartò, hæc unio cernitur in communione rerum omnium. Etenim si viro benè est uxori non potest esse pessimè, & si uxori benè est non potest itidem pessimè esse viro, nam quod in alijs sæpenumerò fit societatibus ut privatis quisq; studeat commodis, in hac conjunctione id fieri nequaquam potest, cùm sit ejusmodi ut omnia sint, certè esse debeant, communia. Cæterùm, etsi hæc unio tanta sit, non facit paritatem tamen: id quod Apostolus 1. Cor. 11. non uno argumento probat, quorum prius hoc est, ***non enim vir***, inquit, ***est ex muliere***, ***sed mulier ex viro***, itaque vir respectu mulieris causæ quandam rationem habet. Deinde, *Non*, inquit, ***conditus est vir propter mulierem***, ***sed mulier propter virum***, interpretatur Apóstolus illud, ***faciamus ei auxilium***, nam auxilium certè aliò refertur: porrò quod refertur aliò minus est eo ad quod refertur. At hæc imparitas tantùm abest ut prohibeat quominùs hæc unio arcta sit, ut contra reddat arctiorem: Nam si pares essent vir & mulier, obtinere non posset id quò spectat illa unio, cùm ejus rei ea sit natura ut paritatem respuat. Sed quod diximus de unione viri & uxoris videtur etiam ad belluas pertinere, saltem hac in parte quòd inter eas conjunctio quædam sit procreandæ sobolis causâ, quandoque etiam educandæ, à naturæ instinctu, vel potiùs à Deo naturæ authore. Cæterùm longè aliter se res habet, in hoc primò, quod belluæ nulla ratione, sed naturæ impetu quodam conjunguntur, tum statim divelluntur; at viri & uxoris conjunctio non est ejusmodi, sed à consilio & ratione profecta. Quare ut Deus caveret ne homines perinde ac belluæ libidinarentur, in genere humano aliter marem & fœminam, aliter in belluarum genere creavit: nam generis humani marem & fœminam sic condidit ut fœminam ex viri costa effinxerit, at non est hæc ratio observata in generis belluini maris & fœminæ creatione: Ad belluarum autem prolis educandæ causâ societatem quod attinet, responsio facilis est, nam in illo genere primò hoc rarum est, deinde verò ut maximè frequens ac perpetuum esset, tamen hoc interest, quod hic amor non est perpetuus, nam postquàm fœtus belluarum adolevit, depellitur etiam ab iis à quibus duxit originem; at in genere humano (nisi naturæ ordo turbetur) procedente ætate non minuitur amor parentum erga liberos, sed crescit potiùs, adeò ut protendatur ad nepotes, & nepotum adeò nepotes.

℣. 7. τί οὖν Μωσῆς ἐνετείλατο, &c.] Verbum hoc ἐνετείλατο notat authoritatem junctam præcepto, neque enim temerè occurrit usurpata hæc

hęc vox aliter in Scriptura. Nam Apostoli certè non sic loquuntur ut præ se ferat eorum oratio ullam pręter Christi authoritatem, nempe non fuerunt Mediatores sicut Moses. Porrò videri possit dictum calumniosè, & sub esse cavillationem, cùm Moses non pręceperit dari libellum divortij, sed permiserit. Videri igitur possit Pharisęos rem auxisse in majus de industria; verumtamen multo aliter se res habet: nam quod hìc dicitur ἐνετείλατο *præcepit*, apud Marcum est ἐπέτρεψεν *permisit*. Nulla igitur, hac quidem in parte, cavillatione usi sunt Pharisęi, neque verò pugnant inter se Evangelistæ, quorum alter introducit Pharisæos dicentes ἐνετείλατο *præcepit*, alter eosdem facit dicentes ἐπέτρεψεν *permisit*. Nam Hebraicum verbum צוה utrumque significat *præcipere* & *permittere*, quia horum utrumque convenit, ut ita dicamus, genere analogico. Iam verò notum est nomine speciei analogicæ interdum genus ipsum designari. Itaque nihil prohibet permissionem *præceptum* dici. Sic 1. Reg. 5. 6. Salomon rogat Hiramum ut pręcipiat cędi in Libano cedros, hoc est, ut permittat cędi. Tenendum igitur *præceptum* duobus modis dici, vel ut sit *juris*, vel ut pertineat ad *juris relaxationem*: Si juris est, *præceptum* propriè dicitur, si pertinet ad juris relaxationem *permissio moralis*, quam voculam adjicimus ut distinguatur hęc permissio de qua agimus à permissione occultæ providentiæ, quæ non est juris relaxatio. Duo autem sunt genera relaxationis juris, unum est quo fit ut quod permittitur, cùm anteà non esset, evadat legitimum, ut liquet ex exemplo quod jam à nobis allatum est, non fuisset fas cędere cedros in Libano nisi permissu Hirami, qui Libani dominus erat, at cùm potuerit Hiramus remittere quantum visum esset de suo jure, potuerunt cędi cedri legitimè. Sed & alterum juris relaxationis genus est, quo non redditur legitimum quod fuit illegitimum, sed tantùm redditur minùs illegitimum, atque ita quodammodo cogitur in ordinem: Vt cum Magistratus, etsi nullo delectetur vitio, attamen multa permittit, hoc est, modò certa quadam ratione fiant non punit, neque verò eo fit ut probet ea, etiam facta certa illa ratione, sed quia aliter malo obviam iri non potest. Neque verò tenetur propterea obstricta conscientia Magistratus, dummodò faciat quicquid in eo genere fieri possit ad conservandam Rempublicam, quâ eversâ etiam boni malis permixti pereunt. Cùm igitur neutra harum relaxationum juris, neque ea qua res redditur legitima, neque verò etiam ea qua redditur minùs illegitima, aliundè proficisci possit quàm ab eo qui pręest cum imperio, neque verò alia ratione quàm proposito edicto (nam ea ad quæ conuivet Magistratus, atque ita demum permittuntur, habent analogiam cum ijs quæ per occultam Dei providentiam geruntur) hinc fit ut Linguâ Hebraicâ etiam juris relaxatio *præceptum* dicatur. Permissio itaque hìc est non qua ma-

lum permittitur, sed qua, si malum sit, circumscribitur certis quibusdam limitibus, ne ulterius evagetur. Porrò, ut permittere malum lege, malum est, à quo Deus abhorret, sic malum circumscribere ac definire, certum modum ei prescribere, bonum est. Nam ut prohibere omninò malum optimum est, sic si ejusmodi malum est ut prohiberi non possit, id lenire proximum optimo est. Hujus generis permissionem Christus hoc loco intellexit. Neque verò quispiam hîc objiciat Deum potuisse malitiam illam penitus tollere, non enim hîc agitur de occulta Dei providentia, & quid ea Deus effectum dare possit, sed de Legibus Dei. Nam quum Deus agit per occultam providentiam, ita agit ut eventus sequatur, quum agit legibus non item.

Ibid. *δοῦναι βιϐλίον ἀποστασίου.*] Vox hæc ἀποστάσιον *repudium*, planè Biblica est, ac prophanis Scriptoribus Latinis & Græcis ignota, nam *Divortium* διαζύγιον & διέσιον vocant Græci: quamquam inter hæc duo constituunt discrimen, nam διαζύγιον facit ut conjugium non possit redintegrari διέσιον levius esse videtur divortio. Βιϐλίον igitur ἀποστασίου est ספר כריתות qui vocatur in Scriptura. Nam Deus Deuter. 24. 1. (quo loco permittit dari libellum repudij) adeò sollicitè & cautè id permittit, ut ex ipsis permissionis verbis colligi possit id permissum veluti ægrè. Certè Ethnici in Divortio non requirebant tot circumstantias, satis erat vel nuntium remittere, & jubere ut uxor suas sibi res habeat. At primò quod à Deo jubetur scribi libellum repudij & uxori tradi, certè videtur inhibere quodammodo impetum animi concitati; & relinquere spatium deliberandi. Deinde, quod cavebatur ea permissione ne liceret marito in posterum uxorem quam repudiarat, revocare domum, contra quam fiebat inter Gentes. Tum & hoc singulari considerationе dignum est, quod non qualibet de causa licebat dare libellum repudij. sed certa quadam, nempe si maritus aliquid animadvertisset turpe & fœdum in uxore, quodque conciliaret horrorem. Denique & id notandum est, quod marito quidem permissum fuit uxorem dimittere, contrà uxori non licuit dare viro libellum repudij: Cujus rei hæc videtur esse ratio, quod non est paritas juris viri in uxorem & uxoris in virum, cùm vir uxoris caput sit. Sic pater injuriâ sepè, & non sine scelere interdum sevit in filium, at non licet filio sævire in patrem.

℣. 8. *πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν.*] Doctissimus Interpres vertit πρὸς, quasi Christi mens esset, *juxta duritiem cordis vestri*, adductus, ut sic prepositionem illam verteret, usu & consuetudine Grecorum. Ceterum hic sensus durior esse videtur. Quod verò verebatur discedere ab usitata significatione hujus præpositionis quum jungitur accusativo, metus vanus fuisse videtur. Etenim in libris Novi Testamenti, adeòque in versione LXX Interpretum (quorum phra-

ſes Scriptores codicis Novi Teſtamenti ideò æmulati ſunt, quod eſſent uſitatæ in ijs Synagogis Iudæorum quæ erant inter Gentes, à quibus collecta fuit Eccleſia) nihil eſt frequentius iſtis Enallagis prępoſitionum. Cujus rei, hęc eſt ratio, quod unica præpoſitio apud Hebræos complures habet ſignificationes, quibus prępoſitiones apud Græcos & Latinos plures reſpondent, plures, inquam, vel ſimpliciter in ſe, vel ſtructurâ plures. Atque hæc illis eſt Lex Hebræam propoſitionem vertendi, ut indiſcriminatim eam vertant, reddantque per quamlibet è prępoſitionibus cui reſpondet. Vt rem demonſtremus exemplo manifeſtiſſimo & uſitatiſſimo in Scriptura, *per ſanguinem & in ſanguine Chriſti* idem eſt, quia nempe ב Hebræorum reſpondet vel τῷ διὰ vel τῷ ἐν. Atque non aliter hoc loco accipitur πρὸς, nam reſpondet Hebrææ præpoſitioni על. Iam verò ut apud Latinos *propter* utrumque ſignificat, tum rationem ordinis (ut quum Latinè dicimus *propter aqua rivum*, &c.) tum cauſæ rationem ſic, על Hebræorum utrumque ſignificat, & rationem ordinis, & rationem cauſæ. Atqui hoc loco non ſignificatur ordinis ratio, πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν, *juxta cordis duritiem*, ſed cauſæ ratio pro διὰ τὴν σκληροκαρδίαν *propter cordis duritiem*.

Ibid σκληροκαρδίαν.] Vox eſt uſitata Scriptoribus ſacris, qui ea uſi ſunt, propterea quod קשה לב *durus corde* (nam קשה רוח aliud eſt, *mæſtum* nempe ſignificat) Hebræis dicitur *refractarius & contumax*, Ezech. 3. 17. dura enim ejuſmodi ſunt ut non admittant facilè impreſſionem, undè & *lapideum cor* in Scriptura dicitur. Hæc cordis durities dicitur etiam πώρωσις τῆς καρδίας.

℣. 11. οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον.] hoc eſt, *Omnes non ſunt capaces hujus rei* [λόγος nempe hîc eſt Hebręum דבר quod & *rem & verbum* ſignificat] *ſed quibus datum eſt à Patre*. Vel, τὸν λόγον τοῦτον, hoc eſt, τὸ ὑπ' ἐμοῦ λεγόμενον, *non ſunt omnes capaces hujus rei quàm vobis dico*, hoc eſt, non cuivis datum eſt eſſe eunuchum regni cœlorum cauſâ. Non verò ita accipienda ſunt hæc verba, ac ſi Chriſtus innuere vellet, ſententiam ſuam obſcuram eſſe, & quam quilibet non facilè intelligat, quod innuere tamen videtur verſio Gallica, minùs propterea hoc loco commoda, *Tous ne comprennent pas cela*.

℣. 26. ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ.] hoc eſt, In Eccleſiæ renovatione. Ac ne cui mirum videatur παλιγγενεσίαν appellari earum rerum converſionem, quæ poſt aſcenſionem Chriſti in cœlos, indéque Spiritus Sancti miſſionem, contigit in terris, Apoſtolus illud Eſaiæ cap. 65. 27. *Ecce creo vobis novum cœlum & novam terram*, huc refert, Imo verò, inquit, *Ecce nova facta ſunt omnia*, 2. Corinth. 5. 18.

Ibidem καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς, &c.] Dum Chriſtus αἰνιγματωδῶς

de ſtatu regni ſui, déque Apoſtolorum in eo dignitate, loquitur, qualis demum is ſtatus ſit futurus, id verò ſolet ſubinnuere verbis Regum, & regiorum miniſtrorum dignitatem, potiùs quàm ſpiritualem Eccleſiæ ſtatum ſignificantibus, ut hoc loco & Luc. 22. 30. Summam hîc in terris Apoſtolorum in Eccleſia authoritatem haud obſcurè, figuratè tamen, ſignificavit. Quin ut parem dignitatem, ſic & dignitatis illius paria inſignia & ornamenta à Chriſto his verbis accepêre: Hîc enim certè & dignitas par *Iuriſdictio in 12. tribus* & paris dignitatis nota eſt, *ſedere ſuper 12. thronis.* Nam quæ ita poſitæ ſunt ſtellæ, ut aliæ alijs inferiores ſint, eas certè illius ætatis conſuetudo, & Scripturæ uſus, *Thronos* dici vetat. Neque verò hîc ulla Tribus ulli ſeorsùm Apoſtolo tribuitur, qui peculiarem in eam habeat Iuriſdictionem. Sed quęrat hîc aliquis, quo conſilio Apoſtolorum numerum Dominus duodenarium eſſe voluerit. Cur item duodecim Tribuum Iſraëlis, dum eorum aſſignat Iuriſdictionem, potiùs quàm Eccleſiæ meminerit. Hîc ego quidem certè nihil affirmarim: Illud tamen omnino certum eſt, Eccleſia Iudaïca ea fuit, cui primùm diſertè Deus promiſerat Meſſiam, Gentibus ſecundariò, ac nonniſi contemptus jam ſcilicet ac repudiatus à Iudæis promiſſus fuerat; *Vobis*, inquit Paulus, *oportuit primùm annunciari Dei verbum.* Act.13. 46. Eccleſia itaque Chriſtiana prima illa ex puris Iudæis fuit conflata, Gentibus nondum admiſſis in conſortium tantæ dignitatis. Ea Eccleſia dein fuit Gentium Eccleſiæ vel radicis, vel fundamenti vice, cui illa ſcilicet, vel insereretur, vel inędificaretur; Gentes enim oleaſter, Iudęi olea fuere, cui Gentes tanquam ex oleaſtro ſurculi erant inſerendi. Quæ cùm ita ſe habeant, mirum videri non debet ſi Dominus noſter, eo tempore, quo myſterium vocationis Gentium nondum erat evulgatum cum Diſcipulis agens, tantarum rerum rudibus ac ignaris, totam Eccleſiam nomine *duodecim tribuum* deſignaret. Eadem hęc res cauſa fuiſſe videtur, cur & Diſcipulorum numerum duodenarium Dominus eſſe voluerit, ut ſcilicet quadrarent hæc aptius, & iſta Apoſtolicæ dignitatis deſignatio tanto eſſet illuſtrior & concinnior. Illud ſanè in hac cauſa ſingulare eſt, & omnino obſervatu dignum, quod Paulus, qui duodenarium numerum augeret, tum demum ad Apoſtolatum eſt vocatus, cum Eccleſia Chriſtiana Iudaica jam eſſet conſtituta. Nam anteà profectò, cùm Iuda proditore è medio ſublato, Collegium Apoſtolorum aliqua ſui parte diminutum & mancum eſſe videretur, unus Matthias in ejus locum eſt ſuffectus, qui juſtum Collegij Apoſtolici & legitimum numerum expleret. Hęc ſatis arguunt, in numero duodenario Apoſtolorum & tribuum Iſraëlis, ſummam & parem poteſtatem in Eccleſia regunda, tanquam figurâ ſignificari.

In MATTH. Cap. XXI. ℣ 9.

ἐν ὑψίστοις.] hoc eſt, *in cœlis*, quomodo Luc. 2. 14. δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ. Idem exprimitur voce ἐπουράνια Eph. 1. 3. ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν χριστῷ. Eſt autem phraſis Hebraica, במרומים quæ occurrit Pſal. 148. 1. *Laudate Dominum è cœlo, laudate eum* במרומים *in excelſis*. Et Iob. 31. 2 *Quæ portio Dei supernè erit, & quæ hæreditas Optimi maximi* במרומים ἐκ τῶν ὑψίστων.

In MATTH Cap. XXII. ℣. 23.

προσῆλθον αὐτῷ Σαδδουκαῖοι.] Sadducęi diverſa à Phariſęis & Eſſenis ſecta fuere. Tradunt nempe Iudęi Antigonum ſocerum Simeonis Iuſti qui initio temporum Templi ſecundi vixit (fuit autem hic Antigonus haud dubiè חסיד ſeu פרוש, orthodoxus tamen ut videtur) Diſcipulos ſic inſtituiſſe, *Ne ſitis tanquam ſervi qui Domino ſerviunt ea conditione ut accipiant mercedem, ſed ſitis tanquam ſervi qui Domino ſerviunt ac ſi accepturi non eſſent mercedem, & ſit metus cœlorum*, (hoc eſt Dei,) *ſuper vos*. Vnde duo ex ejus Diſcipulis, quorum alteri nomen fuit צדוק alteri ביתוס (hoc eſt βονθὸς) occaſionem ceperunt nefarij dogmatis, ut ſtatuerent animam unâ cum corpore interire, neque ullam eſſe, pręter eam quæ obvenit in hac vita, bonorum operum mercedem, quaſi verò ex eo quod pij viri officium eſt Deum colere, non mercenarij ſed filij animo, ſequeretur poſt hanc vitam nullam eſſe ſpem reliquam.

℣. 35. εἷς τῶν νομικῶν.] *Scribæ* γραμματεῖς & *Legiſperiti* νομικοὶ nomina videntur fuiſſe munerum, non verò Sectæ, quales erant Phariſęi, à quibus iſti propterea diſtinguntur. Cęterum quæri ſolet à viris doctis, fuerint-ne ijdem *Scribæ*, & Νομικοὶ, an verò diverſi. Et plerique omnes eoſdem fuiſſe exiſtimant, quod difficilè ſit horum diſcrimen oſtendere, ſi nominum habeatur ratio, nam *Scribæ* Legis erant Interpretes, quos Hebręi סופרים vocant γραμματεῖς Græci, & Νομικοὶ haud dubiè Legis itidem Interpretes fuere, Νομικοὶ dicti ἀπὸ τῦ νόμυ, quomodo γραμματεῖς dicuntur ἀπὸ τῦ γραμματων. Certum tamen eſt Chriſtum Luc. 11. 45. Scribas & Phariſæos à Legiſperitis ſive νομικοῖς diſtinxiſſe, nam quum Phariſæis & Scribis horrendum *Væ* denuntiaſſet, ſubdit καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς καὶ, ubi illud ϗ emphaſim habet. Præterea cùm increpuiſſet Scribas & Phariſæos, reſpondit quidam è Legiſperitis, *Magiſter, hæc dicens nobis etiam facis contumeliam*, ubi notandum illud *etiam nobis* q. d. non modò Scribis & Phariſæis, ſed nobis etiam, quæ verba nihil forent niſi Legiſperiti alij eſſent, alij Scribæ. Nobis quidem ita videtur. *Scribæ* fuerunt Legis interpretes, ſed qui publicè in Synagogis Legem interpretabantur, qui fungebantur munere Eccleſiaſtico. Νομικοὶ verò ij videntur fuiſſe quos Hebræi חכמים *Sapientes* vocant, qui Legem quidem interpretabantur, ſed in Scho-

lis, privatim, quod videtur posse colligi ex verbis Christi ℣. 52. *Væ vobis Legisperitis, quia sustulistis clavem scientiæ.* Nam olim insigne Doctoratus apud Iudæos fuit *clavis cum pugillaribus:* Itaque de quodam R. Samuele scripserunt, *eo mortuo clavem ejus & pugillares in loculo fuisse reconditos, eo quod filium non habuerit.*

℣. 39. τὸν πλησίον ἀγαπήσεις ὡς σεαυτόν.] hoc est, *Amoris tui erga proximum mensura esto tu ipse, singulos sic dilige quomodo tu ab ijs diligi velles si esses eorum loco.* Alioqui si sic intelligas illud dictum, ut alios omnes eodem amore prosequamur quo nos ipsos prosequimur, sequeretur nullos esse amoris & charitatis gradus, omnes debere planè eodem amoris gradu diligi, cùm amor quo ipsi nos prosequimur unus sit. Prior illa interpretatio videtur confirmari ex eo quod Rom. 13. 10. Apostolus inde colligit *charitatem esse legis complementum, quod illa neminem malo afficit.* Nam nihil inferre mali proximo, est eum eodem modo tractare, quo te velis tractari ab eo si ejus sis loco.

In MATT. Cap. XXIII. ℣. 2.

ἐπὶ Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν.] *Moses* Vetus Testamentum hîc significat, & *cathedra Mosis* est cathedra in qua explicatur Lex. Sic Actor. 15. 21. & 2. Cor. 3. 15. *Quando*, inquit Apostolus, *legitur Moses,* (paulo superiùs dixerat, *in lectione Veteris Testamenti*) hoc est, dum legitur Vetus Testamentum, nempe *Moses* & *Vetus Testamentum* idem significant. *Sedere* ergo *in Cathedra Mosis* non est Mosi succedere, sed doctrinam quam Moses tradidit, tradere, legere Mosen & Prophetas, & interpretari ad Mosis mentem. Nam profectò Scribæ & Pharisæi non fuerunt Mosis successores: Moses enim cum esset Mediator Veteris Testamenti nullum potuit, neque verò debuit habere successorem pugnat hoc cum ratione muneris Mediatorij, sed *Moses* hoc loco Legem significat.

℣. 3. πάντα οὖν ὅσα ἂν εἴπωσιν.] Hinc conciliorum infallibilitatem exculpere conantur Pontificij, sed frustrà. Nam non agitur hoc loco de Episcopis in unum congregatis, imò verò agitur de Scribis & Pharisæis corruptoribus Legis à quorum *fermento,* (hoc est, *doctrina,* Matth. 16.) Christus jussit Discipulos suos sibi cavere. Quid? ergone Christus dixerit pugnantia? Minimè verò, nam præcesserunt hęc verba, *Sedent in cathedra Mosis*, hoc est, legunt Mosen & Prophetas, & interpretantur ad Mosis mentem, hactenus sanè audiantur. Id quod nos facilè concedimus Scribis & Pharisæis in Ecclesia Romana, non minùs gravibus Christi hostibus quàm fuerunt prisci illi Scribæ & Pharisæi. Imo docemus hoc pacto Ecclesiam Christi fuisse conservatam, quod omnibus sæculis etiam deploratissimis, Scribæ & Pharisæi sederent in cathedra non modò Mosis & Prophetarum: sed Apostolorum

lorum etiam: Neque tamen inde ſequitur doctrinam quam tradiderunt non fuiſſe fermentatam & adulteratam, atque ejuſmodi ut quando purior lux Evangelij affulſit, non fuerit aliò confugiendum quàm ad iſtos Doctores, quorum fraus aliquam potuit habere ſpeciem, quandiu Deus majoris lucis copiam non indulſit.

℣, 4. δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα.] Alludit Chriſtus ad illud *ligare* & *ſolvere* quod erat Rabbinis ſemper in ore, *hoc ligatum eſt*, *illud verò ſolutum eſt*. De qua loquendi formula vide ſupra ad cap.18.8.& 16.19.

℣. 5. πλατύνουσι τὰ φυλακτήρια αὐτῶν.] Phylacteria iſta membranæ ſunt, quibus inſcribuntur quatuor Pentateuchi ſectiones, quarum prima continet novem priores verſus cap 6. Deuteronomij, ſecunda novem priores verſus cap. 13. Exodi; tertia octo poſteriores ejuſdem capitis, hoc eſt, verſus inter nonum & decimum ſeptimum interjectos; quarta continet ex Deuter. cap. 11. verſus qui ſunt à decimo tertio ad vigeſimum ſecundum. Hæc Phylacteria Iudæi fronti & brachio aptant, & תפלין vocant, quod vocabulum ſunt qui à תפלה deducunt, quæ vox *orationem* ſeu *precem* ſignificat, quod iſtorum תפלין præcipuus uſus eſſet in oratione, atque hoc pacto *Tephillin* dicuntur, quomodo Pontificij corollas ſuas, ſive roſaria ſolent vocare Linguâ Gallicâ *Panoſtres*. *Phylacteria* vero Græcè dicuntur quod fuerint ad inſtar Phylacteriorum concinnata: Porro φυλακτήριον Græcis eſt περίαμμα *amuletum*, quod annectitur corpori adverſus faſcinationes, item adverſus morbos, nam & περίαμμα eſt cujus uſus eſſe poſſit legitimus. Hunc autem ritum obſervarunt Phariſæis, ut & reliqua multitudo Iudæorum, qui quidèm Phariſæis fuerunt addicti, rati ſe in eo Deo obſequi, quaſi Deus id præſcripſiſſet quatuor illis Scripturæ locis, quæ illi Phylacterijs inſcribebant Nam ſua Phylacteria volunt eſſe ea quæ Deut.6.8.& Exod. 13.16. טוטפות dicuntur: Itaque Paraphraſtes Chaldæus Onkelos vertit תפלין Cæterùm non videtur Deus ijs locis commendaſſe uſum horum Tephillin, nam Exod. 13. agitur de rebus, non autem de verbis, atqui res quî poſſint eſſe Tephillin? nempe Deus vult Paſcha eſſe Iſraëlitis לטוטפות, hoc eſt, quod ℣. 9. ejuſdem capitis dicitur לזכרון *in monimentum*. Id quod facilè quis intelligat, ſi animo reputet quid ſignificet vox טוטפות, atque unde derivata ſit. Nempe ea voce ſignificantur *ornamenta*, id quod vel hoc argumento probari poteſt, quod 2. Sam. 1. 10. quod eſt in Hebræo אצעדה Chaldæus Paraphraſtes vertit טוטפתא. Cæterùm eo loci intelligitur *armilla* cum gemma quæ armillæ fibula fuit. Et certè quemadmodum אצעדה dicitur à צעד [quæ vox *motum* & *inceſſum* ſignificat, quod ea ornamenta ad motum corporis moverentur] ita טוטף à טפף deductum eſt, eſt vero טפף non ſimpliciter *incedere*, ſed inter incedendum corpus pueriliter agitare, itaque Eſaias cap. 3. 16. exprobrat puellis Iſraël

הלוך וטפוף *quod inter incedendum corpus pueriliter agitarent.* Haud dubiè igitur טוטפות *frontis ornamenta* sunt, quæ in incessu agitantur. Itaque Deuter. 6. Vetus Interpres vertit טוטפות *ea quæ moventur*, quod confirmat imprimis interpretationem nostram, LXX. verò Interpretes ἀσάλευτα, reddiderunt, κατ' ἀντίφρασιν, nam ἀσάλευτον propriè est *quod est inconcussum, quod non movetur:* quamquam fortasse illi scripserunt ἃ σαλευτὰ *ea quæ moventur:* quemadmodum habetur in editione Latinæ vulg. Pari ratione inducti Iudæi schedulas affigebant januis & portis, atque eas schedas seu membranas solent illi מזוזה vocare, propterea quod מזוזה *postes* significat. Atqui Dominus dum inscribi janùis Legem suam voluit, nihil aliud jussit aut voluit, quàm ut Legis memoria nunquam ex animo populi sui discederet. Similes extant locutiones in Proverbijs Salomonis, jubet enim Sapientia *alligari collo præcepta sua*, &c.

Ibid. μεγαλύνωσι τὰ κράσπεδα.] Fimbriæ hoc loco sunt quæ גדילים Hebraicè dicuntur. Iussit enim Deus populum Israëliticum uti veste fimbriata, atque istas fimbrias ut גדילים Deut. 22. appellavit, sic Numer. 15. ציצית easdem vocavit. Ea verò vocabula Chaldaicus Paraphrastes reddit כרספדין quæ sunt hæc κράσπεδα *fimbriæ*, quarum Christus hîc meminit, quibus etiam Iudæi ad superstitionem abutebantur, authoribus Pharisæis: nam & istis fimbrijs assuebant membranam, aut schedam inscriptam verbis Legis, desumptis ex ijs locis quorum modò meminimus, atque hanc schedam ציצית appellabant. Vnde unam eandemque rem תפלין dicunt quum aptatur capiti, מזוזה quum aptatur januæ, ציצית quum aptatur vesti. Verba eorum sunt, תפלין בראש ובזרוע מזוזה בפתח ציצית בבגד monentque ציצית appendicem esse fimbriarum. Iam facilè est perspicere quorsum Pharisæi spectarint, dum Phylacteria dilatarent sua, & fimbrias suas amplificarent, nempe ut eo cæteris pietate antecellere viderentur, quemadmodum inter Pontificios quo quisque superstitiosior est, eo gestat corollam majorem & grandioribus globulis.

℣. 7. καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, ῥαββί.] Cognomentum illud cœpit esse in usu paulò ante natum Christum, idque ab ipsis Iudæis observatum est. Nam qui Prophetas secuti sunt proximè Doctores in Ecclesia Iudaica, quos vocant אנשי כנסת הגדולה *viros M. Synoga*, ij nullis titulis populo commendabantur, non (ut dictitant Iudæi) quod tanta esset eorum excellentia (quamvis ea magna fuit) ut nullis explicari titulis potuerit; sed quod essent eâ ætate mores hominum à fastu magis alieni, & revera magnæ virtutes titulos non magnopere desiderant. At sæculo quod sæculum Christi præcessit cœperunt vocari *Rabbi* Doctores Ecclesiæ, *Rabban*. Cæterùm רבי *Rabbi* est רב cum affixo singulari, רבן *Rabban* cum affixo plurali Chaldaico. Magnum autem faciunt discrimen

discrimen inter רב *Rab*, רבי *Rabbi* & רבן *Rabban*. Nam *Rabbi* volunt aliquid esse minùs quàm *Rabban*; paucos enim è suis Doctoribus, & quidem eos tantùm qui sæculo quod sæculum Christi præcessit floruerunt, nomine *Rabban* ornarunt, & *Rab* positum simpliciter majus aliquid esse existimant quàm *Rabbi*, nempe Rab est Rabbi κατ' ἐξοχὴν. *Rabbi* verò titulus est omnium Doctorum.

ψ. 8. ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββί.] Quæritur quo consilio Christus Discipulis suis interdixerit ne *Rabbi* vocentur, & quidem hac usus ratione, *unus enim est Magister vester*, quid enim prohibeat unum esse Magistrum summum, cùm tamen plures sint hypodidascali? Neque planè satisfeceris hoc quærenti si responderis, non damnari titulum, sed fastum eorum qui supra modum eo titulo delectabantur, nam oratio Christi simplex est, *Nolite vocari Rabbi*. Itaque sic videtur occurri posse quæstioni: Non titulum, sed rem tituli duntaxat damnavit, res autem tituli non erat quodlibet Magisterium, quævis authoritas, sed Magisterium & Auctoritas unde nemini licebat provocare, in quo omnes oportebat acquiescere. Sic profectò nemini licet admittere cognomentum *Rabbi* aut *Magistri*; atque hoc unum est quod præcipuè hoc loco Christus damnat: Non vult enim fidem nostram ab ullius hominis authoritate pendêre, nec quemquam, etiamsi Apostolus esset tantum sibi arrogare. Itaque Paulus Gal. 1. 8. *Si vel nos, vel Angelus de cœlo aliud vobis annunciet Evangelium, Anathema sit.*

ψ. 15. ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον.] Pertinet illud ad redarguendam Pharisæorum ostentationem, quod Christus ijs exprobrat summam quidem diligentiam in conciliandis Proselytis, sed ijs quos multis partibus deteriores, quàm ipsi fuerunt, reddebant. Christus autem non reprehendit hanc Pharisæorum diligentiam, sed eorum mentem potiùs ac consilium. Itaque Christi verba non sunt ita accipienda ac si duo sejunctim Christus reprehenderet, primò, quod Pharisæi tantoperè laborarent in traducendis Gentilibus ad Iudaismum, deinde, quod eos facerent duplo magis reos gehennæ, sed sic reddenda sunt, *Væ vobis Pharisæi quod postquam omnem movistis lapidem ut vel unum conciliaretis Proselytum, miserum illum redditis vel vobis duplo deteriorem.* Fuit autem consilium Pharisæorum non Deo Proselytos, sed sibi & Sectæ suæ Discipulos & asseclas conciliare. Porrò Proselyti sunt quos Hebræi גרים vocant *inquilini* in terra promissionis, quam Deus populo suo singulari munere largitus est. Posteà etiam *Proselyti* vocati sunt qui etiamsi nullum haberent domicilium in terrâ Israëlis, tamen Iudaicam religionem, cùm essent exteri, profitebantur προσήλυτοι quasi προσεληλυθότες *qui accesserant* ad religionem Iudaicam. ποιῆσαι verò προσήλυτον uno verbo dicitur à Iudæis גייר & *fieri proselytum*

est נתגייר. Est igitur גייר προσηλυτίζειν, quomodo Matth. 28. 19. μαθητεύειν dicitur, hoc est, תלמד, pro ποιῆσαι μαθητὴν, *facere Discipulum*, à voce תלמיד μαθητὴς, quæ vox in Ecclesia Christiana remansit, at *Proselyti* nomen ideo non est usurpatum, propterea quod Vocatio gentium in Ecclesia Christiana non erat extraordinaria, sed ordinaria: itaque Gentes vocatæ non habebantur pro Proselytis, quin tum fuit eademque Ecclesia Iudæorum & Gentium. Ante illa tempora diversa fuit ratio vocationis, nam quicumque è Gentibus ad Iudęos transibant, id faciebant, veluti extra ordinem, nondum enim venerat tempus vocationis Gentium: attamen recens conversos è Gentibus ad Christianismum νεοφύτους vocabant, nomine cujus usus pręcedente tempore nullus erat. Fiebat autem ista admissio προσηλύτων in Ecclesia Iudaica etiam per Baptismum, non modò per Circumcisionem, uti pręceperat Dominus, fiunt enim Proselyti, ut loquuntur במילה בטבילה ובקרבן hoc est, *circumcisione*, *Baptismo*, *&* *oblatione*, fœminæ quidem Baptismo & oblatione duntaxat, viri tribus reliquis,

Ibid ὑιὸν γεέννης.] Tanta tamque operosa fuit in conciliandis Proselytis Pharisæorum diligentia, ut Discipuli Magistros superarent: atque hoc est quod Christus populari locutione significavit, cùm diceret *duplo magis filios gehennæ*, *quàm vos*, hoc est, multò superstitiosiores, multò confidentiores. Quod in Papatu usu venire solet, ut qui Pontificiorum Pharisęorum operâ ad Christianismum convertuntur, idololatriâ Papisticâ penitus imbuantur, à puritate religionis multò magis abhorreant quàm Doctores, quorum operâ conversi sunt scilicet.

℣. 29. καὶ ὑμῖν γραμματεῖς, &c. ὅτι οἰκοδομεῖτε, &c.] Ad ostentationem sanctitatis pertinet quod Prophetarum sepulchra ædificabant, quemadmodum hodie Pontificij solent insanis substructionibus profiteri reverentiam quâ memoriam sanctorum Martyrum prosequi se simulant. Id quod Christus perinde illis objicit, ac si animo commendandi Patrum suorum, qui Prophetas occiderant, immanitatem id ab eis factum fuisset. Quod sanè mirum videri possit, nam certissimum est Pharisæorum hoc non fuisse consilium, quemadmodum neque Pontificiorum hodie consilium est Tyrannorum atrocitatem & immanitatem commendare, dum ædificant in Martyrum honorem templa specie visenda. Attamen ita se res habet, objicit hoc consilium illis Christus, & quidem disertis verbis, *complete mensuram Patrum vestrorum*. Sed tenendum est orationem Christi esse figuratam; neque verò id dicemus, (quod tamen dici posset) Christum nihil aliud velle, quàm apud Deum illam exædificationem sepulchrorum Prophetarum eodem esse loco ac si studio Majorum homicidarum, odio Prophetarum, id fecissent, quando ipsi æmuli in hoc genere Patrum

fuerunt, nam & Christum Prophetarum Principem, & sectatores Christi persecuti sunt ad necem usque. Illud potiùs dicemus quod res est, indignantis esse hanc vocem, hoc autem facit indignatio quum justa est, ut quæ ab authoribus aliò referuntur, eò referantur quod authorum moribus est convenientissimum. Vt si hodie Pontificijs objiceremus omnem istam operam, hos sumptus quos impendunt Templis magnificè exstruendis, non eò spectare ut commendetur Martyrum memoria, sed potiùs ut comprobetur eorum atrocitas qui in Martyres sævierunt, quando hoc moribus & reliquæ vitæ Pontificiorum convenientissimum est, maximè cum quo nomine prisci illi Martyres interfecti sunt, eodem nomine furant in verè Christianos, eandemque fidem, quam prisci Martyres sanguine suo obsignarunt, profitentes. Figurata quidem erit locutio, vera tamen, omnis enim figurata locutio ad propriam, ut ejus teneamus sensum, revocanda est. Figura autem est ab affectu, affectus est ira aut dolor. Est ergo hæc verborum Christi sententia, *Vos quidem ædificatis Prophetarum sepulchra quos Majores vestri interfecerunt, sed si res æstimetur ex vestris moribus, id facitis ut atrocitatis Majorum vestrorum ac crudelitatis memoriam commendetis, nempe eadem facitis quæ illi.*

✠. 37. ὁσάκις ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν.] Abutuntur hoc loco Novatores ut probent Deum, quantum in ipso est, conari convertere quosdam homines, qui tamen non convertantur. Sed frustra sunt. Nam responderi potest, Christum hîc loqui non quatenus est Deus & Mediator omnipotens, sed quatenus erat homo, Minister. Pastor, Doctor Ecclesiæ, docens extrinsecus verbo, & eo affectu hæc dixisse qualis in eo fuit quum flevit Lazarum, humano nempe affectu.

In MATTH. Cap. XXVI. ✠. 1.

Καὶ ἐγένετο.] Est Hebr. ויהי quod usurpatur initio orationis.

Ἐτέλεσεν.] In simili argumento Lucas dixit ἐπλήρωσε, cap. 7. ✠. 1. Cæterùm utrobique Hebraismus est, nam Lucæ ἐπλήρωσε est Hebræorum מלא *implevit*, Genes. 29. 27. מלא את שבוע הזאת quod LXX. συντέλεσον reddiderunt, & sæpiùs per πληρῶσαι reddunt, ut Genes. 25. 24. & 29. 21. eodem modo quo à Lucâ usurpatur. At ἐτέλεσεν est כלה Deuteronom. 32. 44. ויכל משה לדבר את כל דברים האלה LXX. καὶ συνετέλεσε Μωϋσῆς λαλεῖν τοὺς λόγους, &c.

Πάντας τοὺς λόγους τούτους.] Hebræis frequens, ut Deuteron. 32. 44. loco modo citato כל הדברים האלה & alibi passim.

✠. 2. Τὸ Πάσχα γίνεται.] hoc est δεῖ γίνεσθαι, sic Matth. 2. 4. ποῦ ὁ Χριστὸς γεννᾶται, hoc est, δεῖ γεννᾶσθαι: & cap. 17. 11. Ἡλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, id ipsum est quod eodem capite ✠. 10. Ἡλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον. Sic loquuntur etiam Latini, quum locus, vel tempus legitimum & præstitutum designatur. Ovid. lib. 1. fastor.

Nox ubi transierit, &c.——

Te duo diversâ Domini de parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque dona ferunt.

Vbi *Coronant* & *ferunt* idem est quod *lege constitutum est ut id fiat*, & *de more id fit*.

Παραδίδοται.] Præs. pro fut. μέλλει παραδίδοσθαι, estque Rabbinicum נמסר.

℣. 3. Συνήχθησαν.] Συνάγεσθαι non designat coïtionem vulgarem, sed quæ fit Consilij capiendi causâ, quomodo accipiendum est celebri illo loco, *Vbi duo aut tres* συνηγμένοι εἰσὶν *in nomine meo*. Sic Psalm. 2. 2. καὶ οἱ ἄρχοντες συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ κατὰ τοῦ Κυρίου.

Οἱ Ἀρχιερεῖς, &c.] Designatur synedrium Majus quale tunc temporis fuit.

Εἰς τὴν Αὐλήν.] Αὐλὴ est Hebr. חצר *Atrium*.

Τοῦ λεγομένου. Hebraismus pro ὀνομαζομένου נאמר, quod idem est aliquando quod נקרא, Oseæ 2. 1. במקום אשר יאמר להם לא עמי *pro eo quod vocabantur, lo hammi*. יאמר להם בני אל חי *vocabuntur Filij Dei vivi* Vbi LXX. ipsi illud יאמר להם reddiderunt κληθήσονται καὶ αὐτοί, & ℣. 3. אמרו לאחיכם עמי *vocate fratres vestros hammi*, &c.

Καϊάφα.] Videtur esse ejusdem originis cujus Κηφᾶς, *Cephas*, nempe Syr. כיפא, sed scriptum fortè est Καϊάφα discriminis causâ.

℣. 4. Δόλῳ.] pro δολίως, Hebr. בנכל

℣. 6. Λεπροῦ.] Cognomentum est vel Simonis proprium, vel totius etiam familiæ, à casu inditum, quòd aliquando vel ipse pater, aut aliquis Majorum leprâ fuisset infectus.

℣. Ἀλάβαστρον.] *Pyxis* est *unguentaria*, μυροθήκιον. Callimachus in hymno in Pallada masculino genere extulit:

μὴ μύρα λωτροχόοι τᾷ Παλλάδι μηδ' ἀλαβάστρως,
οὐ γὰρ Ἀθαναία χρίματα μικτὰ φιλεῖ. Et Cicero lib. 2. Academic. *quibus etiam alabaster plenus unguenti putêre videtur.*

Βαρυτίμου.] יקר Vtrumque notat, nempe & *gravitatem* Syriacè, & *pretium* Hebraicè: Itaque quum vox ista βαρύτιμον Linguâ Græcâ minus usitata sit, credibile est Evangelistam voluisse insolenti vocabulo vim illius Hebraicæ vocis exprimere. Sic Apostolus dum αἰώνιον βάρος δόξης dixit 2. Cor. 4. 17. videtur allusisse ad significationem propriam vocis כביד quæ & *gloriam* & *pondus* vi suâ significat.

Κατέχεεν.] Pro more. Nam perfundebant caput oleo, ut passim in Veteris Testamenti libris videre est, quorsum respexit Psaltes psal. 23. 5. & 141. 5. Etiam apud prophanos scriptores. Horat. Od. 29. lib. 3. *pressa tuis balanus capillis*. Et lib. 2. Od. 7. *funde capacibus unguenta de Conchis*. Et paulò antè eâdem Odâ, *Coronatus nitentes malobathro capillos*.

ψ. 9. Εἰς τί ἡ ἀπώλεια.] *Ad quid.* Hebr. למה Genes. 25. vers. 22. למה זה אנכי & vers. 32. למה זה לי בכרה, & Esa. 1. 11. למה לי רוב זבחיכם

ψ. 10. Κόπους παρέχετε.] Hebr. uno verbo הוגעתם: nam יגיע est κόπος labor molestia, Es. 43. 24. הוגעתני בעונתיך, quod Græcè κόπους παρέσχες μοι reddendum foret.

*Ἔργον καλὸν εἰργάσατο.] Phrasis est Syrochald. עבדת עובדא טובא

ψ. 13. Λαληθήσεται.] pro ῥηθήσεται vel potiùs πολυθρύλλητον γενήσεται, Hebr. ידבר ut Cantici 8. 8. *quid faciemus sorori nostræ* ביום שידבר בה LXX. ἐν ἡμέρᾳ ᾗ ἐὰν λαληθῇ ἐν αὐτῇ, & Psal. 87. 3. נכבדות מדבר בך δεδοξασμένα ἐλαλήθη περὶ σοῦ.

ψ. 14. Εἷς τῶν δώδεκα.] Qui certo numero in aliqua dignitate constituti sunt solent à numero denominari, ut 2. Samuel 23. ψ 18. & 19. ubi viri fortes Davidis à numero ternario & tricenario denominantur; Sic Latinè Trium-viri; Decem-viri, & apud Venetos, *il Consiglio di Dieci*, Græcè πεντακόσιοι, qui apud Athenienses de causis gravioribus cognoscebant, ut etiamnum hodie apud Genevenses, *les deux cents*.

Ἰσκαριώτης.] Non videtur convenire, ut sit eadem hæc appellatio, quæ foret Hebræa איש קריות, neque enim eo sæculo, quod Lingua Hebræa penè obsoleverat, credibile est cognomento Hebraico quemquam fuisse insignitum. Cæterùm non habeo quod statuam, nisi fortè corruptum sit ex שכיר *Mercenarius.* Atque hìc notandum quod observavit Beza, in antiquissimo codice scriptum fuisse σκαριώτης constantissimè, quod & Syriacus Interpres retinuit.

ψ. 15. Τί θέλετέ μοι δοῦναι.] pro τί δώσετε, ut Cato de re rusticâ, cap. 5. *Ne velit quicquam emisse insciente Domino,* hoc est, ne emat.

ψ. 16. Εὐκαιρίαν.] Hebr. תאנה, utrumque & *temporis opportunitatem & consilij*: Et temporis quidem Ierem 2. 24. Consilij verò Iudic. 14. 4. ut & hoc loco.

ψ. 18. πρὸς τὸν δεῖνα.] Hebr. לפלוני; videtur autem vox illa Græca esse à Chald. הדין ὁ δεῖνα, pro Hebr. הזה.

Ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστιν.] Heb. sic Ezech. 7. 7. בא העת קרוב היום & Es. 13. ψ. 22. וקרוב לבוא עתה

Πρὸς σέ.] hoc est, *apud te*, ut Iohan. 1. 1. καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν.

Ποιῶ τὸ πάσχα.] Hebr. עשה אני הפסח. hoc est, decrevi facere, hoc ratum & fixum apud me est. Vbi propter enallagen Hebrææ Linguæ familiarem præsentis pro futuro, notanda est locutio ποιεῖν πάσχα, quæ Hebraica est passim obvia, Exod. 12. 48. & Numer. 9. ψ. 2. 6. 14. & alibi.

ψ. 19. Συνέταξεν] Plus videtur significare quàm προσέταξεν, nempe

adsignificatur rei imperatæ ordinario, & præscriptio. Sic LXX. צוה vertunt συνέταξεν Exod. 16. 33. &c. quo loco non nudum imperium Dei, sed conjunctum cum præscriptione significatur; in qua significatione apud LXX. verbum hoc constanter usurpatur.

℣. 20. Ὀψίας γενομένης.] Non notatur simpliciter tempus, sed statum tempus & legitimum, nempe expressit Hebræorum בין הערבים quoad ejus fieri potuit Græcè, commodissimè.

℣. 22. Ἤρξαντο λέγειν.] Hebraismus pro *dixerunt*, Gall. *ils se prindrent à dire*. Sic Levit. 21. 9. ובת איש כהן כי תחל לזנות *si cœpit fornicari*. hoc est, si fornicetur.

Κύριε] Non adhibetur hîc eâ notione quæ apud Græcos & Latinos obtinet, ut refertur ad servum, sed est Hebræorum אדוני

℣. 24. Ὑπάγει.] Est Hebr. הלך, & אזל, quæ verba non simpliciter *abitum* significant, verùm etiam *interitum*, ut 1. Sam. 9. 7. Iob. 14. 11. quantum ad אזל, & Psal, 58. 9. quantum ad הלך. Sic Græcis οἴχεσθαι.

23. Ἐν τῷ τρυβλίῳ.] In quo erat illud ἐμβάμμα, quod Iudæi vocant חרוסת, cujus fit mentio in eorum Ritualibus, in סדר הפסח, erat autem חרוסת spissum quoddam condimentum quod ex varijs rebus dulcibus, & acidis confectum ad instar luti, quo volunt Iudæi referri lutum illud ex quo lateres conficiebant Majores ipsorum, à חרש dictum, *testa*. Itaque fortasse ὁ ἐμβάψας ἐν τῷ τρυβλίῳ, non incommodè reddi posset Hebraicè הטובל בחרוסת

24. Καλὸν ἦν αὐτῷ.] hebr. כי טוב לו ut Hos. 2. 7. כי טוב לי אז מעתה
Ἄνθρωπος ἐκεῖνος.] hebr. האיש ההוא.

26. Λαβών.] Signanter, ut & illud ἀνοίξας στόμα, nempe utraque locutio notat rei de quâ agebatur gravitatem: Certè usitata est formula, פתח ואמר apud Magistros, & notum est, & verò notatum in סדר הפסח, non temerè, & quasi ageretur res vulgaris, sed certo quodam ritu (à quo potuit abesse superstitio) solitum *sumi in manum* panem à patre-familias.

Τὸν ἄρτον.] Signanter item, aliud enim est לחם, aliud את הלחם: Iudæi vocant המצה in Ritualibus, ubi inquiunt de patrefamilias ויקח את המצה. Aliud nempe est dixisse τὸν ἄρτον, notatur enim certus & peculiaris quidam panis.

Εὐλογήσας.] hoc est, Εὐχαριστήσας, eodem enim hæc redeunt, id quod non solum ex consensu Evangelistarum, qui indiscriminatim his verbis usi sunt, sed etiam ex usu & consuetudine Iudæorum constat. Etenim hæc εὐλογία nihil aliud illis fuit, quàm εὐχαριστία, nempe *benedicere Deo* & *gratias agere* eadem sunt. Itaque (quanquam nolimus affirmare Christum ijsdem verbis usum) sic illi ηὐλόγησε " ברוך אתה: quæ formula testimonium est animi intenti in Deum, unde fit ut panis sanctificetur, hoc est, ut ejus usus sit legitimus. Certè hanc

Ἀλογίας illi קידוש vocant, *sanctificationem* nempe tum rerum omnium usus sanctus est & legitimus. quum earum agnoscimus Deum authorem.

Ἔκλασε.] Sed & hoc itidem signanter dictum est, adeò enim fuit solemnis hæc κλᾶσις τ̃ ἄρτȣ, apud Iudæos, conjuncta, inquam, cum ἐυχαριστίᾳ seu εὐλογίᾳ, ut κλᾶσις ἄρτȣ illis significarit legitimam cibi sumptionem. Hinc enim auspicabantur veluti convivia solemnia, præcipuè verò in Cœnâ ἀπολυτικῇ Paschatis. Est igitur ἢ ἔκλασε idipsum quod in סדר הפסח dicitur, ויבצע

Ἐδίδȣ.] Hoc itidem signanter: nam sumebatur in manus panis φρέτοντως, tum sumptum panem ambabus tenens manibus paterfamilias benedicebat seu gratias agebat Deo, tùm frangebatur, denique distribuebatur. Verba Ritualis Iudæorum hæc sunt, ויבצע כזית מכל משתיהן ויאכלם כאחת ויתן לכלם hoc est, *Et frangit de unaquaque duarum illarum tortarum, quantum est olivæ magnitudo, comeditque illa simul, tum singulis* accumbentibus *dat*, seu distribuit.

Λάβετε, φάγετε.] Forsan & hæc fuit vetus formula, nam in Iudæorum Ritualibus diversa est & minùs simplex, nempe כל דכפין ייתי ויכול כל דצריך ייתי ויפסח hoc est, *Quicumque esurit veniat & comedat, quicumque necesse habet, veniat & faciat Pascha*, neque enim convenire videtur, ut qui jam cœnaverant, & Pascha celebrarant, sic invitarentur.

Τȣ̃το,] Sic verti solet Hebræorum הנה ut quod Exod. 24. 8. Hebr. est הנה דם הברית, Apostolus Heb. 9. 20. reddit τȣ̃το τὸ αἷμα, &c. Cui respondet Thalmudicum הא, formula Iudæorum est quâ utuntur in cœna Apolyticâ הא לחמא דעניא, quod Hebr. esset הנה לחם העני, τȣ̃το ἐςὶν ἄρτος θλίψεως, ferè ut Græci Σαχτίδια τȣ̃το ἀυτȣ̃ σκίπτρον, quod de Diogene Veterum nonnemo dixit.

Ἐςί.] Solent Hebræi, & Syri nullâ copulâ interjectâ attributum cum subjecto conjungere, unde fit ut cum Græcâ & Latinâ Linguâ ejusmodi enunciationes exprimuntur, adjicienda sit necessariò copula, quod liquet ex his locutionibus, *septem spicæ sunt septem anni*, &c. nam in Hebræo copulæ loco pronomina usurpantur. Hîc verò quia τȣ̃το respondet הנה & τῷ הא, quæ eandem vim obtinent, necessariò itidem adjicienda fuit copula: ut siquis illam formulam הא לחמא &c. Latinè aut Græcè verteret, omninò sic cogeretur hæc verba exprimere, *hoc est panis afflictionis*, &c. τȣ̃το ἐςὶν ἄρτος θλίψεως, &c.

℣. 27. Τὸ ποτήριον.] Signanter, est enim כוס הלל, quod Apostolus dixit ποτήριον εὐλογίας, nam quod repetit ὃ εὐλογȣ̃μεν, hoc fecit ut nostrum כוס הלל à Iudæorum poculo distingueret.

Καὶ εὐχαριστήσας.] Ecce clarè liquet, ut εὐλογήσας, & εὐχαριστήσας ca-

dem sint. Hîc igitur benedictio seu gratiarum actio, etsi facit usum Poculi legitimum (unde quemadmodum Iustinus Martyr dixit εὐχαριστηθέντα ἄρτον, hoc est, *panis super quem gratiæ sunt Deo actæ, sive Deus laudatus & invocatus est*, sic Apostolus τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν dixit) tamen ad Deum dirigitur, nam gratiarum actio non pertinet ad poculum, sed ad Deum.

℣. 27. Ἐξ αὐτοῦ.] Hebr. מזה חכוס proinde dictum ac ἔπινον ἐκ πέτρας 1. Cor. 10. 4.

Πάντες.] Nam ut in Paschali cœnâ omnes qui mensæ adhibebantur oportuit esse agni Paschalis participes, sic in cœnâ apolyticâ, eorum quæ apponebantur, seu illa esculenta, seu potulenta fuerint, qui accubuerant degustabant.

℣. 28. Διαθήκης.] Perinde dictum ac τοῦτο τὸ αἷμα τῆς Διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ Θεός, Hebr. 9. 20. Est verò διαθήκη non συνθήκη simpliciter (quanquam & συνθήκη est) sed testimonium voluntatis illius qui superior est, seu Deus ille sit, seu homo. Porrò homine jam lapso, Dei voluntas, seu Lege seu Evangelio patefacta, Lege quidem typicè, in Evangelio autem reapse sanguine obsignanda fuit, nam *sine sanguinis effusione nulla est remissio*, neque typica, neque realis.

Καινῆς.] Nam Evangelium à Prophetis καινὴ διαθήκη vocatur; quod quidem Apostolus Hebr. 8. 8. ex Ierem. 31. ℣. 31. probat, eo quod legalis fœderis œconomia inveterascere, hoc est, aboleri debuit, Novum autem Testamentum ut Novum Cœlum, & Nova Terra, in æternum manere. Nec quisquam miretur hujus καινῆς διαθήκης promulgationem prædici, tanquam, si non semper obtinuisset, aut inde caussetur vocari *novam*, nam & Propheta prædixit fore, *ut Deus inscriberet legem suam cordibus suorum*, cùm tamen jam tum multi essent pij.

Πολλῶν.] Hebr. רבים ut Daniel. 12. ℣. 1. *multi resurgent de pulvere*, ubi vox רבים non comparatè, sed absolutè sumitur pro *immensâ multitudine*, quamvis certissimum sit, sanguine Christi nemini vitam esse partam, qui idem non sit membrum Christi.

Ἐκχυνόμενον.] Non est participium, sed nomen participiale formâ participij, nempe non adsignificatur tempus, sed (ut loquuntur in Scholis) rei forma. Sic in Baptismo dicimur ablui sanguine Christi ἐκχυνομένῳ, non autem ἐκκεχυμένῳ quanquam Latinè id dici non possit nisi formâ præteriti, nempe ut non notetur sanguinis substantia, sed ratio, unde vis ablutionis pendet, nempe effusio: juxta illud χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις. Itaque nihil opus est hîc confugere ad temporum ἐναλλαγάς, quando non tempus sed res hîc in primis spectanda est.

Εἰς ἄφεσιν.] Ἄφεσις est illius propriè actio, qui, quos habet obstrictos

striɛtos dimittit & solvit, הפטרה autem dicitur. In sacro Codice Novi Testamenti jungitur vocabulo ἁμαρτιῶν, quia faciunt peccata nostra ut obnoxij simus justitiæ divinæ, & Deus nos teneat obstrictos. Itaque passivè usurpatur, dum ἄφεσις ἁμαρτιῶν dicitur.

℣. 29. Ἀπ' ἄρτι.] Hebr. מעתה sic & infrà ℣. 64.

Γεννήματος ἀμπέλου.] Hebr. פרי הגפן nam LXX. sæpiùs פרי reddunt per γέννημα, quin & Esa. 32. 12. ubi Hebr. legitur על גפן פריה LXX reddunt ἀπ' ἀμπέλου γεννήματος quasi scriptum esset על פרי הגפן. Cæterùm in Iudæorum Rituali benedictio quæ fit super calicem, iisdem verbis concipitur. *Benedictus esto Domine Deus noster Rex sæculi,* בורא פרי הגפן ὁ κτίσας τὸ γέννημα τῆς ἀμπέλου.

Ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης. Hebr. עד היום ההוא. Cæterum statum & præstitutum tempus in Scripturis dies dicitur, ut etiam Græcè & Latinè, unde locutiones illæ *obire diem*, & προθέσμιος ἡμέρα, &, εἰς ἡμέραν ἀπαντᾷν, *qui ad diem constitutam præsto est.*

Ὅταν αὐτὸ πίνω μεθ' ὑμῶν.] Idipsum alibi his verbis significavit Luc. 22. 30. ἵνα ἐσθίητε, καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου.

Καινὸν.] Hebr. חדש, *novum* dicitur, quod ob excellentiam habet admirationem, ut *Canticum novum* שיר חדש Psal. 33. 3. & Apocalyps. 5. 9. ᾄδουσιν ᾠδὴν καινὴν, & cap. 14 3. Sic & ὄνομα καινὸν Apocal. 2. 17. ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον. & cap. 3. 12. καὶ τὸ ὄνομά μου τὸ καινόν. Nec aliter accipienda sunt illa Marc. 1. 27. τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη, hoc est, *mirabilis.* Sequitur enim ὅτι κατ' ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει. Nam quę sunt vetera, sordent, fastidiuntur, nova placent: hinc fit ut *novum* dicatur quicquid egregium est, etiam Latinè, *Pollio & ipse amat nova carmina*, hoc est, *eximia.* Observandum est autem pronomen αὐτὸ in Scriptura non significare semper (ut vulgò soler) eandem vel specie vel numero rem quæ præcessit, sed eandem interdum analogiâ, ut hoc loco. Neque enim hîc Christus spondet fore ut in regno Patris idem numero vinum bibat quod tum bibebat, (quod volunt tamen Pontificij, ridiculè & absurdè, qui existimant Christum porrexisse bibendum Discipulis suis, & verò bibisse sanguinem suum) sed neque spondet fore ut idem specie vinum bibat, quod alij nonnulli volunt (in quibus Chrysostomus) qui existimant Christum post Resurrectionem suam vinum unà cum Discipulis suis bibisse: nam Christus post resurrectionem comedisse quidem legitur, bibisse verò non legitur. Sed tamen quia pronomen αὐτὸ idem quod præcessit significat, intelligendum est idem significari non specie aut numero, sed analogiâ idem: Nempe Christus non vult hoc dictum suum sic accipi, quasi futurum esset ut biberet cum Discipulis statim à Resurrectione, sed tale quid potiùs esse videtur, quale illud est, *Ingrediar ad eum & cœnabo cum eo, & ipse mecum*, Apoc. 3. 20.

Nam eodem cibo, eodem uti potu communionis argumentum eſt, celebrare unâ convivia eódem pertinet. Vt illud interim taceamus quod ſpirituale gaudium cum vino comparatur in Scriptura. Objicitur his illud quod Act. 10. 41. à Petro dicitur, *Deum excitaſſe Chriſtum tertio die, conſpicuumque feciſſe non toti populo, ſed teſtibus quos ipſe prius deſignaverat*, nimirum nobis (inquit Petrus) *qui comedimus ac bibimus unà cum eo poſtquam reſurrexit à mortuis*. Sed hujus loci ſenſum vide ſuo loco.

Τοῦ Πατρός μου.] Alibi ſimpliciter *βασιλεία μου*, nempe in hoc regno filius patris veluti Vicarius eſt, idemque Rex, juxta illud *ſede ad dextram meam*, Pſal. 110. & 1. Cor. 15. 24. *ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ Θεῷ καὶ πατρί*, hoc verò regnum eſt de quo vaticinatus eſt Daniel, cap. 2. 44.

℣. 30. *Ὑμνήσαντες*.] Hebr. אחרי הללם, nam ſolemne fuit Cœnam apolyticam claudere Pſalmo, cujus initium eſt, הללו יה, unde is hymnus הלל הגדול hodiéque à Iudæis dicitur.

℣. 31. *Σκανδαλισθήσεσθε*.] hoc eſt, *concidetis animis cogemini fugere*, nam id demum eſt quod המכשלה *ſcandalum* dicitur, ut Eſa. 3. 6. והמכשלה הזאת תהיה תחת ידך, neque enim ſimplicitas verborum Chriſti, & ſcopus patiuntur ut hîc intelligamus conſcientiæ ſcandalum, in quo peccatum eſt, ſequitur enim *πατάξω τὸν ποιμένα*; &c. Tum juſſit Chriſtus Diſcipulos abire, Petrus verò fecit temerè, qui ſibi cum reliquis non conſuluerit fugâ.

℣. 32. *Μετὰ τὸ ἐγερθῆναί με*.] Hebr. אחרי קומי

℣. 34. *Πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι*.] hoc eſt, prius quàm illuceſcat, *Gallicinium* Latinè id tempus dicitur, Græcè *ἀλεκτοροφωνία*.

℣. 36. *Ἕως οὗ*.] Hebr. עד אשר, vel etiam עד כי, quanquam & aliquando apud Græcos ſcriptores invenitur licèt rariùs frequentiùs *ἕως ὅτου*.

℣. 37. *Παραλαβὼν τὸν Πέτρον*.] Hebraiſmus, ויקח ut Geneſ. 42. 16. ויקח אחיכם

Ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν.] Hebr. diceretur, החל להעצב ולהעטף non enim hîc ſignificatur vulgaris mœſtitia, ſed quæ agitationem ſecum affert, atque animi angorem. Certè *ἀδημονεῖν* & *ἀλύειν* eódem redeunt. Porrò *ἀλύειν* eſt *jactari*, *inquietari*, & febricitantibus tribuitur. Plutarchus de Antonio Cleopatram expectante, *βραδυνούσης δὲ αὐτῆς ἀδημονῶν ἤλυε*.

℣. 38. *Ἕως θανάτου*.] Hebraiſmus, נעצבה נפשי עד המות

℣. 39. *Ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ*.] Hebr. ונפל על פניו

Εἰ δυνατόν.] Rabbin. אם אפשר

Παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο.] יעבור נא מני הכוס הזה. Cæterùm gravior ærumna *Calicis* nomine à Prophetis notari ſolet: ferè

enim usu venit, ut quæ sunt molesta & dura, ea dum exaggeramus, significemus veluti ἱερονικῶς earum rerum vocabulis, quæ in vita suavia sunt & jucunda, unde etiam *lavacrum* eadem notione usurpatur. Certè Christus utroque nomine tum *poculi* seu *Calicis*, tum etiam *lavacri* usus est. Matth. 20. 22.

℣. 41. ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν.] Hebraicè diceretur לבלתי באכם לידי הנסיון

Ἀσθενής.] Hebr. בלי כח. Nam ἀσθενὴς caro hoc loco dicitur, non quòd tenues, sed quod nullas vires habeat, quomodo etiam à Paulo usurpatur Rom. 5. 7. ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν, quod eodem versu exponitur voce ἀσεβῶν, & vers. 8. voce ἁμαρτωλῶν. Sic Rom. 8. 3. τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, apertè ἀσθένειαν ἀδυναμίαν vocavit. Itaque vox *infirmus* aut *imbecillis* dilutior est quàm ut possit rem tantam exprimere, meliùs redderetur Σὰρξ ἀσθενὴς *caro viribus destituta*. Certè πρόθυμον quæ vox opponitur τῷ ἀσθενὴς, est Hebr. נכון. Itaq; si verba Christi Hebr. redderentur, antithesis foret manifesta כי נכונה הרוח ובשר בלי כח fortasse dictum est παροιμιωδῶς, quid enim vetat sacras esse parœmias?

℣. 42. Πάλιν ἐκ δευτέρου.] Hebr. תוב פעם אחר

Γενηθήτω τὸ θέλημά σου. Hebr. יהי רצונך

℣. 44. Ὀφθαλμοὶ βεβαρημένοι.] Cave putes sic dictum ut cùm Gen. 48. 9. Iacobi oculi dicuntur βεβαρημένοι ועיני יעקב כבדי מזקן καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ τοῦ Ἰσραὴλ βεβαρημένοι ἀπὸ γήρους, quod LXX. reddiderunt ἐβαρυώπησαν. Omnino hîc accipiendum est τὸ βεβαρημένοι, ut cum dicuntur Mosis manus βεβαρημέναι, Exod. 17. וידי משה כבדים. Cæterùm locutio est usitata etiam in Lingua Græca βεβαρημένος ὕπνῳ.

℣. 51. Ἐκτείνας τὴν χεῖρα.] Hebraismus ut Exod. 8. 35. נטה את ידך אל מטך *extende manum tuam ad virgam tuam.*

Ἀφεῖλεν ὠτίον.] Hebraismus, ut cum 2. Sam. 16. 9. Ioab dicit de Semei, *Transeam jam* ואסירה את ראשו LXX. ἀφελῶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, nam Græcè dicendum fuisset, ἀπέτεμεν, Latinè *amputavit*.

℣. 52. Ἀπόστρεψον.] Hebr. חשב אל מקומה. Ezech. 21. 35. השב אל הערה

Εἰς τὸν τόπον.] Hujus generis locutiones apud Hebræos non sunt insolentes, nam & בית החרב, dicunt *vaginam*, & בית ידים *chirothecas*, adeóque omne thecarum genus illis est בית.

Ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται.] Hebr. בחרב יאבדו, habet emphasin ἀπολοῦνται, minùs dictum foret, si dictum fuisset ἀποθανοῦνται.

℣. 53. Πλείους ἢ δώδεκα λεγεῶνας.] Allusit ad militiam Romanam in quâ 12. legiones justum constituebant exercitum. Cæterùm *exercitus Angelorum* dicuntur in Scriptura & *castra*.

℣. 54. Πληρωθῶσιν αἱ γραφαί.] Hebr. ut cum in Vet. Test. Deus di-

citur *implere verbum suum*, 1. 2. 27. למלא את דבר יהוה

℣. 55. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ.] Chaldaismus בה שעתא Daniel. 3. 15.

Ἐκαθεζόμην διδάσκων.] Signanter dictum est, nam docentes, sedebant; unde & בית מדרש seu Academia dicitur ipsis ישיבה & Princeps Doctorum seu Academiæ ראש הישיבה. Itaque non otiosè notatum id à Luca cap. 4. 20. καὶ πτύξας τὸ βιβλίον, καὶ ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ, ἐκάθισε.

℣. 58. Ἀπὸ μακρόθεν.] Hebr. מרחוק

℣. 60. Ὅπως αὐτὸν θανατώσωσι.] Hebr. להמיתו Deuter. 13. 9.

℣. 61. Ὕστερον.] pro ὕστατον Hebr. לאחרונה

℣. 62. Ἀναστάς.] Notavit perturbationem animi, & indignationem summi Pontificis. Iudicis enim non est surgere, aut stare, dum judicat, sed sedere.

℣. 63. Κατὰ θεοῦ.] Sic Abraham servum suum adjurat per Deum cœli & terræ, Genes. 24. 3. Hebraicè diceretur אשביע אני אתך באל חי

℣. 64. Ἐκ δεξιῶν.] pro ἐκ δεξιᾶς, ad notandam rei excellentiam, ferè ut אדנים dicunt pro אדון, sic Spiritus Sanctus πνεύματα in plurali dicitur, Apocal. 1. 4 ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων.

Δυνάμεως.] hoc est, Dei, nam illo sæculo גבורה unum erat ex Dei nominibus, quod & sæpè occurrit in Rabbinorum scriptis, ut in Commentar. Kimhi in Ios. 7. ubi de supplicio Hacan, qui igne absumptus fuit, שכך נאמר לו מפי הגבורה.

Ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν.] Respexit ad id quod scriptum est Dan. 7. 13.

℣. 66. Ἔνοχος θανάτου.] Hebr. חיב למות

℣. 67. Ἐνέπτυσαν.] Quod faciebant abominantes & execrantes ut Num. 12. vers. 14.

℣. 68. Προφήτευσον.] Hebr. הנבא, quæ vox non prædictionem modò, sed etiam divinationem, & omnino omnem elocutionem, quæ est ab extraordinario spiritûs afflatu significat.

℣. 73. Ἀληθῶς.] Hebr. אמנם

Λαλιά.]. Hebr. דבור

℣. 74. Ἤρξατο καταναθεματίζειν.] Hebr. החל להחרים ולהשבע

In MATTH. Cap. XXVIII. ℣. 19.

Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη.] Locutio est Hebraica, nam תלמוד est μαθητὴς *Discipulus* unde formant verbum תלמד μαθητεύειν *facere Discipulum* & התלמד μαθητεύεσθαι *fieri Discipulum*: neque verò singulare aliquid verbo illo μαθητεύειν designatur (quod putavit tamen doctissimus Interpres) quin simpliciter μαθητεύειν est διδάσκειν *docere*, sed docere ea quæ pertinent ad religionem; Vnde Christiani primitus μαθηταὶ *Discipuli* vocabantur more Iudæorum, qui eos omnes qui singularem in modum religionis studio incumbebant, Doctore præeunte, תלמידים *Discipulos* vocabant.

℣. 20. Ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας.] Hinc Pontificij conficere student, Ecclesiam in terris fore semper conspicuam: hæc enim dicta sunt non ad Apostolos modò, sed & ad Apostolorum successores, cùm ipsi Apostoli non essent permansuri hîc in terris usque ad consummationem mundi. Sed primò, etiamsi demus promissionem hanc factam non modò Apostolis, sed etiam successoribus Apostolorum, tamen nihil promoverent Pontificij, nam veri successores Apostolorum tales sunt quales fuerunt Apostoli, atque ijs certè Christus semper adest; non autem ex eo quod Christus pijs Pastoribus semper adest, sequitur semper fore pios Pastores. Deinde, nihil opus est hunc locum intelligere de posteris Apostolorum, agitur enim de missione Apostolorum, quæ non fuit transmissa in ullos successores, quos Apostoli, quatenus Apostoli, nullos habuerunt; & ridiculum esset quod omnibus Apostolis dictum fuit, ad solum Petrum trahere & restringere, neque existimandum est, Petrum potiùs quàm reliquos Apostolos habuisse successorem. Quod verò aiunt locum istum solis Apostolis non posse accommodari, quia Apostoli non vixerunt usque ad consummationem sæculi, immò multis ab hinc sæculis vitâ emigrarunt, leve est, Christus enim usitata locutione, dum vult profiteri se semper adfuturum Apostolis, pollicetur se illis *adfuturum usque ad consummationem sæculi*: quæ ratio loquendi non videri debet insolens; primò, quia sic potest exponi, ut sit sensus, si fieri posset ut viveretis usque ad finem mundi, ego toto eo tempore vobis adessem, itaque semper adero vobis. Deinde, similis extat locutio, 1. Timoth. 6. 14. *Denuntio tibi ut serves hæc mandata usque ad illustrem illum adventum Domini nostri Iesu Christi*, hoc est, ita serva hoc mandatum, ut quotidiè Christum expectes, atque ita, ut si tibi ad id usque tempus esset vivendum, tamen nihil remittas de studio.

IN EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

IN CAPUT PRIMUM, ℣. 15.

METANOEITE, καὶ πιστεύετε τῷ Εὐαγγελίῳ.] Cùm resipiscentia boni rationem habeat, videtur boni aliquid fidem præcede-

re adeóque cujus fides causa minimè sit. Verùm etsi priore loco resipiscentia ponatur, non efficitur inde resipiscentiam fide esse priorem; nam sæpenumerò fit ut inter loquendum finem modo finis præponamus, & consequens antecedenti, veluti si quis dicat, *Cura ut valeas & crede Medico*, cùm tamen Medico ante fidere oporteat, ut sanitatem & pristinam valetudinem recuperemus.

In MARC. *Cap.* VII. ℣. 3.

Ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται.] Anxiâ illâ diligentiâ quam adhibebant in manuum & suppellectilis, cujus usus quotidianus erat, ablutione, non aliò spectabant Pharisæi, quàm ut se sanctitatis studiosos hoc externo ritu probarent, simul etiam ne per ignorantiam ulli rei immundæ vel vestem affricarent. Immunda autem illis fuerunt non ea tantùm quæ Lege Deus immunda pronuntiavit (quanquàm ne illa quidem immunda sunt nisi quis sit conscius immunditiei illius) sed & alia prætereà multa. Hanc superstitionem notavit hîc Christus, cùm notat *Pharisæos non priùs vesci quàm* πυγμῇ *lavent manus.* Quid sit autem hîc πυγμῇ non constat, variæ enim sunt de hujus voculæ significatione Interpretum sententiæ. Nam sunt qui πυγμῇ vertunt *sæpè;* Et certè πυγμῇ eâ notione occurrit apud authores Græcos Ecclesiasticos eos quidem, sed tamen Græcos. At quoties agitur de locutionibus quæ exstant in Scriptura, eorum qui scripserunt Græcè, si Ecclesiastici sunt authores, non est magna authoritas, nam solent alludere (etiam tum quum disertissimè loquuntur) ad locutiones in Scriptura usitatas. Alij sunt qui contendunt olim scriptum πυκνῇ, hoc est, *crebrò*, Sed nec πυκνῇ hac notione usurpatur apud probatos authores: neque verò convenit hoc loco ut πυγμῇ *sæpè* significet, non enim multis vicibus, & per intervalla, cùm cibus esset capiendus, Pharisæi manus abluebant, id quidem præstabant diligenter & accuratè, sed continuâ, non interrupta lotione. Alij sunt qui πυγμῇ pugno interpretantur, quod postulet sollicita manuum lotio ut manus in pugnum contracta cavam manum fricet: quæ interpretatio (pace authorum ejus) frigida videtur. Theophylactus πυγμῇ exponit μέχρι τοῦ ἀγκῶνος *ad cubitum usque.* Quorsum respexit facile est conjicere, fando enim accepit, haud dubiè, qui fuerit mos in lavandis manibus Pharisæorum, nempe manus in altum soliti erant attollere, atque digitis contractis superfusam aquam excipere, quam necesse fuit ad cubitum usque defluere, quod omnino est πυγμῇ νίπτεσθαι, hoc est, *digitis in unum contractis lavari manus.* id quod illi vocant נטילת ידים *manuum elevationem*, & notandum est הטיל illis esse *lavare*, non quomodocumque, sed *manus lavare*, & quidem hoc ritu, cùm הטיל propriè significet *attollere*.

Περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης οὐδεὶς οἶδεν.] Christus Discipulos multa docuerat Iudicij diem præcessura, de die verò vel hora adventus sui nihil monet. *Nosse* ergo idem valebit hîc ac *docere*, ut scilicet dicat) quæcumque docere poterat docuisse se, non verò convenire muneri suo ut diem adventus sui designet. Atque hac significatione *sciendi* vocabulum sumitur à Paulo 1. Cor. 2. 2. *Non enim statui quicquam scire inter vos*, hoc est, docere. Sic Gallicè vulgò dicitur, *Vn Ministre ne doit sçavoir que sa Bible.* Stare verò nequit eorum interpretatio qui volunt dictum hoc accipi de Christo quatenus homo est. Nam ut illud taceamus quod hîc Evangelista simpliciter habet, *Filius*, *filius hominis* in Scriptura Mediatoris personam designat, & usurpatur tantùm à Domino nostro Iesu Christo ut authoritatem sibi conciliet: quod frustra fieret, si *filij hominis* appellatio humanam naturam simpliciter significaret. Et quum ait, *neque Angeli*, *neque Filius*, filium aliquid Angelis majus & excellentius esse innuit.

IN EVANGELIVM
SECVNDUM
LVCAM.

IN CAPVT PRIMVM, ℣. 1.

ΠΟΛΛΟΙ.] Indefinitè dictum κατ' ἐξουθενισμὸν, ne quis hîc alios Evangelistas à Beato Luca notari aut perstringi putet.

Ἐπεχείρησαν.] Et hoc etiam κατ' ἐξουθενισμὸν dictum est. Certè aliud est καλῶς παρηκολουθηκότα πᾶσιν ἄνωθεν ἀκριβῶς, aliud verò ἐπιχειρεῖν ἀνατάξασθαι διήγησιν.

Περὶ.] Aliud est διήγησις περὶ πραγμάτων, aliud διήγησις πραγμάτων. Nam hæc nonnisi vera, illa etiam falsa esse potest; nam περὶ hypothesin quidem, hoc est, argumentum narrationis notat, non significat veritatem continuò.

℣. 2. Παρέδωκαν.] Rabbinicum est תנו vel שנו unde fit משניות & מתניתא παραδόσεις.

Ἀπ' ἀρχῆς.] Ἀρχὴ hîc significat initium dispensationis Evangelij à Christo ipso prædicati (de quo initio dicitur Matth. 4. 17. ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς κηρύσσειν.) Tum enim inducta est nova ratio revelationis doctrinæ Evangelicæ, quàm notat Apostolus Heb. 1. 1. Sic in Veteri Testamento ἀρχὴ vocatur tempus constitutionis Ecclesiæ Iudaicæ, ejúsque politiæ, statim ab exitu ex Ægypto. Psal. 74. 1. μνήσθητι τῆς συναγωγῆς σου ἧς ἐκτήσω ἀπ' ἀρχῆς.

Αὐτόπται.] Sic Iohannes priore Epistolâ Catholicâ cap. 1. 1. ὃ ἑωράκαμεν, ὃ ἐθεασάμεθα περὶ τοῦ λόγου, &c. Eodem vocabulo usus est Iosephus lib. 1. contra Appionem τὴν δὲ πολέμου τὴν ἱστορίαν ἔγραψα, πολλῶν μὲν αὐτουργὸς πράξεων, πλείστων δ' αὐτόπτης γενόμενος, ὅλως δὲ τῶν λεχθέντων ἢ πραχθέντων οὐδοτιοῦν ἀγνοήσας.

ꝟ. 3. Ἔδοξε κἀμοί.] Dictum hoc ut Act. 15. 25. ἔδοξεν ἡμῖν, & ꝟ. 28. ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν. Nequis hinc arripiat ansam elevandi authoritatem hujus Evangelij Etiam κἀμοὶ habet emphasim, non enim se accenset reliquis, quasi esset εἷς ἐκ τῶν πολλῶν. Itaque videtur dictum non sine indignatione quadam, quomodo Paulus 1. Cor. 7. 40. δοκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα θεοῦ ἔχειν; tangit enim Apostolus diversum in Ecclesia Corinthiaca sentientes, & sententiæ suæ prætexentes authoritatem Spiritus.

Παρηκολουθηκότι, &c.] Iosephus lib. 1. contra Appionem, statim initio iisdem penè usus est verbis. Δεῖ, inquit, τὸν ἄλλοις παραδιδόντα πράξεων ἀληθινῶν ὑπισχνούμενον, αὐτὸν ἐπίστασθαι ταύτας πρότερον ἀκριβῶς, ἢ παρηκολουθηκότα τοῖς γεγονόσιν, ἢ παρὰ τῶν εἰδότων πυνθανόμενον, ὅπερ ἐμοὶ μάλιστα περὶ ἀμφοτέρας νομίζω πεποιηκέναι τὰς πραγματείας.

Ibid. Θεόφιλε.] Non videtur esse hæc προσφώνησις certi cujusdam hominis, cujus nomen proprium fuerit Theophilus, sed eorum omnium qui Christianæ religionis sacris fuerant initiati. Nec debet id insolens videri, cùm simili προσφωνήσει usus sit Athanasius: nam in libris de Incarnatione indiscriminatim μακάριον & φιλόχριστον vocat; (interdum utrumque vocabulum conjungit) quo non certum aliquem virum, sed indefinitè quemlibet pium & verè Christianum hominem compellat. Nec epitheton κράτιστος hîc dignitatis nota est (quamvis viris in dignitate constitutis tribuatur) magis quàm apud Latinos scriptores nomen adjectivum *optimus*, quo & Magnates insigniuntur. Quod si κράτιστος dignitatis titulus fuisset, non est credibile voluisse Lucam Act. 1. 1. illum omittere. Huc accedit & illud, quod etsi Epistolas nihil est quod vetet certis non modò Ecclesijs, sed etiam hominibus scribi, attamen historiam Evangelij Spiritus Sancti instinctu scriptam, non est usque adeò verisimile fuisse uni cuidam homini inscriptam. Sed nihil tamen affirmo.

ꝟ. 4. Λόγων.] Aliud est quod supra λόγον dixit, aliud quod hîc λόγους

vocat:

vocat: nam illic *Christum* videtur significasse, hîc *doctrinam* (quamvis doctrina Evangelij etiam λόγος dicatur frequentissimè) aut verò etiam *res gestas*, ut Hebraicè דברים

Ἀσφάλειαν.] Videtur alludere ad etymon vocis אמונה & נכונה quę & *firmitatem* & *fidem* significat, ut hîc ἀσφάλεια sit *certissima, firmissima & constantissima veritas atque fides*, quæ ob firmitatem assensus ὑπόστασις interdum dicitur. Est autem ὑπόστασις non simpliciter στάσις seu quies mentis, quæ non est aliundè quàm à vera cognitione veritatis, sed quies, etiam tum quum irruunt quæ mentem videntur perturbare. אמונה autem significare *firmitatem* liquet ex Exod. 17. 12. *Et fuerunt manus ejus* (nempe Mosis) אמונה hoc est *firma* & *stabiles*, & 1. Reg. 11. 38. *Ædificabo tibi domum* נאמנה hoc est, *firmam, stabilem.*

℣. 6. Δίκαιοι.] Hebraismus est: Hebraicè צדיק *sanctum* & *religiosum* significat, estque illustrior titulus quàm חסיד, quod simpliciter *pium* & *probum* significat. Et חסיד etiam plebeijs (modò probi sint) tribuitur, at צדיק nonnisi eminentioribus. Vnde titulus צדיק quem Iudæi magno Simeoni tribuunt, quem aiunt unum fuisse ex viris Synagogæ magnæ, tempore ipsius Esdræ.

℣. 7. Προβεβηκότες ἐν ἡμέραις.] Hebraismus. Sic Genes. 18. 2. de Abrahamo & Sara dicitur quod fuerint באים בימים & Ios. 23. 1. Iosue dicitur זקן בא בימים & ℣. 2. iterum זקנתי באתי בימים

℣. 35. Τὸ γεννώμενον ἐν σοὶ ἅγιον.] Observandum hîc est quod Angelus dicit τὸ γεννώμενον, non verò ὁ γεννώμενος, quo significatur, non hominem illum qui nasciturus erat, dici *Sanctum* concretè, sed naturam divinam in eo appellari *Sanctum* ἅγιον, discretè: nempe quomodo Dan. 9. 24. natura Christi divina, seu Persona ejus divina dicitur קדש קדשים *sanctitas sanctitatum* munus verò ejus Mediatorium voce *unctionis* significatur. Itaque, quod est in Christo essentiale ab Angelo vocatur ἅγιον *Sanctum* & illud ipsum vocatur *Filius Dei*: Vnde efficitur, primùm quod appellatio illa *Filius Dei* designat aliquid in Christo essentiale, personam nempe ejus divinam; alterum, quod illud essentiale dicitur *Sanctum.* Itaque novum nec absurdum est ut natura Christi divina dicatur ab Apostolo πνεῦμα ἁγιωσύνης. Rom 1. 4.

℣. 78. Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους.] Beza, *Germen ex alto.* Minùs benè. Nam ἀνατολὴ non est *germen*, sed *Oriens.* Itaque melius Gallica translatio, *l'Orient d'enhaut*, quod idem est atque *Sol justitia*, quem Deus promiserat fore ut exoriretur, Malach. 4. 2.

In LVC. Cap. II. ℣. 13.

Πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου.] Hîc στρατιὰ οὐράνιος est Hebr. צבא השמים quod est 1. Reg. 22. 19. qua appellatione designantur illic Angeli. Nomen autem στρατιὰ *exercitus* צבא Angelis tribuitur, non ob id

præcipuè quod Deus ijs utatur tanquam militibus ad debellandos hostes suos (neq; enim hîc apud Lucam agitur de hostibus delendis) sed *exercitus*, id est, *ordinis* nomine insigniuntur Angeli, ut significetur *τάξις ordo* quem observant in obeundis ministerijs suis: neque enim confusè & temerè, sed ordine convenientissimo obeunt munia sua. Nam צבא *exercitum* quidem significat, at non primò, etenim צבא quicquid ordinis rationem habet complectitur; itaque & de tempore certo atque constituto dicitur Iob. 7.1. & Esai. 40. 2. etenim ut in temporum intervallis, sic etiam in situ & dispositione ordo quidam est. Neque hoc mirum videri debet, cùm apud Græcos *τάξις* & *παράταξις* de exercitu dicantur. Non itaque ineptè, sed doctissimè LXX. Interpretes צבא השמים *exercitum cœlorum κόσμον ornatum* interpretati sunt. Deut. 4. 19. Etenim *ornatus* (si propriè & antiquè velimus hanc vocem efferre) *ordinatus* est, itaque qui loquuntur Romanè indiscriminatim *ornare* & *ordinare provinciam* dicunt, & *ornatissimus* is est, Latinè loquentibus, qui per omnes honorum ordines ad summum usque evectus est. Ergo Angeli dicuntur *Exercitus cœlorum*, quod sint *τάξις ordo* quidam *cœlestis*.

ỿ. 52. Προέκοπτε σοφίᾳ, &c. καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ.] *Gratia* favorem hic significat. Est autem duplex Dei favor, alius est qui *misericordia*, ἔλεος, רחמים dicitur, qualis est Dei favor quo miseros prosequitur peccatores, alius est Dei favor quo prosequitur creaturam in qua imaginem suam videt relucentem, qui חסד & *χάρις* simpliciter dicitur, sive *favor*, quia creatura quâ creatura subjecta est Creatori suo. De hoc favore sive gratia accipiendum est istud προέκοπτε χάριτι παρὰ Θεῷ, Christus nempe *crescebat gratiâ apud Deum & homines*, non quâ Deus, sed quâ homo est. Nam quo illustrior est imago Dei in creatura, eo etiam Deus creaturâ suâ magis delectatur. Porrò illustrior fuit imago Dei in Christo adolescente, quàm in puero, itaque *crevisse* dicitur *gratiâ*: quod nihil detrahit (ut calumniantur Pontificij) dignitati Christi, hoc enim factum est per Oeconomian in gratiam nostri, alioqui exclament indignum fuisse Christo ut puer fuerit.

In LVC. Cap. V. ỿ. 12.

Κύριε, ἐὰν θέλῃς δύνασαί με καθαρίσαι.] Hinc Pontificij putant se posse probare, fidem justificantem aliquando esse ejusmodi ut respiciat solam Dei potentiam, nec prohibeat quominus qui eâ præditus est, dubitet de Dei voluntate, cùm enim leprosus ille sic Christum interpellasset, *Domine, si vis potes me mundare*, hoc à Christo tulit responsum, *Volo, munderis*. Sed primò, ℞. Quum agitur de beneficijs terrenis impetrandis à Deo, longè aliter se res habet, & se gerit alio prorsus modo fides justificans quàm quum agitur de impetranda vita æterna, aut Spiritu Dei, aut alijs bonis spiritualibus.

Nam vita æterna, Spiritus Dei & dona spiritualia sunt in se bona; itaque fides justificans ea sibi à Deo pollicetur sine conditione, quia Deus testatus est se velle illa dare, reliqua autem beneficia, quia non sunt ex se bona, neque illorum privatio per se mala, & quia nulla extat de ijs promissio certa, sed Deus pro sua sapientia & pro arbitrio ea dispensat, ideò fides justificans inter orandum bona illa apprehendit cum conditione, *si vis*. Iam verò beneficium illud quod studebat impetrare leprosus ille terrenum erat; itaque debuit in illo fides justificans niti præcipuè Dei potentiâ, testationem autem voluntatis divinæ Deo reservare, non enim ei constabat de ejus voluntate.

℞. secundò, Multum interest quo affectu illa pronuncientur, *Si vis*, vel enim pronunciantur affectu narrantis simpliciter, vel affectu exprobrantis, vel affectu orantis. Si narrantis affectu pronuncientur, verba illa significant clarè & apertè dubitationem animi de voluntate Dei; si animo exprobrantis proferantur, arguunt summam incredulitatem; at quum affectu orantis pronuntiantur, dubitationem non includunt, quin potiùs argumentum est quo fides utitur inter orandum, quo se sustentet ut ille qui dicebat, *Domine dic verbum, & servus meus sanabitur*. Fides enim orantis non dubitat, uti docet Iacobus Epistolæ suæ Cathol. cap. 1 5. *Si quis caret sapientiâ, petat eam à Deo*, μὴ διακρινόμενος. Iam autem miser ille leprosus hæc dixit affectu orantis, præcessit enim vox ἐδεήθη. Si putasset miser ille Dominum esse averso à se animo, non tanta cum fiducia protulisset hanc vocem.

℞. tertiò, duplex est dubitandi genus, alterum quod fidei naturam planè destruit, alterum quod comitatur fidem, quomodo sunt nonnulli morbi qui non possunt consistere unâ cum ulla sanitatis parte, & à quibus natura vincitur, alij verò sunt qui cum aliqua sanitatis parte consistunt. Qui sic dubitat ut ipse dubitationem impugnet, & tandem oppugnet, ille ita dubitat ut hoc non impediat quominus sit vera fide præditus, sed exiguâ, unde oritur exprobratio Christi ad Petrum, ὀλιγόπιστε, *cur dubitasti?* Non dixit, *ô incredule*, sed *ô exiguæ fidei homo*. Talis fuit etiam fides patris Lunatici, *Credo Domine, sed subveni incredulitati meæ*, ubi apparet dubitatio, sed quę à fide oppugnatur, ut natura valida oppugnat morbum, & tandem expugnat. Nihil est itaque absurdi si dicamus leprosum istum dubitasse, modò fides (uti fecit) expugnaverit dubitationem.

In LVC Cap. X. ℣. 16.

ὁ ἀκούων ὑμῶν, ἐμοῦ ἀκούει.] Hinc probant Pontificij Conciliorum ἀναμαρτησίαν. Sed primò, Hoc non Apostolis in unum congregatis, sed singulis seorsum prædicantibus Evangelium tribuitur. Itaque si quid faceret ad rem iste locus, eo efficeretur, ut ne singuli Episcopi seorsum existentes errent: quod ipsimet Adversarij coguntur negare, alio-

qui nihil opus esset Concilio, & locus esset (ut quidam locutus est) *auferibilitati Papæ.* Sed & aliter respondemus, ne fortè quis cavilletur verba Christi singulis Pastoribus tribuere jus infallibilitatis. Dicimus ergo, ista verba sequi mandatum Christi, mandatum autem Christi fuit, ut Discipuli excitarent in hominum animis Christi desiderium, cui mandato subjunctum est, *Qui vos audit, me audit.* Vt si herus famulo præscribat primùm, quid famulus debeat præscribere agendum in familia, tum subjungeret, *Qui te audit, me audit,* non inde sequeretur fieri non posse ut ille famulus discedat ab heri præscripto; aut sic, ubi discesserit, ei esse parendum: imò potiùs hoc sequitur, ut quando herus datis mandatis hoc apposuit, *Qui te audit, me audit,* dispiciatur primum, jubeat-ne famulus quod præscripsit herus. Denique respondemus aliam esse Apostolorum, aliam esse vulgarium in Ecclesia Pastorum conditionem; nam Apostolorum & missio, & dona erant extraordinaria: Pastorum in Ecclesia diversa est conditio.

In LVC Cap. XI. ✠. 52.

ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως.] Νομικοὶ ij videntur fuisse quos Hebręi חכמים vocant, hoc est, *Sapientes,* qui Legem quidem interpretabantur, sed in Scholis, privatim: quod videtur posse colligi ex his Christi verbis, *sustulistis clavem scientiæ.* Nam olim insigne Doctoratus apud Iudæos fuit *clavis cum pugillaribus.* Itaque de quodam R. Samuele scripserunt, eo mortuo clavem & pugillares ejus reconditos fuisse in loculo, eo quod filium non haberet, cui scilicet relinqueret post se Doctoratus sui insignia. Verba eorum sunt כשמת נתנו מפתחו ופנקסו בארונו מפני שלא זכה לבן hoc est, *postquam mortuus est posuerunt clavem & pugillares ejus in loculo ejus, eo quod non meruerat habere filium.*

In LVC Cap. XIII. ✠. 32.

καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι.] Τελειῶσαι ut in Novo sic & in Veteri Testamento interdum est *consecrare,* at hoc cum discrimine, quod in libris Veteris Testamenti non solet dici simpliciter de persona, nisi semel Levit. 21. 10. τετελειωμένου ἐνδύσασθαι τὰ ἱμάτια, ubi tamen in Hebræo ומלא את ידו, non enim dicit Scriptura Sacerdotes fuisse τετελειωμένους. sed Sacerdotum manus. At Christus dicitur τελειωθεὶς, non autem Christi manus. Deinde non consecrabatur Leviticus Sacerdos offerendo sacrificium, sed consecrabatur ut sacrificium offerret. At Christi τελείωσις est ipsa Christi oblatio, quâ Sacerdos est, non est consecratio Christi in Sacerdotem. Atque hæc fuit Christi mens hoc loco, τῇ τρίτῃ, *tertia die,* hoc est, brevi τελειοῦμαι, *consummor,* nempe oportebat eum, priusquam in cœlum ascenderet, certis quibusdam officijs perfungi in terra. Atque eò respexit Ioh. 17. 4. quum testatur se

executum esse in terra quod ei injunctum erat à Patre, nempe quia tantillum supererat temporis, atque jam instabat Christi passio qua consummatus est factum dicit quod jam in eo fuit ut penè factum esset, nec aliò pertinet vox Christi in cruce, *consummatum est.*

In LVC. Cap. XVI. ℣. *22.*

Εἰς τὸ κόλπον τοῦ Ἀβραάμ.] Pharisæi, teste Iosepho, in ea fuerunt hæresi quæ statueret animam vitâ in corpore functam vocari in jus, atque in locis subterraneis, vel requie & honore frui, vel æternis affici pœnis pro eo ac vixit in corpore. Hoc dogma, sive errorem potiùs, Christus hîc refutat, quum animam Lazari ait translatam fuisse ab Angelis in sinum Abrahæ. Nam Angeli certe à cœlo in terram, & vicissim è terra in cœlum ascendunt, at ad inferos non leguntur commeare. Et *sinus Abraha* eo loco non significat specum quandam subterraneam, ne locum quidem omnino significat, quis enim *sinûs humani* nomine locum designet? Quid igitur est *sinus Abraha?* nempe Regnum cœlorum, quod à Christo Matth. 8. 2. comparatur convivio in quo Abraham pater credentium primum locum tenet, cæteri verò convivæ una cum Abrahamo recumbunt. Fuit autem moris ut qui convivarum in Principis sinu recumberet, is honoratissimus haberetur, quod argumentum fuit & indicium amoris illius singularis quo Christus Iohannem prosecutus est, nam recubuisse dicitur in sinu Christi, Christus autem sedebat medius, ut apud Iudæos locus medius in convivio præcipuus fuit. *Sinus* igitur *Abraha* est præcipua in regno cœlorum dignitas.

In LVC. Cap. XVIII. ℣. *2.*

Σταθεὶς πρὸς ἑαυτόν.] Doctissimus Interpres vertit *seorsum.* Rectè. Etenim hæc verba πρὸς ἑαυτὸν (ut ille observavit) non sunt (ut est apud vulgarem Interpretem) referenda ad sequentia, ut sit sensus *apud se precabatur*, se cohærent cum participio *stans*, quomodo etiam locum illum vertit Interpres Syrus, *stans inter se & animam suam,* quæ locutio perperam versa est à Boderiano, refert enim illa verba ad sequentia, cùm non cohæreant, sed disjungantur, sequitur enim apud Syrum Interpretem, *& hæc precabatur.* Quid igitur est πρὸς ἑαυτόν? Certè idipsum quod Hebraicè לבדו, nam LXX. Interpretes eam particulam sic exponunt καθ' ἑαυτὸν Zach. 12. 12. Atque idipsum convenit Pharisæorum nomini, פרישא enim est *qui segregatus est,* quod illi etiam in vita factitare soliti sunt. Sic ubi (Ierem. 15. 17.) Propheta conqueritur coactum se esse seorsum sedere, ישבתי בדד in Targum est יתבתי פריש quod dicitur *Pharisæus*, hoc est, *separatus sedi.* Verebantur nempe Pharisæi ne ex Gentilium & prophanorum hominum contactu impuritatem contraherent: quam ob causam nisi necessitate aliqua coacti nullam cum Ethnicis, cum prophanis & impijs homini-

bus (quos illi *Peccatores vocabant*) consuetudinem habebant. Itaque Christus hîc induxit Pharisæum precantem, sed σταθέντα πρὸς ἑαυτὸν, hoc est *seorsum stantem*. Publicanum autem contra ἑστῶτα μακρόθεν *longè stantem*, quod quidem referri potest ad verecundiam illius Publicani, qui sanctum illum scilicet Pharisæum non audebat propius accedere, sed & aliò potest referri, nempe ad locum, erant enim omnino (ut notat Iosephus lib. 2. adversus Appionem) in Templo quatuor septa. Ad primum patebat aditus quibusvis etiam Ethnicis, ad secundum viris & fœminis promiscuè, ad tertium viris tantùm, ad quartum Sacerdotibus; ad adyta verò soli Principi Sacerdotum. Itaque fortasse steterit hic Publicanus in primo illo Septo.

In LVC. Cap. XXII. ỳ. 29.

ἵνα ἐσθίητε, &c.] His verbis Christus significat haud quidem certè gloriam Apostolorum in cœlis, sed eam dignitatem in qua constituti fuere in terris, verbis figuratis, ac locutione petita â consuetudine Regum & magnatum sæculi, qui in rerum administratione sibi proximos tanta habent indignatione, ut ad mensam etiam adhibeant, à qua cęteri summoventur.

ỳ. 31. ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον.] ἐξῃτήσατο non est simpliciter *expetivit* sed *postulavit*, (nam ἐξαιτεῖσθαι Gręce est *deposcere ad supplicium* vel *ad quæstionem*: nempe ut Satanas Iobum, & Apoc. 12. 10 Satanas dicitur accusator fratrum, quia hoc poscit ut sibi dedantur vexandi, ut hypocritæ, quomodo Iobum sibi dedi postulavit. Σινιάσαι quærunt viri docti quid sit. Nam est verbum infrequens, attamen σίνιον Græcè *cribrum* est apud Hesychium, & σινιάζειν *cribrare* est apud eundem. Sed quia in cribratione duo sunt, unum concussio illa atque agitatio, qua omnia sursum atque deorsum vertuntur, alterum verò segregatio atque separatio: secundùm priorem significationem hoc loco usurpatur, ut Christus nihil aliud voluerit quàm Satanam voluisse Apostolos & Petrum dedi sibi ut eos conturbaret, quomodo Apostolus Gal. 1. 7. Evangelium illud falsum, non esse aliud Evangelium, *sed sunt*, inquit, *qui vos conturbant*.

ỳ. 32. ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ.] Hinc Papæ & Conciliorum ἀναμαρτησίαν probant Pontificij. Sed primò, oratio Christi pro Petro non prohibuit quominùs Petrus errarit, & quidem in fide, nam abnegavit Christum. Nec ex quod excipiant, fuisse hunc lapsum in moribus, non errorem in mente Petri. Nam Doctor qui metu perculsus docet extrinsecus falsam doctrinam, docendo æquè decipit, ac qui hoc facit prorsus impiè; nam qui potest plebs divinare an sponte vel invitus hęc doceat? Deinde, cujus est metu cogi ut falsa doceat, ejusdem est spe prolici ut falsa doceat. Hoc igitur obtinemus, fieri posse ut Papa vel metu coactus, vel spe illectus, puta divitiarum, inanis gloriæ, &c.

possit falsa docere: Ergo possit esse Apostata & Hæreticus. ℞. secundò, Hæc non ita dicta sunt ut quis inde possit colligere promissionem generalem, referuntur enim ad certam quandam circumstantiam, nempe *Postulavit Satanas*, &c. Itaque si nulla alia promissio Petro fuisset facta præter hanc, non posset inde colligi ne Petri quidem infallibilitas, nedum Papæ. Tertiò, Christus eadem est usus oratione pro singulis credentibus Ioh. 17. 20. neque tamen singulis credentibus concedunt jus infallibilitatis, sic enim daretur locus non modò auferibilitati Papæ, sed etiam Concilij, quando singuli fideles æquè non errant ac Papa & & Concilium. Denique, non cohærent ista, Petrus non potuit errare, Ergo neque Papa.

IN EVANGELIVM
SECUNDUM
IOHANNEM.

IN CAPVT PRIMVM, ℣. 1.

ΕΝ ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος.] Si cui placet ut Christus Dei λόγος dicatur, vel quia promissus fuit à Patre, vel quia Interpres fuit paterni consilij, vel quia noster est Advocatus apud Deum, sententia quidem non est incommoda, sed mirum alicui videri non immeritò possit, cur si has ob causas λόγος Dei vocatur, is titulus non occurrat sæpiùs in libris Novi Testamenti. Itaque alia videtur esse ratio hujus appellationis. Rerum agendarum duæ sunt rationes, una quæ humanæ imbecillitatis est, nempe dum res nonnisi admotâ ad opus manu peraguntur; altera cùm solo nutu, atque (ut dicitur) verbo fiunt. Vnde profectum est, ut quo quisque potentior est, eo jactet confidentius se vel verbo solo, hoc est, imperio aut mandato, posse res maximas præstare. Indéque factum est, ut cùm Deus per Filium omnia gesserit, tum quæ pertinent ad opus creationis, tum etiam quæ ad opus redemptionis spectant, dicatur Dei λόγος. Quod si cui mirum videtur cur hac nomenclaturâ Christus in libris Novi Testamenti non sæpè, sed raró celebretur, is verò cogitet animo quæ fuerit Iohannis mens, dum hîc describens majestatem Filij Dei sine ullo respectu incarnationis, cum vocat θεοῦ λόγον, asseritque *per eum omnia fuisse facta*, respexit

nempe haud dubiè ad historiam creationis, pro eo ac Mose instituta est, ubi toties repetitur illud, *Dixit Deus & factum est*, ut hoc voluerit Iohannes, Christum formulâ istâ significatum fuisse, *dixit & factum est:* (quamquàm obscurè sanè, prout tempora ista decebat.) Quorsum enim, obsecro, attinebat ut Moses (quod nusquam alibi totâ Scripturâ fit) toties introduceret Deum dicentem, *Istud & illud fiat*, & posteà, *factum est?* Nam certè nullo tum Deus sermone usus est, ut quum postea allocutus est Prophetas & Patriarchas. Frigidum enim est respondere, ideò tantùm id factum esse ut humano more significaretur omnia nutu suo Deum condidisse, quis enim ea de re dubitat, aut verò non certò sciat Deum ad fabricandam mundi machinam nullos adhibuisse vectes at ferramenta? Deinde, si ita se res habet, cur non etiam alibi Deus introducitur utens simili sermone, quum magnum aliquod opus aut miraculum patravit? Cùm itaque nulla ratio reddi possit satis idonea tam operosæ & anxiæ à Mose factæ observationis, Deum ad singula quæque dixisse, *Fiat illud*, & factum esse, aliquod oportet subesse mysterium. Fateor equidem absque luce Evangelij fore ut hîc cum Iudæis hæsissemus: At postquàm Christus vocatus est λόγος, & is dictus *per quem Deus omnia condidit*, nemini ampliùs dubitandi causa superest, quin id voluerit Moses sedulâ illâ observatione innuere. Sed quærat aliquis, Cur eandem ob causam non tam dictus sit, ῥῆμα quàm λόγος? Id verò factum videtur duabus de causis, quarum prior hæc est, quod λόγος etiam ad mentem & voluntatem refertur Linguâ Græcâ, ῥῆμα nunquam. Deinde verò, quod λόγος *orationem* significat, ῥῆμα *vocabulum* tantùm, seu *nomen*, aut *verbum*, proindéque aliquid imperfecti; uno verbo, quia λόγος nomen dignius est quàm ῥῆμα, inde factum est ut Christo λόγου potiùs quàm ῥήματος nomen tributum sit. Sanè מאמר λόγος propriè est non ῥῆμα. Atque ubi Deus quicquam dicitur vel facere vel dicere, ea loca Chaldæus Paraphrastes ita vertit ac si scriptum esset *Deum fecisse, vel dixisse per verbum suum.* Cujus rei illustre exstat exemplum Oseæ cap. 1. vers. 7. hæc enim verba, *Et servabo eos per Iehovam Deum ipsorum*, Chaldæus Interpres vertit, *& redimam eos per Verbum Domini sui.* Paraphrastes tamen Ruth, Paltielem scribit *interposuisse gladium suum* בין מימריה ובין מיכל *inter verbum suum*, hoc est, inter se, *& Micalem.* Sed & is recentior est, atque apud eum ferè solùm hæc occurrit locutio de homine usurpata. Nam certè causa dici non potest cur reliqui Paraphrastæ, nisi quum de Deo agitur, hac ferè nunquam utantur locutione præterquam affixi loco, idque perraró. Vt sit finis, in Ecclesia Iudaica [ut constat ex Chaldæo Paraphraste] id quo Deus omnia facit & præscribit, dicitur מאמר seu מימרא λόγος. Et Moses mysticè sic eum descripsit, hinc factum putamus ut Christus λόγος dictus sit, cùm is sit *in quo Deus dicitur omnia fecisse.*

fecisse, cùm in primæ, tùm in secundæ creationis opere.

✝. 9. ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον.] Etsi verum est omnem humanæ mentis lucem esse ab illo Sole, attamen intelligendum est præcipuè de illa luce quæ est ad salutem, & qua fit ut tenebris peccati & mortis liberemur. Neque tamen inde sequitur, omnes indiscriminatim homines participes fieri hujus lucis, est enim locutio in Scriptura usitata, qua *distributivè* non *collectivè* illud omne accipi debet, ut sit sensus, *quotquot illuminantur ad salutem, nonnisi ab illa luce illuminantur.* Sic quum Psal. 145. Deus dicitur *sustentare omnes cadentes, & erigere omnes incurvatos,* sensus est, Quotquot sustentantur, à Deo sustentantur & qui eriguntur, à Deo eriguntur. Non est igitur quod inde concludant Semipelagiani, Christum vera illa luce salutari omnes illuminasse; nisi rem sic intelligant, ut Christus statuatur in tenebris luxisse, neque tamen fuisse comprehensus à tenebris; quomodo & Christum *omnium hominum redemptorem*, dicere possumus, & solemus.

✝. 16. χάριν ἀντὶ χάριτος.] ἀντὶ positum est pro ἐπὶ (præpositionum enim enallagis nihil est in Scriptura frequentius) estque Hebraicum, חן על חן, atque sic significatur abundantia gratiæ Christi à Prophetis deprædicata. Nota est exclamatio illa *Gratia, gratia*, quæ exstat Zach. 4. 7.

✝. 17. χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια, &c.] *Gratia* & *veritas* hoc loco unum idemque significant, sed ratione diversa: *Gratia* quid sit nemini obscurum est, nempe est affectus benefaciendi, & quidem gratuitò, unde ipsum beneficium *gratia* dicitur. *Veritas* verò idipsum significat, nam qui naturâ immites sunt & immanes, ij etiam ingenio sunt fraudulento & subdolo, *Astutam gestant rabido sub pectore vulpem*, Vix fieri potest, qui subdolus est animus idem ut crudelis non sit, imò fieri non potest: quod si crudelis animus idem non sit subdolus, id fit ob impotentiam physicam, nam qui crudelis est, idem vellet, si posset, esse insidiator. Atque hinc fit ut quod *Gratia* idem *veritas* dicatur in Scriptura; Cujus luculentum documentum exstat Genes. 24. 27. Nam servus Abrahæ Deum alloquens meminit *misericordiæ & veritatis Dei.* Idem, Labanem dum studet hero & sibi conciliare, meminit *misericordiæ & veritatis* ✝. 49. Quod nos ideò observamus, ut ne putemus, dum de salute nostra agitur, hæc duo distingui, *Gratiam* & *Veritatem*. Certè salus nostra fœdere nititur, itaque dum Deus salutem præstat, probat eadem operâ se esse veracem, hoc est, constantem in dictis & factis: attamen quum reddenda est ratio hujus locutionis, dicendum est simpliciter, eam ob causam, quæ est à nobis allata, *Gratiam* eandem dici *veritatem.*

✝. 21. τί οὖν, Ἠλίας εἶ σύ. Καὶ λέγει, οὐκ εἰμί.] Mirum videri possit alicui, cur Iohannes neget se esse Eliam; cùm Christus testetur de eo,

P

eum fuisse Eliam à Malachia prædictum, Matth. 11. 14. & 17. 12. Sed solutio hujus dubij est facilis. Iudæi enim quærebant ab eo, an esset is Elias quem sibi animo finxerant. Iam verò hæc est Iudæorum de Elia sententia, vel potiùs commentum, referente Dav. Kimhio, Comment. in Malach. 4. Deum creaturum novum corpus Eliæ ante diem ultimi Iudicij, priùs enim corpus ejus resolutum fuisse in quatuor elementa ex quibus fuerat primò compactum. Itaque cùm Iudæi interrogarent Ioh. Baptistam an esset Elias, rectè negavit se esse Eliam, nempe ex eorum mente, & talem qualem sibi fingebant Eliam. Sic cùm Christus ab aliquo appellatus esset bonus, tacitè negavit se esse bonum (*cur me*, inquit, *bonum vocas?*) nempe Scriba ille eum ita compellaverat, ac si Christus merus esset homo, negavit ergo Christus se esse ex mente illius bonum.

In IOHAN. Cap. III. ℣. 13.

℣. 13. οὐδεὶς ἀναβέβηκεν.] *Ascendere in cœlum* hoc loco (ut intuenti Christi scopum propius satis liquet) nihil aliud est quàm *inquirere*, aut *admitti in conscientiam consilij divini.* Et fortè allusisse videtur Christus ad factum Mosis, qui in montem ad Deum ascendebat, eum consulturus, indidemque veluti à Deo ad populum descendebat, ut hæc sit Christi hoc loco sententia, *Nemo unquam conscius fuit consilij paterni, aut consilium Patris revelavit, aut verò eam habuit communionem cum Patre, ut tantùm possit, præter unicum filium.* Quæ prærogativa haud dubiè tam Christum eximit numero creaturarum, quàm Spiritum Sanctum, cui ea cùm Christo communis est, 1. Cor. 2. 11. ostenditque evidenter eum esse verè Deum. Id verò est quod alibi docuit Christus, *Patrem nemo vidit unquam*, &c. Ioh. 1. 18. Et, *nemo novit Patrem nisi filius*, &c. Matth. 11. 27.

℣. 36. ὀργὴ θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν.] Naturâ quidem sumus omnes *filij iræ*, nec nisi fido in Christum ab ea ira liberamur: itaq; qui increduli sunt, de ijs dici potest *iram Dei in eos manere*, quatenus ab ea non liberamur: attamen Christus non videtur hîc eò respexisse, sed simplicius locutus est. In Scriptura μένειν singularem habet significationem, notat nempe constantem & penitissimam adhæsionem rei illius quæ dicitur manere. Nam est quædam ira Dei quæ transit, & adflat tantùm, & quodammodo (si ita loqui licet) lambit (ut ignis qui non destruit, sed expolit potiùs (ita quædam Dei momentanea, quam experiuntur etiam fideles. At *ira manens* ea est qua ita perdit ut nunquam disperdat, & cruciat ita ut nunquam perimat.

In IOHAN. Cap. V. ℣. 27.

ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί.] Frustrà hinc Vbiquitarij probare student, humanæ Christi naturæ collatam esse vim & potentiam judicandi omnes homines infinitam. Nam primò non isthic est τὸ *quà* reduplicativè (quæ

phrasis à Philosophis quidem usurpatur, at in Sancta Scriptura, quæ eum loquendi modum ignorat, non invenitur) sed est ὅτι *quia*. Deinde, *filius hominis*, non humanam Christi naturam, sed officium seu munus ejus Mediatorium significat, vel potiùs personam eo munere instructam. Itaque, *dedit illi omne judicium quia filius hominis est*, non significat potestatem infinitam omnes homines judicandi datam esse Christo quatenus est homo, [uti volunt Vbiquitarij] sed hoc significat, potestatem illam ideò esse Christo datam quia est Messias ille qui à Daniele [cap. 7. 13.] vocatus est *filius hominis*, & cui Daniel vidit potestatem & imperium ab antiquo dierum esse datum, utpote qui sit persona illa quæ ad tantum tamque sublime munus Mediatorium est delecta. Porrò, quomodo appellatio *Filij Dei* tum naturam Christi divinam, tum etiam munus ejus aliquando significat, sic etiam appellatio *filij hominis* & Christi munus significat, & naturam ejus humanam simul includit.

Vers. 39. ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς.] Argumentum est quo Christus adversus Iudæos ex ipsorum concessione utitur, eosque valdè urget, q. d. Apud vos in confesso est, Scripturas agere de Messia [à quo salutem speratis] eòque illas veluti collimare totas, ac propterea vos scrutamini Scripturas ut in ijs Christum inveniatis, hoc est, ut ex ijs accuratè teneatis quid in ijs doceatur de Messia, & inde deprehendatis & agnoscatis Messiam cùm venerit, & tamen [quæ vestra est deplorata cœcitas] non animadvertitis ea omnia, quæ in Scriptura de Messia dicta sunt, in me quadrare, ut hoc agnito ad me veniatis, me recipiatis, meque agnoscatis esse Messiam. Itaque illud ἐρευνᾶτε non videtur esse *Imperativi* modi, quem vocant Grammatici, sed *Indicativi*.


In IOHAN. Cap. VI. ℣. 29.

τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, &c.] Quod fides hîc *opus* appellatur, id fit duntaxat per allusionem [non verò quod fides revera opus propriè sit] quomodo nempe Paulus fidem appellat *legem* Rom. 3. 27. & credentes vocat *filios Abrahæ*, Rom. 4. 2. per allusionem. Nempe Iudæi crepabant perpetuò Opera, Legem, & prærogativam suam quod essent filij Abrahæ: Itaque Christus illis respondens, & justificationem fidei tribuens, eam vocat opus, utens nimirum ipsis Iudæorum verbis, seu alludens ad ipsorum loquendi modum, qui operibus putabant se justificari; quasi diceret, *Vultis habere vitam operibus, Ergo, opus illud operamini, Credite nempe in Filium Dei.* Hoc ergo tenendum est adversus Pontificios, *Fidem non esse opus*. Et sanè Scriptura semper distinguit fidem ab operibus, imò opponit fidem operibus in negotio justificationis. Et ipsi Pontificij vel imprudentes distinctionem fidei ab Operibus admittunt, quum dicunt nos partim fide, partim operibus justificari, quod dictu absurdum esset, nisi fides ab operibus distingue-

retur. Atque hoc est discrimen Fidei & Operum, Fides nihil Deo dat, sed accipit tantùm, est enim fides organum & veluti manus animæ, qua suscipimus Dei beneficia, at Opera sunt veluti Sacrificia χαριστικὰ quæ nos Deo offerimus.

℣. 44. οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με.] Non docentis authoritate, sed insita vi veritatis, (seu qui eam docet ipse immediatè doctus fuerit à Deo, sive non fuerit) permoventur hominum animi & perducuntur ad cognitionem veritatis: ij verò qui verbo Dei non moventur, vel non permoventur, sic afficiuntur non ob personæ contemptum, sed ipsius odio veritatis. Nam & ipse Dominus Iesus procul dubio omni exceptione major, quamvis & vitæ sanctitate, vel tot editis miraculis authoritatem sibi summam conciliasset; attamen non potuit tanta authoritas auditorum animos permovere, quid illi objectum est quod esset fabri filius, unde nata est occasio illius dicti, *Nemo venit ad me nisi Pater trahat eum*, cujus sententia huc redit, *frustrà laborari, vel in adhibenda personæ authoritate, vel in edendis miraculis, ut cœlestis doctrinæ authoritas animum permoveat humanum, sed prætereà necesse est ut accedat occulta illa vis Dei, quam exerit indito cordi Spiritu Sancto, cujus ea lux est ut verbum Dei auditum statim commendet & probet.*

℣. 45. πᾶς ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθὼν, &c.] Hinc planum fit *Gratiam*, qua homines vocantur efficaciter, non esse communem (ut volunt Novatores) tam ijs qui parent quàm qui non parent, sed peculiarem esse, neminique adeò indulgeri qui idem non pareat. Nam quod nonnulli hariolantur *audire & discere* hîc significare mentis obsequium, ineptum est, sic enim confunderetur subjectum cum attributo, fieretque inanis ταυτολογία, significarent enim Christi verba nihil aliud quàm *venire eos qui veniunt*. Quid enim aliud est *venire ad Christum* quàm Christo se tradere, id quod non fit nisi mentis obsequio. Si igitur *audire* & *discere* significat *mente obsequi*, dicentur à Christo [ut diximus] venire qui veniunt.



Quæ sequuntur ad versum usque LXII. contracta sunt in Compendium ex Gallicis concionibus Domini Cameronis, ipso vivente & procurante editis A.C. 1624.

Ioh. 6. ℣. 53. NIsi *manducaveritis carnem filij hominis*, &c.] Scriptura solet animæ attribuere affectus corporeos, *famem, sitim*,

defatigationem, &c. actiones item corporeas affectibus illis respondentes, ut est *edere, bibere*, &c. Sic nempe David Psal. 42. 1. *Anima mea*, inquit, *glocitat sicut cervus ad rivos aquarum.* Et Psal. 34. 9. *Vid:te, & gustate quàm bonus est Dominus.* Et Esaias, cap. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas*, &c. Sed hi affectus, hæ actiones intelligendæ sunt accommodatè ad naturam & essentiam animæ quæ est incorporea. Nempe, fames & sitis animæ quid aliud esse possit quàm vehemens & flagrantissimus appetitus quo erga rem aliquam fertur. Iam qualis est fames, talis est gustus, qualis gustus talis est & esus & potus, nempe fames & sitis animæ spiritualis est, talis etiam esse debet gustus ille, & esus atque potus quo anima Dominum suum Iesum esurit, sitit, gustat, edit, bibit. Non mirum itaque cuiquam videri debet quod Christus hîc loquatur de esu & potu carnis & sanguinis sui. Nam primò ipse ex Scripturæ consuetudine [quæ, uti dictum est, animæ corporeos tribuit affectus, & actiones corporeas] sic loquitur, quia res spirituales & cœlestes non possunt commodè aliter adumbrari nobis aut exprimi, quàm phrasibus petitis à rebus sensibilibus & corporeis, neque à nobis aliter capi quàm sub hac specie & figura. Itaque passim Christus utitur ejusmodi figuratis locutionibus. Sic cap. 4. hujus Evangelij Samaritanam mulierem ita compellat, *Qui biberit ex aqua quam ego illi dabo non sitiet in æternum*, &c. Pari ratione synceram & spiritualem quam in ipso capimus voluptatem vocat hîc *esum* & *potum*, quo significat tam firmam & inconcussam in eum fidem, tantamque ex ea fide animæ nostræ consolationem & voluptatem, ut ea nobis sit instar cibi & potus, quod fieri non potest nisi prius Christum esuriverimus & sitiverimus, qua fame & siti [quę certè animæ est non corporis] discernuntur pij & fideles ab hypocritis; nam hi Christum nunquam sitiverunt, nec esuriverunt. Putant quidem ipsi se in eum credere, at nunquam verè cum Davide dicere potuerunt, *Anima mea sitit Dominum, quomodo cervus sitit, & glocitat ad rivos aquarum.* Itaque ob id expediebat ut Christus ejusmodi uteretur locutione, edendi, bibendi, quæ præsupponit famem & sitim quæ debet esum & potum præcedere.

Deinde hæc ratio significandi rem illam, clara est plena luminis, congruit nempe cum affectibus & moribus naturalibus. Inde est quòd cùm vehementer aliquid amamus & appetimus, aut in pretio habemus, si quis nos velit ab ea re amorem nostrum avertere, nosque rei alterius magis momentosæ amore accendere, rem illam, quam vult nobis esse commendatam, solet nuncupare nomine illius quam novit nobis esse cordi. Sic Deus Esai. 58. *Hoc illud est*, inquit, *jejunium quod ego elegi, ut confringatis vincula iniquitatis*, &c. Sanè ista quæ illic Deus commemorat, non sunt jejunium propriè dictum, at Deus sic loqui-

tur nihilominus populo crasso & carnali, qui totam pietatem in jejunio corporeo collocabat. Ita Christus jubet nos thesauros nobis in cœlis comparare, &c. Non quod aurum, argentum & ejusmodi reliqua, sint in cœlo à nobis reponenda, sed hoc vult, ut studium & curam, quàm in congerendis hîc terrenis thesauris impendimus, conferamus & collocemus in consequenda vita æterna. Pari ratione hoc loco, quia Iudæi Christo instabant, & ab eo poscebant magna cum vehementia cibum corporeum, brutorum instar de ventre tantùm solliciti, Christus propterea se *panem* vocat, ut eos averteret ab immoderato panis corporei appetitu, rationemque & modum, quo ipsius gratiam & beneficia participamus, *esum* & *potum* ideò vocat, quod edendi & bibendi cupido homines illos crassos teneret maximè sollicitos, nec præter cibum materialem quidquam erat cujus cura eos magis exerceret. Huc & illud accedit, quod his locutionibus significatur fidei vis & efficacia, qua unimur Christo. Nam quomodo cibi quibus vescimur in corporis nostris substantiam commutantur, sic & nos in Christum [qui cibus est noster spiritualis] veluti commutamur. Cibus quidem corporeus in substantiam nostram convertitur, non contrà, quia corpus nostrum est quid cibo ipso præcellentius: at verò anima nostra in cibum suum spiritualem, Christum nimirum, commutatur, hoc est, conformes illi simus, quia cibus ille infinitis partibus nobis est excellentior. Nec aliud est quidquam in nobis, quo ea commutatio fiat, præter fidem. Esu & potu corporeo applicatur nobis cibus externus, ad reparandam naturam nostram corpoream, id ipsum in animabus nostris fit fide. Cùm enim in nobis nil nisi mera fames, sitis & egestas, in Christo verò copia omnis & abundantia bonorum omnium, nos eum fide amplectentes nobis ipsum applicamus. Inde est quod fides tantopere nobis in Scriptura commendatur; est enim reliquorum omnium beneficiorum fons & origo, nam neque in Christum sperare possumus, neque eum amare, nisi in eum prius crediderimus; nam quis in eum speret, nisi prius credat; aut quis eum amare possit, nisi priùs persuasus sit de immenso ipsius amore. Quia ergo fides] unicum est instrumentum quo Christum nobis applicamus, ideò etiam sola fides illud est quo Christi carnem edere, & sanguinem ejus bibere dicimur & possumus.

℣. 54. *Vitam habet æternam*, &c.] Supplendum hîc est *in seipso*, ex versu scilicet precedente, ubi ait Christus, *Nisi manducaveritis carnem, & biberitis sanguinem filij hominis, non habebitis vitam ἐν ἑαυτοῖς in vobis ipsis.* Contrariorum contraria sunt consequentia; Si ergo qui non manducat carnem Christi non habet vitam in seipso. certè qui eam manducat vitam habebit in se ipso. Atque hic est manducationis spiritualis Christi fructus duplex, prior quidem, *vitam habere*

in seipso, posterior verò, *jus resurgendi gloriosè* cum Christo in ultimo die. Vitam hanc non habent hypocritæ, qui extrinsecus duntaxat colunt cum Ecclesia communionem, uti neque illi qui eam intus non sentiunt, non est enim iners & otiosa in nobis hæc vita, sed maximè *ἐνεργὴς efficax*; qui eâ præditus est sentit eam in se, qui eam non sentit in se, eâ proculdubio hactenus est vacuus; vita nempe nihil est sensibilius.

Hæc vita per Christi Spiritum, in justitia & sanctitate, verum est & unicum beatæ immortalitatis nostræ semen, nam *si Spiritus illius qui excitavit Christum à mortuis habitat in nobis, ille qui Christum excitavit à mortuis vivificabit mortalia nostra corpora διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν, per Spiritum suum qui in nobis habitat*, inquit Paulus Rom.8.11. Vanum est itaq; & imaginarium illud *immortalitatis* sive *germen* sive *fermentum*, quod nonnulli è subtilioribus Ecclesiæ Pontificiæ doctoribus non ita pridem commenti sunt, voluntque illud corporibus nostris imprimi, atque inhærere ex carnis Christi contactu & unione cum corpore nostro, quam fieri fingunt in Sanctæ Eucharistiæ participatione, ex esu corporali carnis Christi, cujus sive *germinis* sive *fermenti* vi & efficacia corporibus nostris inhærente, somniant corpora nostra esse in ultimo die excitanda. Sed hoc est novum somnium atque commentum non Scripturæ modò, sed & rectæ rationi & sensui communi repugnans atque adversum, & ipsis etiam Pontificijs (majore ex parte) improbatum. Non est sanè in impanato illo Christo commentitio, vitæ beatæ principium & germen quærendum, sed in Spiritus Christi vivifici & sanctificantis, quo in novam vitam regeneramur, vi atque efficacia.

℣. 55. Nam caro mea verè cibus est, &c.] Putant Pontificij voce ista *verè* significari, ore corporis in stomachum nostrum Christi corpus esse demittendum. Sed frustrà. Nam primò manducatio ejusmodi non sapit hominem spiritualem, sed carnalem & crassum, qui nihil verum & reale esse putat nisi quod est corporeum & materiale. Deinde, alibi vox illa *verè* à Christo usurpata, nihil tale innuit, quale isti somniant. Vt quum hujus Evangelij cap. 1. 9. Verbum (hoc est, Christus) dicitur fuisse *verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, non eo significatur, Christum mutatum esse incorporeum & aspectabilem istum Solem, quo hic terrarum orbis illuminatur; sed eo innuitur, Christum esse excellentissimum quoddam lumen, spirituale nempe, quod nunquam occidit, nunquam minuitur, nunquam intercipitur, nunquam deficit; lumen à quo vis & facultas videndi infunditur, ingeneratur, quæ omnia lumini isti Solari non conveniunt, sed soli Christo: Sol enim oritur, occidit, it, redit, non semper pari splendore lucet, lux ejus interdum patitur eclipsin, &c. videndi etiam vim non infundit.

Pari ratione cap 15. 1. hujus Evangelij Christus dicit se *veram esse vitem*, non ut innuat se in vitem aliquam materialem mutatum esse, sed ut significet se longè præstantiori modo eas habere proprietates quę in vitæ, respectu palmitum, sunt conspicuæ. Quum ergo hîc dicit, *Carnem suam verè esse cibum*, hoc vult dumtaxat, omnem alium cibum esse fluxum & caducum, vitamque, quæ ex eo alitur, esse illi congenerem, fluxam nimirum & infirmam, at verò carnem suam tam esse efficacem ut illis qui eâ vescuntur vitam det & conferat æternam atque incorruptam. Quod si quis hîc roget, Cur Dominus Iesus *carnem & sanguinem suum* dixerit, non verò dixerit simpliciter, *se esse verum cibum*. Responsio in promptu est: Nempe, quia si carnem & sanguinem Christo tollas non erit amplius cibus noster, vita nostra. Nam ut vitam nobis adipisceretur oportuit eum pro nobis Deo satisfacere, atque sic peccatorum remissionem nobis promereri. Iam verò non fit peccatorum remissio sine effusione sanguinis (Heb. 19. 22.) Quia ergo sanguinis sui effusione, & carnis suæ immolatione & oblatione in cruce, vitam & peccatorum remissionem nobis est promeritus, propterea caro & sanguis ille dicuntur cibus noster. Divinitas quidem in Christo fons est vitæ nostræ, nisi enim Deus fuisset, mors ejus non fuisset tanti pretij & meriti sed caro & sanguis ejus in cruce fusus. est veluti canalis per quem in nos derivatur vita illa, ut à Deo in nos influat; nisi enim homo fuisset, non potuissemus ei uniri, nisi in cruce passus esset, Deo non fuisset satisfactum, atque ita essemus adhuc in peccatis nostris.

℣. 56. *Qui manducat carnem meam.*] Mala omnia quibus hîc premimur, peccatum, & quæ à peccato sunt miseriæ omnis generis, mors denique ipsa, inde sunt quod unionem cum primo parente nostro Adamo habemus. Nam *per unum hominem peccatum ingressum est in mundum, & per peccatum mors, atque ita mors pervasit in omnes homines.* Rom. 5.12. Contrà, bona his malis opposita, justitia, pax, gaudium, vita, &c. inde sunt quod communionem cum Christo posteriore Adamo habemus. Itaque unio illa nostra cum ipso nobis est apprimè appetenda, & modus, seu ratio qua fit unio illa nobis est investiganda. Porrò, utrumque docet nos Christus hoc versu, & unionem quidem ipsam his verbis, *manet in me, & ego in ipso*, modus verò unionis in istis, *qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum*. Et ad modum quidem quod attinet, quæritur quî sit possibilis ille modus, cùm Christus in cœlo, nos in terra simus, tum etiam quia edere & bibere rem corpoream & materialem, sunt actiones distinctæ & separatæ, caro verò & sanguis Christi non sunt ab invicem separata, (neque enim sanguis ejus extra venas fusus est) ut caro separatim edi possit, & sanguis itidem separatim bibi. Pontificij hîc confugiunt ad Dei omnipotentiam

potentiam, cui nihil est impossibile. Verùm omnipotentia divina in ijs est urgenda, ad eamque nobis est confugiendum, quæ extra nos sunt, neque à nobis ullo modo pendent, ut est Creatio, Prædestinatio, Trinitas, Incarnatio, &c. in his modus & ratio sunt omnipotentiæ Dei committenda, ea non sunt penitius indaganda; at in actionibus quas Deus à nobis tanquàm officium quoddam exigit, qualis est manducatio carnis Christi, opus non est huc confugere: Nam si modus ille esset planè ἀκατάληπτος, quî fieri posset ut nos mandato illi divino obtemperaremus? Modum ergo quo Christi caro à nobis editur oportet nos scire. Modum illum Christus ipse nos docet hoc capite ℣. 35. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me nunquam esuriet, & qui credit in me nunquam sitiet.* Planus & apertus est hic modus, credendum, confidendum est in eum, *Noli* (inquiebat olim Augustinus) *ventrem & dentes parare, crede & comedisti.*

Modum alium crassum confinxerunt Pontificij, ut nempe corporis dentibus Christi carnem teramus, & in stomachum demittamus. Sed hic modus est absonus, & Scripturæ sacræ adversus, quæ nos docet Christum veram carnem, nostræ similem, habere, eundem post peractam salutis nostræ œconomiam in cœlum ascendisse, isthic ad Patris dextram sedere. Eadem Scriptura jubet nos Christum è cœlo expectare in ultimo die, vetat ne illis credamus qui dicunt Christum hîc vel illic esse, in deserto, in penetralibus sive Ciborijs, ἐν τοῖς ταμιείοις; jubet nos ea cogitare quæ suprà sunt, non quæ hîc sunt infernè, jubet nos ad Christum assurgere & ascendere, non verò ut eum de cœlo ad nos detrahamus, jubet nos optare non ut ipse quotidiè ad nos de cœlo descendat, sed ut nos ad eum in cœlum migremus, *Cupio dissolvi*, inquiebat Paulus, *& esse cum Christo*, nam quandiu in hoc terreo sumus tabernaculo, à Christo absumus & peregrinamur. His omnibus repugnat modus ille crassus, à Pontificijs confictus, manducandi Christi carnem. Sanè si Christi caro manducanda est ad alendum hoc corpus, omnino ore corporis & modo corporeo esset manducanda; sed si animæ non corporis cibus est, proculdubio animæ non corporis ore sumenda est. Fames & sitis qua Christi carnem esurimus & sitimus, non est fames & sitis corporis sed animæ, esus ergo ejus & potus spiritualis est, non corporeus. Deinde, eo modo edendus est à nobis Christus, quo modo nos eum videmus, at non corporis, sed animæ & mentis, seu fidei, oculis eum videmus, ergo & fide atque animo, non corpore est edendus. Iubemur à Davide, *gustare quàm bonus sit Dominus*, qualis est gustus ille spiritualis nempe animæ, talis & esus esse debet atque potus. Iubemur ab Apostolo Christum induere (Rom. 13.14.) jubemur peccata nostra in sanguine ipsius abluere: num ablutio illa modo fit crasso atque corporeo? num Christi carnem corpori

nostro, vestis instar, circumponimus? Minimè verò. Qualis ergo est ablutionis & indumenti illius ratio & modus, spiritualis nempe qui fide fit, talis etiam est, & esse debet, potus & esus iste carnis & sanguinis Christi. Ne pedem offendamus ad Scripturæ phrases, quæ ducuntur à rebus corporeis nobis vel maximè necessarijs. Non decet nos Nicodemi, Samaritanæ, Capernaïtarum crassas habere cogitationes, ille nonnisi corpoream cogitabat generationem, hæc aquam, isti cibum duntaxat corporeum, & manducationem quæ ore & organo corporis fit, somniabant, quum Christus eos de spirituali regeneratione, aqua & cibo item spirituali compellaret. Edendus est nobis Christus, quomodo Patres sub Lege eum comederunt. Hi enim (ut testatur Paulus 1. Cor. 10. 3. 4.) eundem nobiscum cibum & potum spiritualem ederunt & biberunt. Edendus denique nobis est hîc Christus, quomodo nos eum aliquando in cœlis esuri sumus, quando istic accumbemus ad ejus mensam cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, &c.

ỳ. 56. *Is in me manet, & ego in ipso.*] His verbis Christus significat nostram cum ipso unionem arctissimam. Vnimur autem Christo non quâ simpliciter Deus est, nam hoc respectu lucem habitat inaccessam, neque quâ simpliciter homo est, nam & hoc respectu purus & sanctus est, separatus à peccatoribus, neque etiam quâ simpliciter θεάνθρωπος, nam ijsdem de causis communionem cum eo habere hoc respectu non possumus, sed ei unimur quâ est θεάνθρωπος crucifixus, moriens & resurgens à mortuis. Nam ut ait Paulus, Rom 6,5. σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ ὁμοιώματι τοῦ θανάτου καὶ τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ. Ecclesia est cœtus membrorum Christi, qui ipsorum est Caput, quatenus moriens & resurgens pro eis: in cruce nempe Ecclesiam suam veluti portabat, quomodo summus Sacerdos sub Lege nomina duodecim Tribuum Israëlis portabat supra pectus. Et quia Ecclesia peccato corrupta & polluta erat, factus est Christus pro ea in cruce peccatum; quia maledictioni per peccatum erat obnoxia, factus est pro ea in cruce maledictio: passus est pœnam quam ipsa erat commerita, ipse justus morte sua nobis injustis, qui commeriti eramus mortem, vitam acquisivit. In Resurrectione item factus est Caput nostrum; nam mortuus quidem est ut solveret λύτρον pro peccato, sed resurrexit ut hujus rei fidem veluti faceret, resurrectio itaque ipsius fuit instar Apochæ. In Cruce nos Patri reconciliavit sublatâ inimicitiâ, resurrectione sua fructum & effecta hujus reconciliationis nobis communicat. Mors Christi exhibet nos veluti gementes sub pondere peccatorum & miseriarum quibus premimur, resurrectio verò quasi victores, & post pugnam partamque victoriam triumphabundos. Respiciendus est itaque à nobis Christus non quâ Deus simpliciter, neque quâ simpliciter homo, neque quâ simpliciter θεάνθρωπος, sed quâ talis moriens pro pec-

catis nostris, & resurgens pro justificatione nostra; tanquam caput fidelium in cruce, quâ miseri sunt; eorundémque in resurrectione Caput, quatenus glorificandi. Caput miserorum ut eos eximat & liberet à miseria, & viam ad æternam beatitudinem eis aperiat: Caput glorificandorum quatenus gloriam illam eis comparavit. Atque hoc sub gemino respectu Christus nobis tum in Verbo, tum in Sacramentis proponitur.

Pari ratione unimur Christo, non quâ simpliciter sumus homines, sed quâ homines peccatores & miseri, quâ fideles, redempti, sanctificandi,& glorificandi Nempe quum agnoscimus nos peccatores & maledictioni obnoxios, Christus se nobis offert tanquam caput nostrum, ut peccatum & maledictionem illam aboleat. Si intuemur nos tanquam fideles, & peccatorum nostrorum remissionem jam consecutos, obsignatosque Spiritu Dei, qui accepimus arrham hæreditatis cœlestis, quique, ad instar Israëlitarum, post transmissum mare, Pharaonis copias in mare submersas videntes, Deo canimus canticum laudis: hoc respectu Christus Caput est nostrum, quâ resurgens à mortuis, superatis potestatibus omnibus adversis, & liberatâ animâ nostrâ à captivitate spirituali.Rursus si nosmet intuemur quatenus pugnare nos oportet adversus carnem, quatenus vetus homo nobis est edomandus atque subigendus, Christus tum Caput est nostrum quâ moriens, & cruci suæ affigens membra veteris nostri hominis. Quum autem superavimus Tentatorem, & victoriam reportavimus de carne & mundo, tum unimur Christo quatenus resurrexit à mortuis. Itaque Christus in morte, in cruce Caput est nostrum, tum quoad justificationem, tum quoad sanctificationem nostram, itemque caput est nostrum in resurrectione sua respectu utriusque beneficij. Nam si Deo satisfaciendum est, non aliter potest id fieri quàm per crucem Christi, si fides facienda est satisfactionem illam fuisse Deo acceptam, habemus in Christi resurrectione certam ea de re veluti arrham. Inde est quod Paulus dicit Rom. 4.25. *Christum traditum fuisse propter offensas nostras, resurrexisse autem propter justificationem nostram.* Ad sanctificationem autem quod attinet, quid potest esse Christo in cruce moriente potentius & efficacius, quo à mundi amore deterreamur? nam in eo tanquam in speculo refulgent omnimodæ virtutes, patientia, humilitas, mansuetudo, fortitudo, constantia, obedientia planè stupenda, &c. ad harum virtutum imitationem invitamur & allicimur tam eximio, illustri & raro exemplo. Præterea in ejus morte conspicua est humanæ naturæ destructio, ut ea innovetur & exsuscitetur in aliam veluti vitæ speciem. Similiter & in resurrectione Christus Caput est nostrum quoad sanctificationem, quatenus scilicet resurgens à mortuis non amplius in posterum vivit animalem istam vitam quam ante mortem vivebat in terris (nam

post resurrectionem fame, siti, alijsque ejusmodi naturæ hujus infirmitatibus non laboravit,) eo enim docemur, nobis deinceps non amplius esse vivendum carni, mundo, & peccato, sed justitiæ & Deo.

Porrò Vnio omnis vel est Physica, vel Politica; & Physica quidem unio nulla major est aut arctior eâ quæ est Capitis & Membrorum, Politica item unio nulla est arctior eâ quæ est Mariti & Vxoris, fiunt enim ex Dei instituto una caro; *Propterea*, inquit Deus, *homo derelinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori, eruntque duo in carnem unam.* Cùm itaque nostra cum Christo unio sit arctissima, eapropter in Scriptura sub figura utriusque illius unionis nobis quasi adumbratur, unde Christus dicitur *Sponsus* & *Caput* nostrum, nos illius veluti *Vxor* seu *Sponsa*, & *Membra* item; non ut eo significetur unionem nostram habere se ad instar, seu modum (uti loquuntur) *Physicæ* unionis, cùm ea potius concipienda à nobis videatur ad modum *Politicæ*, unionis, cùm Ecclesia sit cœtus religiosus civium cœlestium, sed ut significetur duntaxat vinculum illud esse longè arctissimum atque indissolubile. Et unione quidem viri cum uxore, qua fit ut unius conjugis bona & mala sint alteri communia, significatur mala nostra, miseriam scilicet peccato nostro contractam, (nam hanc nos illi dotem afferimus) Christo fuisse impositam, bona verò ipsius, justitiam nimirum, sanctitatem & gloriam nobis communicari. Vinculum etiam unionis illius eo significatur, nempe fides, qua simus Christi beneficiorum participes, nam unde illa bonorum & malorum communio quæ est inter conjuges? sanè ex fide mutuò utrinque data, qua interveniente fit conjugium, non interveniente nihil fit. Similitudine autem Capitis & Membrorum significatur, nos à Christo ejusque Spiritu vitam motumque spiritualem nostrum, & actiones vitæ illi congruas, haurire, atque illa ab eo in nos veluti derivari vi & efficacia Spiritûs ipsius. Vnde est quod Apostolus dicit (1. Cor. 6. 17.) *Eum qui adhæret Domino fieri unum cum eo Spiritum.* Itaque si volumus esse certi num Christo simus uniti, videndum est an nos illi fidamus, &, an Spiritus ipsius in nobis maneat & agat. Hoc autem deprehendemus ex ejus effectis, quæ duo sunt vel maximè præcipua, alterum quidem, pax sive gaudium & consolatio interna conscientiæ, alterum verò affectuum nostrorum puritas, & sanctificatio. Hæc si in nobis deprehenderimus, certò possumus apud nos statuere, nos esse Christo unitos.

℣. 58. *Non ut Patres vestri, qui comederunt Manna & mortui sunt.*] Evehitur hîc dignitas & præstantia Christi cibi verè cœlestis supra Manna, quæ præstantia multis in rebus conspici potest. Manna multa habuit supra cibos vulgares eximia & singularia, eadem Christus habet supra Manna longè præstantiori modo; habuit autem Manna defectus quosdam quibus caret Christus. Manna hæc habuit singularia

& eximia, primò quod non de terra enaſcebatur ut cibi vulgares, ſed de cœlo deſcendebat. Secundò, nullo aut perexiguo labore colligebatur & parabatur, cùm cibi vulgares non ſine moleſtia & labore multo conquirantur, comparentur & apparentur. Tertiò, ſaporem habuit gratiſſimum, voluptatémque afferebat puram & caſtam (erat nempe ſapor ejus ſimilis ſapori placentæ mellitæ) non qualis eſt ſapor cupediarum carnalium, quibus caro titillatur, & excitatur ejus concupiſcentia, Quartò, in ſubminiſtratione illius cibi Deus conſpiciendam præbuit primò potentiam, in eo quod res tam tenuis ſubſtantiæ (nam Solis calore & æſtu, inſtar pruinæ, liquefiebat) tantum populum nihil ominus aluit; deinde, Sapientiam, quod non deceret in ejuſmodi deſerto, in quo voluit eos variè exercere, populum illum cupedijs carnalibus ſaginare, ventrémque eorum delicijs iſtis craſſis implere atque ſuffarcinare, ſed cibo caſto & puro, qualis erat Manna, alere atque reficere, denique Bonitatem, in eo quod terra denegante illis ſubſidium, de cœlo Deus illis ſuccurrit. Defectus in Manna duo fuerunt inſignes, ac primò quidem, quod tædium tandem peperit illi populo, deinde verò quod mortem prohibere, ſeu debellare, neque vitam hanc perpetuare potuit. Iam verò quicquid in Manna fuit egregium atque eximium Chriſtus illud habet & poſſidet multo excellentiori modo. Nam primò Chriſtus non de hoc inferiore aëre (uti Manna) ſed de cœlis cœlorum ad nos, à Patre luminum, deſcendit. Deinde nullo noſtro labore aut ſumptu, nullis noſtris meritis eum nobis comparavimus aut emercati ſumus, ultro enim ſeipſum nobis dedit, etiam tum quum hoſtes ipſius eſſemus. Aliquis fuit, licet perexiguus, in colligendo & parando Manna labor, at in Chriſto fide accipiendo nullus eſt omnino labor, imò voluptas eſt in eo ſumma, & dulcedo illa Chriſti infinitis partibus longè purior eſt & caſtior, quàm fuit Mannæ ſapor, eſt enim ſpiritualis illa voluptas, non craſſa & corporea. Denique, Deus in ſubminiſtrando nobis hoc cibo verè cœleſti bonitatem, potentiam, & ſapientiam ſuam longè luculentius manifeſtavit, quàm in demittendo de cœlo Manna. Defectus autem quod attinet quibus laborabat Manna, ijs Chriſtus omninò caret. Nam primò, qui Chriſtum ſemel verè guſtarunt, nunquam eos tædium illius capit, imò (contra quàm Iſraëlitis in Manna contigit) quo frequentiùs eo veſcuntur, tanto vehementiùs eo delectantur: ſi quos Chriſti tædium capit, ij Chriſtum nunquam guſtaverunt, illi ſunt qui nonniſi mundum, carnem & carnalia, atque terreſtria, non cœleſtia ſapiunt, Ad alterum autem Mannæ defectum quod attinet, quod ſcilicet mortem non prohiberet, videtur Chriſtus illi hac in parte eſſe ſimilis, nam & qui Chriſtum edunt moriuntur ſimiliter. Sed primo qui in Chriſto moriuntur, ij in æternum vivunt, & quidem vita longè beatiore & præſtantiore

quàm est hæc terrena vita. Quod si quis objiciat fideles in deserto Manna comedentes eandem post mortem vitam vixisse beatam, quam nos jam in Christo morientes vivimus; Responsio in promptu est, Nempe, eos non Mannæ vi & efficacia, sed Christi virtute & merito (ut & nos) vitam illam adeptos esse. Deinde, Manna destinatum erat ad vitam hanc animalem alendam & fovendam, quam tamen prorogare & perpetuare non potuit; at Christi caro vitam illam (spiritualem nempe & cœlestem) cui alendæ & fovendæ destinata est, non sinit deficere, intercipi, sed eam perpetuat in æternum. Non venit Christus ut terrestrem & animalem hanc vitam prorogaret in perpetuum, sed potius ut per ejus exstinctionem, spiritualem & æternam conferret. Itaque manifesta est etiam hac in parte Christi & Mannæ dissimilitudo & oppositio.

℣. 62. *Quid si igitur conspexeritis filium hominis*, &c.] Occurrit Christus his verbis & refellit crassam tum Capernaïtarum, tum hodiernorum Pontificiorum, illis paulò minùs crassorum, de esu carnis Christi corporeo, phantasiam atque opinionem. Avertit nempe eos ab ejusmodi esu carnali, qui locum non potest habere quum corpora, tanta temporum & locorum intercapedine sejunguntur, quanta est inter cœlum & terram, inter mundi initium & ejus finem, convertitque eorum cogitationem ad esum spiritualem, qui ejusmodi locorum & temporum intervallo prohiberi non potest, quique locum habuit etiam tum quum Christus nondum secundùm carnem natus esset, in Patribus nempe qui sub Lege ante Christum, jam ab initio mundi, vixerunt. Nam sanè Christus, omni ævo & tempore, cibus & potus fuit populi sui, à quo ab initio mundi profecta est vita hominum. Quod si peragi id deberet esu & potu corporeo, fieri omninò id non potuisset, nam per multa sæcula Christus Dei Filius in cœlo fuit Deus tantummodo, nondum assumptâ humanâ naturâ. Tum, inquam, esus ille corporeus (quem tantopere urgent Pontificij) locum habere non potuit. Neque hoc loco succurrere illis potest Omnipotentia divina, ad quam solent confugere, quam solent quasi μορμολυκεῖον nobis objicere, ad tuendum esum suum corporeum, neque enim Omnipotentia Dei potest efficere, ut quod omnino non est, quod non existit, edi possit; nam non entis non sunt (uti loquuntur) accidentia. At esus Christi spiritualis locum habere tum potuit, anima enim tam futurum, quàm præsens & præteritum, mente potest complecti, atque ex re futura (quam certò futuram scit) gaudium & consolationem non minùs quàm ex præsenti percipere, *Abraham*, inquit Christus, *vidit diem meum, & gavisus est*. Non vidit equidem oculis corporis, sed animæ & fidei, quę *fides hypostasis est rerum sperandarum, & ἔλεγχος earum quæ non videntur*, ut ait Apostolus Hebr. 11. 1. Christus itaque quum hîc memorat

aſcenſum ſuum in cœlum, ubi jam ipſe erat à principio, ſatis apertè docet, qua ratione jam ab initio fuerit, futurúſque ſit ad finem uſque ſæculorum, Eccleſiæ ſuæ eſca, ſive cibus & potus, nempe non communicatione quadam corporeâ, quæ impoſſibilis eſt ob locorum & temporum intercapedinem, quæ corpora disjungit, neque ea patitur ſimul eodem loco & tempore inexiſtere & conjungi, quæ tanto temporis & loci intervallo disjuncta ſunt. Sic ergo Dominus Diſcipulos ſuos craſſæ & affectatæ ignorantiæ redarguit, quum ſignificat eis, neque ſemper ſe verſatum eſſe in terra quoad corpus, neque ſemper ſibi eſſe his in terris verſandum, ſed aſcendendum ſibi aliquando eſſe in cœlum, atque eò ſubvehendum eſſe à ſe corpus ſuum, interim tamen ſe ſemper fuiſſe, ſemperque futurum eſſe, cibum eorum omnium qui vitam æternam olim participarunt, eandemque ſunt ad finem uſque mundi participaturi.

In IOHAN. Cap. VII. ✝. *17.*

ἐάν τις θέλῃ, &c.] Chriſtus videtur hîc apertè poſtulare, ut priùs fiat Patris voluntas quàm cognoſcatur, ſive judicetur, de doctrina. Videntur autem omninò hæc eſſe *ἀσύστατα*, ut quis priùs faciat voluntatem Dei, quod rei caput eſt, tum deinde judicet de doctrina. Sic enim videtur eſſe ac ſi dixiſſet, *judicabit de doctrina priuſquàm judicet de doctrina:* Nemo enim quid facit qui non idem judicet, & tum demum aliquid rectè fit, quum fit judicio: quod autem rectè fit eſt ejuſmodi, ut in eo animus conquieſcat, neceſſe autem eſt id fiat Dei juſſu, in quo animus acquieſcit, quod autem fit Dei juſſu, cum judicio fieri neceſſe eſt. Cùm ergo nemo poſſit facere voluntatem Dei quam non agnoverit, quid eſt quod Chriſtus hîc dicit, *Si quis voluerit ejus voluntatem exequi, judicabit*, vel *cognoſcet, de doctrina?* Vult enim (uti videtur) antecedere id quod naturâ ſuâ ſequitur, nempe vult antecedere, *exequi voluntatem*, ſequi autem *judicare de doctrina*, at contrà ſe res habere videtur, neceſſe eſt enim præcedere judicium, voluntatem autem ſequi. Neque fas eſt hîc cum nonnullis ita argutari, ut dicamus, aliud eſſe, *velle facere voluntatem Patris*, aliud verò *eam effectam dare*: Nam profectò qui ſerio ducitur verè pietatis ſtudio, is jam hoc ipſo, ſine controverſia, pius eſt: Atqui nulla eſt pietas quæ veræ doctrinæ cognitionem præcedat, cùm pietatis omnis regula ſit doctrina. Itaque aliud reſpondendum eſt: Nempe, non dicit Chriſtus, *cognoſcet de doctrina* ſimpliciter, ſed, *cognoſcet περὶ τῆς διδαχῆς*; non enim omnis doctrina eſt *ἡ διδαχὴ*, tantùm *ἡ διδαχὴ κατ' ἐξοχὴν* vocatur, [hoc quidem loco] Chriſti prædicatio, quæ non excludit omnem præcedaneam cognitionem, ſed eam tantùm quę [uti jam diximus] *κατ' ἐξοχὴν Doctrina* dici poſſit. Sic quum cap. 1. hujus Evangelij Chriſtus dicit, *Patrem nemo vidit unquam, Filius, qui*

eſt in ſinu Patris, nobis eum revelavit, non excluditur omnis præcedens revelatio, neque omnis cognitio veritatis, ſed duntaxat ſingularis quędam cognitio ac præcipua, quæ non ſpecie, ſed gradu diſtat ab ea cognitione cujus author fuit Chriſtus agens in terris. Sunt igitur revelationis divinæ gradus quidam, quorum primus gradus eſt ad ſecundum, ſecundus autem ad tertium, & ſic deinceps. Sed quinam ſunt iſti gradus revelationis divinæ? Nempe nulla gens eſt tam effera, tam barbara, quam Deus celaverit bonitatem ſuam: nam ſolem ſuum oriri facit ſuper juſtos & injuſtos, & ea ſufficit hominibus, unde poſſint colligere certiſſima bonitatis ſuæ argumenta. Certos autem homines dignatur beneficio multò magnificentiori, quales ij ſunt, quos voluit Eccleſiæ ſuæ membra facere. Quum igitur Chriſtus ait, *Si quis voluerit facere Patris voluntatem*, deſignat voluntatem quæ eum cognitionis modum ſequitur, qui haberi potuit ante Chriſti prædicationem, nempe ex doctrina Moſis & Prophetarum, quam qui animadverterunt, & ad eum revelationis modum ducebantur ſtudio componendi vitam ſuam, haud dubiè avidè doctrinam Chriſti [ut ita loquar] imbiberunt: quaſi diceret Chriſtus hoc loco, *Si perceptam habuiſſetis doctrinam Moſis, non quidem mente theoreticâ duntaxat, ſed vel maximè practicâ, quæ excitat ad opus, judicaretis de doctrina mea, an ex Deo ſit necne.* Nam ut hîc utamur exemplo adeò craſſo ut in ipſos incurrat ſenſus, pannus leviter tinctus, facilè quo leviter tinctus eſt colore imbuitur, accedat modò opera Tinctoris. Atque ita accipiendum eſt illud, *Habenti dabitur.* Cæterùm, nulla ratione hinc effici poteſt, rudem iſtum & inchoatum cognitionis modum aliundè eſſe quàm à Deo, aut poſſe eſſe efficacem niſi accedat Spiritus Dei: Nemo enim eſt mortalium qui ſine Spiritu Chriſti ea luce, quæ in ipſo anteceſſit prædicationem Evangelij, rectè uſus ſit. Vnde fit ut omnes hac ratione fiant inexcuſabiles, quia quod non agnoverunt hanc lucem, non aliundè profectum eſt quàm ab eorum nequitia; contrà, qui eam agnoverunt, nihil habent in quo glorientur, id enim omne, quodcumque tandem eſt, ortum eſt à vi Spiritus Chriſti, qui edomuit pertinaciam intellectus & voluntatis.

In IOHAN. Cap. VIII. ℣. 35.

ὁ δοῦλος οὐ μένει ἐν τῇ οἰκίᾳ εἰς τὸν αἰῶνα.] Proverbium eſt quo Chriſtus eſt uſus, ut demonſtret diſcrimen *Iuſtitiariorum* [hoc eſt, eorum qui nituntur operibus Legis ad vitam conſequendam] & *filiorum*, qui ſola fide nituntur, neque Deo ſerviunt mancipiorum inſtar, metu pœnæ, aut ſpe mercedis, ſed animo prompto: nam Iuſtitiarij hypocritæ ad tempus florent, laudem conſequuntur apud homines, etiam in Eccleſia Dei, at tandem ejiciuntur foras [*omnis enim planta*, inquit Chriſtus, *quam non plantaverit Pater meus eradicabitur*] quod in Iudęorum,

dæorum, rejectione adumbratum est; etenim cùm rejecti ideò sint quod servi esse voluerunt, exemplum est rejectionis eorum qui sub Evangelio nolunt vivere, hoc est, sub gratia, sed sub Lege.

℣. 47. ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ τὰ ῥήματα Θεοῦ ἀκούει.] Non omnes prædestinati seu electi; sed ij tantùm qui regeniti sunt, dicuntur *esse ex Deo* in Scriptura: Regenerandi verò ἐκ τοῦ κόσμου, & *Patris esse* dicuntur, Iohan. 17. 6.

℣. 58. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί.] Non tantùm significat Christus se fuisse in se, utpote qui Deus, sed fuisse conservatorem Ecclesiæ suæ, *Vidit & gavisus est*, hoc est, percepit aliquem fructum, alioqui in Abrahamo *cupere*, *videre*, & *vidisse* sejungi possent, jam verò conjungantur ista, *cupijt videre* & *vidit*. Itaq; fructum aliquem oportet redundasse hinc ad Abrahamum, quare sequitur continuò *& gavisus est:* imo verò hoc significat gaudium non vulgare, vox, inquam, ἠγαλλιάσατο. ἐχάρη. Socinus ut effugiat atque declinet vim argumenti quod ex hoc loco nectitur, ait, Nomen *Abraham*, in hac Christi oratione, significare id quod ipsum nomen declarat, nempe *patrem multarum gentium*, ut hic sit sensus, *Priusquàm fieret*, vel *esset*, *pater multarum gentium*, *ego sum*, non enim factus est propriè Abraham pater multarum gentium, nisi quum per prædicationem Evangelij gentes conversæ sunt ad Christum. Sed sic nullum erit enunciationis illius subjectum. Finge enim id quod vult Hæreticus, tunc *Abraham* erit attributum in ista enunciatione, *antequam esset Abraham*; Quod si Abraham est enunciationis illius attributum, quodnam erit ejus subjectum?

In IOHAN. Cap. IX. ℣. 2.

τίς ἥμαρτεν, οὗτος, ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ.] Nonnullis videtur hoc absurdè quæri à Discipulis, nisi statuamus eos in hac fuisse sententia cum Pythagoræis, *animas de corpore in corpus migrare* (quo in errore volunt fuisse Pharisæos) quî enim fieri possit ut cæcus peccando cæcitatem hanc accersiverit à nativitate quæ omne peccatum præcedit, nisi statuamus animam istius cæci in alio corpore peccasse. At nihil tamen necesse est hîc ad Metempsychosin recurrere; imò Metempsychosis id non facilè admittit, Metempsychosis, inquam, Pharisæorum, hoc est, quæ Pharisæis affingitur. Solæ enim justorum animæ ex illa sententia traducuntur in nova corpora, Discipuli autem suspicantur cæcum istum fuisse impium. Deinde dici potest, Discipulos ob oculos habuisse peccatum originis, quod Hebræi vocant יצר הרע *figmentum malum*. Tum & id haud absurdè potuerunt cogitasse, ut sunt omnia Deo præsentia, prævidisse Deum multò antè qualis cæcus hic futurus esset, ac proinde quemadmodum impio Regi Roboamo, intentanti in Prophetam manum, gravem inflixit pœnam, ut atrocitatem sceleris designati tum cohiberet, tum puniret etiam, sic cum isto cæco egisse.

R

καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν.] Hoc loco abutuntur Pontificij ad stabiliendam Papæ Monarchiam, quasi hæc à Christo non de se, sed de Papa dicta essent: Nempe sic agunt, Si Christus nomine *Pastoris* semetipsum intelligeret, cur dixisset, *Et erit Pastor unus*, cur non apertè dixit, *Et ego sum unus ille Pastor?* ℞. Christus scilicet allusit ad duo Ezechielis Prophetæ loca, cap. 34. 23. & 37. 24. *Erit Pastor omnibus unus*, &, *Suscitabo super eos Pastorem unum*, q. d. Christus, Implebitur quod prædictum est à Prophetis, fore ut sit unus Pastor. Deinde, solemne est Christo, etiam cùm de se loquitur, tertiâ uti personâ, ut quum dicit, *Cùm filius hominis veniet, creditis fore ut fidem inveniat in terra?* An hinc concludet quispiam alium esse filium hominis præter Christum qui loquitur?

ỽ. 28. οὐκ ἁρπάσει τις αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου.] Perseverantia fidelium sic probatur ex hoc loco. Rapiuntur è manu Christi qui deficiunt à Christo; Oves autem non rapiuntur; Ergo, nec deficiunt. Novatores respondent, *Oves quantisper sunt oves, non posse eripi, fieri tamen aliquando ut desinant esse oves. Causam verò conservationis ovium esse Patris potentiam, quæ opponitur imbecillitati hostium, non autem dicitur potentia illa causa esse immutabilitatis voluntatis.* At nos non dicimus voluntatem esse immutabilem, hoc enim est unius Dei proprium, ut immutabilis sit: attamen eorum qui sunt oves Christi dicimus ita nunquam mutari voluntatem ut deficiant à Christo. Quod verò aiunt, Potentiam Patris hoc loco opponi imbecillitati hostium, mera nugatio est; Hostes enim nostri non dicuntur validi nisi ob facultatem superandi nos: itaque non potest opponi potentia Patris illorum imbecillitati, nisi quatenus prohibet ne illi nos superent, non autem prohibebit si ab illi superemur, superabimur autem si cedamus; pollicetur ergo Christus ut ne cedamus. Imò verò nemo est in tentatione qui sibi aliundè metuat quàm à semetipso, unde vox illa notissima in Ecclesia, *Ne nos inducas in tentationem.* Non enim (credo) oramus Deum ne sit author mali blasphemaremus enim stremuè inter orandum, sed ut ne nos patiatur superari à Tentatore, quod est, puto, ut efficiat ut nos superemus Tentatorem.

ỽ. 35. οὓς ἐκείνους εἶπε θεούς, &c.] His verbis (inquiunt hodierni Photiniani) videtur Christus indicare, appellationem seu titulum *Filij Dei*, quem Iudęi blasphemum contendebant, nihil aliud significare nisi munus illi à Patrę impositum, & ad quod peragendum missus in mundum fuerat, eodemque pacto sese *Filium* Dei dixisse, quo Magistratus *Dij*, & *filij Altissimi* in Scriptura dicuntur. ℞. Christum eo loco non explicare quâ ratione, & quo sensu sit, dicatque se esse Filium Dei, sed Iudęos duntaxat malitiæ convincere, qui ipsi tanquam atrox aliquod

facinus objiciebant, quod cùm homo esset, diceret se Dei Filium. Hoc nempe vult, quum Deum patrem suum esse dixit, se nihil sibi eo tribuisse quo Iudęi offendi debuerint, vel quod videri ipsis novum deberet, cùm vulgata & familiaris ipsis esset ex Lege, illa *Deorum* & *Filiorum Dei* appellatio, tributa & concessa quibusdam hominibus. Verba igitur Christi sic sunt accipienda, quasi diceret, Esto, sim nudus ac merus homo, uti vultis, quid tantopere offendimini, méque blasphemum ideò judicatis, quod me vocem Dei Filium, quasi novum & vobis inauditum titulum mihi tribuam, cùm tamen hoc sit in Lege vestra familiarissimum, ut qui à Deo ad munus aliquod singulare & eximium, Dei nomine inter homines peragendum, missi sunt (quales sunt, verbi gratiâ, Reges & Magistratus) *Dei* & *Filij Altissimi* vocentur. Cùm itaque negare non possitis, me à Patre missum & sanctificatum esse ad munus hoc, quo jam inter vos fungor, peragendum, quod satis testantur opera illa quę à me fieri videtis, causa nulla est, cur blasphemiæ crimen mihi propterea impingatis, quod Deum dicam Patrem meum. Non ergo (quod volunt Hæretici) Christus illic docet se non alia ratione esse Dei Filium, quàm quomodo Iudices & Magistratus *Dij* & *Filij Dei* vocantur, sed Iudæorum calumniam, duntaxat, eo quo diximus modo, refellit. Atque hîc observandum est, obscuriorem fuisse totius salutis humanæ *οἰκονομίας* rationem ante Christi resurrectionem, & ejus in cœlum ascensum, unde & ante tempus illud obscura fuit de divinitate Christi cognitio. Christus quidem nunquam se negat esse Deum, Dei Filium, imò non detrectat hominum ad se venientium adorationem, at non tamen exertè & apertè dicit se esse Deum: Deus nempe, prout videbat decere Sapientiam suam, apertam hujus mysterij notitiam differebat ad resurrectionem usque Christi, ejusque in cœlum ascensum, & Spiritus Sanctus in corda fidelium missionem. Quare ex illa revelationis *οἰκονομίᾳ* Christus non hîc negat se esse Deum verum, quod tamen faceret, si, ut volunt Hæretici, diceret se non aliter esse Dei Filium quàm quomodo Iudices dicuntur *Filij Altissimi*) sed hominibus colligendum relinquit ex verbis suis, se esse verè Deum, verum & naturalem Dei Filium.

In IOHAN. Cap. XI. ✠. 40.

ὄψει τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ.] Gloria vel *rem* significat, vel *opinionem de re*, vel *deprædicationem*. Cùm *rem* significat, nihil aliud est quàm magnitudo virtutis aut pulchritudinis, quęcumque tandem illa sit. Itaq; Linguâ Hebręâ כבוד dicitur, & Chaldaïcâ יקר, quæ voces *pondus* item significant, pondus verò magnitudo quædam est. Quod siquis appellationis hujus rationem requirat, peti potest ex rei ipsius natura; nam quæ sunt mediocria, in earum rerum consideratione & contemplatione nec animus, nec oculus, succumbit, sed quæ sunt summa, quæque

rapiunt in admirationem, ea cogunt veluti ſuccumbere pondere quodam conſiderantem & contemplantem. Itaque cùm in Domino omnis virtus ſit ſumma, atque ita ſumma ut ſit infinita, ut ſemper ſit aliquid ulterius quàm quod humana mens capere poteſt, cúmque in Deo ſumma Bonitas ſit, Deo propriè *Gloria* tribuitur, ejuſque tum Bonitas tum Potentia *Gloria* dicitur. Sanè Potentia Dei *gloria* vocatur in Scriptura, ut hoc loco, *videbis gloriam Dei*, hoc eſt, videbis potentiam Dei, non vulgarem potentiam, ſed ſummam, cujus conſideratio te rapiet in admirationem, efficietque ut mens tua, veluti pondere quodam preſſa, ſuccumbat, fateaturque non poſſe rem tantam ſatis pro dignitate laudari. Et verò Paulus Rom. 6. 4. noluit aliud ſignificare quum dixit, *Chriſtum excitatum à mortuis* διὰ δόξης τοῦ πατρὸς *per gloriam*, hoc eſt, potentiam, *Patris*.

ỿ. 51. ἀλλ' ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, &c.] Hinc Pontificij exculpere conantur prærogativam infallibilitatis Pontifici, & Paſtoribus etiam qui munere ſuo abutuntur. Sed ſi ita ſe res haberet, unde factum eſt, ut Pontifex, quum ad rem ipſam ventum fuit, (nam cùm verba illa pronuntiavit, res vocata fuerat tantùm in quæſtionem, quid facto opus eſſet) pronuntiaverit de Chriſto, *blaſphemavit*: nam debuit valere privilegium (ſi quod fuiſſet ejuſmodi quale ſomniant Pontificij) præſertim quum ad rem ipſam ventum eſt, quando non deliberationem ſed decretum, malum ſequitur, reapſe, inquam, & facto. Deinde, & ſic directè reſpondemus, & quidem bifariam. Primò, Extra ſolemne Iudicium, & quod ratum eſſe debuit, id Pontifici obtigit ut quodammodo prophetaret, ut hoc nobis argumento ſit, aliquando eos qui in Eccleſia regenda non verſantur fideliter, quum de Chriſti cauſa agitur, hoc eſt, de fide, tamen imprudentes eò delabi, ut ea dicant quæ faciunt ad fidem Chriſti propagandam. Cæterùm cavit Deus ne id fieret in eo Concilio in quo Chriſtus damnatus eſt, ne quis hîc diceret (quod dici volunt Pontificij) ab hominum authoritate eſſe pendendum. Itaque utrique proſpexit Deus, tum ut habeamus Providentiæ ſuæ argumenta, tum ut ea habeamus tam oportunè, ut ne detur (ſi incidamus in errorem) idoneæ excuſationis argumentum. Nam Pilatum quidem, quia Iudex fuit (qui hominum ordo nullo unquam ſæculo habitus eſt pro eo ordine qui non poſſit errare) ſic rexit, ut & ipſe prophetaverit quodammodo, nam juſſit titulo Crucis ſcribi ea verba, & quidem varijs linguis, tribus ea ætate celeberrimis toto terrarum orbe, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, tantâ conſtantiâ, ut decretum ſemel reſcindi non ſit paſſus. Secundò. ℞. Notatum eſſe ab Evangeliſta, *quia eo anno erat Pontifex*, ut ratio divinæ Providentiæ redderetur, non verò ut notaretur privilegium Pontificatus. Nam verba quæ magnis viris excidunt, & conſtitutis in authoritate, multo magis ani-

mum afficiunt, cujus generis sunt illa verba quæ dicimus *Ominosa.* Atque in eo non aberramus à vero, modò ne superstitioni, sed [ut Christianam religionem decet] providentiæ divinæ ei, quæ nobis inesse debet, cognitioni obsequamur. Certum enim est magnis viris, dum magna moliuntur, imprudentibus multa excidere, quæ rerum quas moliuntur exitum designant.

In IOHAN. Cap. XII. ℣. *43.*

ἠγάπησαν τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ.] hoc est, Multò magis studuerunt ut conciliarent existimationem apud homines, id est opinionem, quàm apud Deum. Nam Gloria vel *rem* significat, vel *opinionem de re*, vel *deprecationem* Gloria nempe quæ est in re menti objicitur contemplanda: Itaque gloria rei est externa, quum quod est in se gloriosum, id ipsum quod est creditur esse.

℣. 16. ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν.] Doctissimus Interpres Spiritum Sanctum ideò παράκλητον à Christo dici contendit, quod sit Deprecator & Advocatus noster apud Deum. Et quidem prior ejus ratio hæc est, quod παράκλητος Greçâ Linguâ *Advocatus* est Latinè, posterior verò, quòd Rom. 8. 26. iste Spiritus dicitur ὑπερεντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν, *intercedere pro nobis.* Sed prior illa non est tanti. Nam παράκλητος vox est Attica, qua [ut ille ipse vir magnus observavit] significantur illi quos in periculo accersimus, ut nobis adsint consilio, [qui ijdem *Advocati* propterea dicuntur Latinè] etiamsi non litigent in foro nostro nomine. Itaque παράκλητος Linguâ Greçâ, & *Advocatus* Latinâ, non significat propriè *Deprecatorem*, sed eum cujus consilium requirimus in re difficili. Verum quidem illud est, quod per accidens idem Advocatus & Deprecator est, quomodo Christus Dominus noster dicitur παράκλητος *Deprecator* 1. Ioan. 2. 1. Posterior verò ratio non est magni momenti, nam Rom. 8. 26. Spiritus dicitur *intercedere pro nobis*, non quod ipsa Spiritus Sanctus persona immediatè intercedat, sed quia excitat in nobis affectum precandi per gemitus; porrò non gemit Spiritus, sed nos gemimus. Itaque intercedit sive deprecatur efficiendo ut gemamus, & excitando in nobis precandi affectum. Quid igitur est hoc loco παράκλητος? Non est vox ista ab Evangelistis adhibita quasi alluderent ad morem & leges sęculi, pręsertim Gręcorum & Latinorum, sed vox παράκλητος usitata fuit inter Iudęos: nam illi παράκλητον vocant פרקליטא barbarè quidem, sed postquàm Iudęi dispersi fuerunt inter Gentes, varij barbarismi in eorum linguam irrepserunt. Cujus vocis פרקלים vim ut melius intelligamus, sciendum vocem Hebręam מליץ generali significatione eum significare qui loquitur concinnè, eleganter, & accommodatè. Iam verò qui ita loquitur non decet simpliciter, sed ita ut voluptate quadam Discipulum afficiat; tum etiam qui loquitur accommodatè & eleganter, facit facilè id quod is, cujus

nomine loquitur, vel non potest omnino, vel potest ægrè facere. Inde factum est ut מליץ sit, Linguâ Targumicâ sive Chaldaicâ, interdum מלפא hoc est, *Doctor*, interdum מתורגמן hoc est, *Interpres*, nam Genes. 42. 23. quo loco agitur de Interprete, qui intercessit inter Iosephum & fratres [nam Iosephus simulabat se nescire Hebraicè, ideò opus ei fuit Interprete] usurpatur vox מליץ hac *Interpretis* significatione; interdum etiam פרקליט eadem Linguâ Chaldaicâ est *Consolator*, ut Iob. cap. 16. 20. Spiritus ergo Sanctus פרקליטא παράκλητος dicitur sive מליץ hoc est, tum מאלפא *Doctor, nempe docet nos omnia*, ✠. 26. tum etiam *Consolator*, non enim nos docet simpliciter, sed ita docet ut soletur etiam, Spiritus nempe Sanctus semper secum gaudium affert; Atque huc respexisse vel præcipuè videtur Christus, infra ✠. 26. nam subdit statim, *pacem do vobis, pacem meam relinquo vobis*; Nulla autem syncera & pura est auditoris voluptas, præter eam quæ oritur ex veritate simul & dulcedine rerum earum quæ dicuntur. Sed & videtur Christus Spiritum Sanctum *paracletum* dixisse, eo sensu quo מליץ interdum idem est quod מתורגמן *Interpres*, quia nos nescimus neque quid loquendum sit, neq; quomodo orandum. Itaque alibi Christus vetat nos esse sollicitos quid dicturi simus coram Iudicibus & Magnatibus hujus sæculi, nam pollicetur fore ut *Interpretem* habeamus Spiritum, qui faciet ut simus diserti. Ergo, quum hîc Christus Spiritum vocat παράκλητον, non notat deprecationem quandam & intercessionem Spiritus, sed duo illa quæ modò commemoravimus, nempe quod Spiritus edocturus esset Apostolos, & redditurus eos idoneus qui alijs respondeant, & eos doceant. Itaque non videtur Syrus Interpres debuisse reprehendi à doctissimo viro, quod פרקליטא ut vocem barbaram & peregrinam adhibuerit ad exprimendam vim vocis Græcæ παράκλητος, cùm vox illa exstiterit, ante Syrum Interpretem, usitata in Ecclesia Iudaïca. Nam non est credibile, Chaldæum Paraphrasten vocem hanc mutuatam esse à Christianis; quos oderat. Est autem usurpata à Paraphraste Hagiographorum Iob. 16, 20. qui vixit diu post natum Christum, & hac Paraphrasi testatur capitale odium adversus Christianos.

Ibid. ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν.] Μένειν in Scriptura singularem habet significationem, notat enim constantiam & penitissimam adhæsionem rei illius quæ dicitur manere. Et tum in *malo* (ut *ira Dei manens* dicitur quæ ita perdit ut nunquam disperdat, & cruciat ita ut nunquam perimat) tum multo frequentius in *bono* usurpatur, ut quum Dominus hîc pollicetur Discipulis, fore ut Consolator *maneat* cum ipsis in æternum; quod & versu sequenti repetit, ὅτι παρ' ὑμῖν μένει. Atque hîc observandum est, quod Hebr. שכן & Chald. שרא sic usurpantur; ut in veteri illo & celebri dicto Iudæorum, in Pirke Avoth cap. 3. (quod referendum est ad illustrationem hujus loci) *Duo qui simul sedent, & inter*

eos *sunt verba Legis*, שכינה hoc est, *Spiritus Dei est inter illos*. Spiritus autem *mansio* seu *habitatio* illis dicitur, quia Dominus in Veteri Testamento ubi agit de Spiritu sub Novo Testamento effundendo, *Habitabo*, inquit, *in medio eorum*. Hinc factum est ut prisci Iudæi Spiritum Dei vocarint שכינה, quasi diceres *habitationem*. Porrò, vertunt se in omnes partes Semipelagiani Novatores, ne videatur hic locus contra se pugnare pro Perseverantia fidelium. Primò dicunt, *Christum hoc tantùm velle, Ego pro tempore tantùm ad vos veni, ut brevi post mortem redeam ad Patrem, sed Spiritus Sanctus ita venturus est ut nunquam moriatur.* Quasi verò quis metueret ne Spiritus Sanctus moriatur. Contrà, hoc vult Christus, *Ego duntaxat ad tempus secundùm carnem fui vobiscum, at Spiritus meus semper vobis aderit*; opponit præsentiam Spiritus perpetuam, præsentiæ suæ secundùm carnem quæ ad tempus tantùm fuit. Respondent secundò, *Hanc promissionem pertinere ad solos Apostolos, ac proinde argumentum non valere.* Accipimus quod dant. Ergo Apostoli saltem perseveraturi fuerunt. At orarunt Apostoli, & jejunarunt, & non laxarunt habenas libidini carnis, & subegerunt corpus suum: Itaque falsum est quod dicunt, *dogma de Perseverantia inducere securitatem.* Excipiunt tertiò, *Fieri quidem posse ut spectet iste locus etiam ad totam Ecclesiam, at debet*, inquiunt, *necessariò subintelligi conditio, si nimirum servent ejus mandata.* At, inquam, scriptum est, fore ut hic Spiritus nos deducat in omnem veritatem: Itaque Spiritus est qui facit ut servemus mandata, *nam deducere in omnem veritatem* est efficere ut ambules in omni veritate. Excipiunt quartò, *ἵνα, ut, non semper significare eventum, fieri enim posse ut Spiritus recedat, & repellatur.* At verò sic ne promissio quidem Spiritus Apostolis facta, qualis hæc fuit, firma fuerit; fieri enim potuit ut Apostoli repellerent Spiritum, cùm hic disertis verbis affirment, fieri posse ut promissio ista ad solos spectet Apostolos. Omnis itaque certitudo jaciendorum fundamentorum Ecclesiæ Christi non pendebat à Spiritu, sed à libertate voluntatis Apostolorum Itaque Spiritus non fuit definiens & determinans, sed determinatus potiùs, neque constabiliens, sed constabilitus. Deinde, pugnat hæc glossa cum scopo Christi. Nam Christi consilium est consolari, at miserum mortalem & obnoxium peccato non consolatur qui sic compellat, *Non discedet à te Spiritus nisi volueris*, nam ille inde sibi non metuit tantùm à seipso. Imò unica hæc est & solida consolatio, *Non modò non discedet à te Spiritus nisi volueris eum abigere, sed efficiet Spiritus ut ne id velis*: quo fundamento nituntur & preces, & nostra gratiarum actio; & preces quidem dum id petimus, & gratiarum actio, dum pro eo impetrato Deo agimus gratias.

℣. 27. *ὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν.*] Verum quidem est quod obser-

varunt viri docti, Mundum ſępè mentiri quum dat pacem, mundum ſępè aggredi quantum non poteſt pręſtare, cùm dat pacem, etiam quum non mentitur ſed feriò agit. Nam Mundus vel fallax eſt, vel inops conſilij & virium; itaque qui nituntur Mundo non conſulunt ſibi, nituntur enim eo quod vel decipit fraude, vel deficit imbecillitate virium. Hęc quidem veriſſima ſunt, & altius inſigenda animo. Sed aliud tamen videtur voluiſſe Chriſtus, atque inſpicienti propius locum liquebit hanc fuiſſe Chriſti mentem, Nempe Mundus dat pacem ut amoliatur res adverſas carni, non ita dat pacem, ſed pax Chriſti tum demum viget, quum rebus ſecundum carnem adverſis non premimur modò, ſed penè opprimimur. Conferatur cum hoc loco cap. 4. ad Philipp. ℣. 6. 7. & res erit manifeſta.

In IOHAN. Cap. XV. ℣. 5.

χωρὶς ἐμοῦ οὐδὲν δύνασθε ποιεῖν.] Notanda eſt Emphaſis particulæ χωρὶς, nec à Syro, nec à Latino vulg. verſ. Interprete expreſſæ. Nam χωρὶς hîc non eſt ſimpliciter *ſine*, nec χωρὶς ἐμοῦ eſt Syriacum דלא אנא ut interpretatus eſt Syrus, ſed majus aliquid, quaſi dicat Chriſtus *ſeorſum à me*, Hebraicè לבד ממני. Nam eo loco Chriſtus agit de unione noſtri cum ipſo, quam tam ait eſſe neceſſariam quàm ſit unio palmitum cum vite: Itaque illud χωρὶς eſt Chaldaicum & Syriacum לחוד

In IOHAN. Cap. XVI. ℣. 8.

ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, &c.] hoc eſt, coarguet & convincet. Nam etiamſi naturali lumine cognoſcant homines quędam peccata, ut latrocinari, patriam prodere, &c. quandam itidem juſtitiam, ut eſt honeſtè vivere, neminem lędere, jus ſuum cuique tribuere: necnon divinam intuentes juſtitiam à judicio ſibi metuant, Spiritus Sanctus tamen, cùm venerit, oſtendet *Chriſtum rejicere* ſummum eſſe peccatum, ſummam *juſtitiam* acquiſitam eſſe morte Chriſti, & obſignatam illius aſcenſione: denique, ſummum eſſe *judicium* quod Diabolus ſit judicatus, cùm de eo Chriſtus in cruce triumphavit, noſque ab ejus tyrannide liberavit.

℣. 13. ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν.] Vulg. Interpr. reddidit, *Docebit vos omnem veritatem.* Non omnino malè, etſi enim non verbum verbo reddidit hunc locum, expreſſit tamen Chriſti mentem. Sic nempe LXX. Interpr. Pſal. 86. 11. ubi in Hebræo eſt, הורני דרכך hoc eſt, *doce me viam tuam*, LXX. reddunt, ὁδήγησόν με ἐν τῇ ὁδῷ σου. Porrò, hoc loco abutuntur Pontificij ad probandam Eccleſiæ quam vocant infallibilitatem. Sed primò, non hîc agitur propriè de Eccleſia, ſed de Apoſtolis, Chriſtus enim ſuos hîc compellat. Deinde, ut demus eo loco agi de Eccleſia, (ut certè ἀναλογικῶς hæc poſſunt & debent accommodari ad Eccleſiam, quando quæ Chriſtus pollicetur Apoſtolis, eadem Deus pollicetur in ſuæ Eccleſiæ gratiam & commodum) tamen

tamen ſic nihil fit, quia iſtud pertinebit tantùm ad Chriſti ſponſam, de qua hîc non eſt controverſia: non quod etiam Chriſti ſponſa non interdum erret, etiam in doctrina, ſed quia non errat exitialiter, ut hîc non promittatur omnimoda & perfecta ἀναμαρτησία, ſed in ijs tantùm quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; Sic 1. Ioh. 2. 27. dicuntur fideles *accepiſſe unctionem Spiritus, & noviſſe omnia, nec opus habere ut quis eos doceat,* quæ hyperbolica eſt locutio, qua ſignificatur eos eſſe uno verbo inſtructiſſimos in rebus ad ſalutem neceſſarijs. Denique, non Apoſtolis in unum locum congregatis hoc à Chriſto promittitur, ut id per analogiam trahi poſſit ad Epiſcopos in unum ſimiliter in Concilio coactos, ſed hoc Apoſtolis ſeorſum exiſtentibus Chriſtus pollicetur, fore ut à Spiritu in omnem veritatem deducantur inter docendum. Malè ergo id trahitur à Pontificijs ad Epiſcopos in Concilio congregatos, cùm ipſi agnoſcant (Bellarminus puta lib. 2. de Concil. authorit. cap. 2.) Epiſcopos ſeorſim exiſtentes non doceri à Spiritu Sancto omnem veritatem.

In IOHAN. Cap. XVII. ℣. *12.*

εἰ μὴ ὁ υἱὸς ἀπωλείας.] Non eſt ſic illud accipiendum, quaſi filius perditionis Chriſto datus fuiſſet, ac ſi exciperetur ex eorum numero qui Chriſto dati non perieruut, non enim *εἰ μὴ* hoc loco eſt *exceptivum,* ſed *adverſativum*; nec reddendum eſt *niſi filius perditionis*, verùm, *ſed filius duntaxat perditionis.* Sic Galat. 1. 7. *εἰ μή τινές οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς,* hoc eſt, *ſed ſunt nonnulli qui vos conturbant.* Atque ita ſæpius alibi: quod ijs non videtur inſolens, qui tenent quæ ſit phraſis linguæ. Nam Syriacum אלא, & purius אלהן vertitur Græcè *εἰ μὴ*, non per exceptionem ſemper, ſed ut plurimum adverſativè. Itaque, quod Novatores aſſerunt non eſt firmum, dum volunt Iudam fuiſſe Chriſto datum, quia ſcriptum eſt, *εἰ μὴ ὁ υἱὸς ἀπωλείας, niſi filius perditionis.*

In IOHAN. Cap. XIX. ℣. *30.*

τετέλεσται.] Non vult Chriſtus hac voce ſignificare typos legales, & quæ prædicta fuerant in Prophetis tum deſijſſe, nondum enim Chriſtus reſurrexerat à mortuis, nondum aſcenderat in cœlum, quod prædictum tamen fuerat; ſed hoc potius videtur ſignificare, ſe defunctum eſſe omnibus ijs quibus in hac vita defungi debuit, atque ita conſummatum eſſe: oportebat enim Chriſtum priuſquàm in cœlum aſcenderet, certis quibuſdam officijs perfungi in terra, quò reſpexit infrà cap. 17. 4. quum teſtatur *ſe perfeciſſe in terra opus quod ei à Patre datum exequendum, τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω,* nempe quia tantillum ſupererat temporis, atque jam inſtabat Chriſti paſſio qua conſummatus eſt, factum dicit quod jam in eo fuit ut penè factum eſſet.

μή μου ἅπτου.] Mirum si Christus adorantem repellit Mariam Magdalenam, qui neminem unquam repulit adorantem. Causa nulla potest dici alia cur id fecerit, quàm quod Christum non simpliciter adoraret, sed adoraret gratulabunda, quasi Christus jam eluctatus esset, & nixus ad supremum usque fastigium & culmen dignitatis suæ.

✝. 21. καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ Πατὴρ, &c.] Hæc Apostolorum à Christo missionis formula satis evidenter comprobat Apostolici numeris dignitatem, in Apostolorum authoritate & potestate, quæ fuit summa & incomparabilis, *Quomodo Pater me misit, sic & ego vos mitto*, hoc est, Quomodo me solum & unum Pater in terris audiri voluit, eandem ego vobis facio potestatem. Eodem illa pertinent, Luc. 22. 29. *Quomodo Pater mihi disposuit regnum, ita & vobis ego dispono.*

IN LIBRVM ACTVVM APOSTOLICORVM.

AD CAPVT X, ✝. 34.

OTI οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός.] Scriptura Novi Testamenti passim negat (ut videtur) Deum facere discrimen personarum, & Scriptura eadem (si rem propius intueamur) docet Deum inter personas magnum facere discrimen, neque enim omnibus vel eadem, vel paria indulget, quæ agendi ratio nonnullis videtur redolere προσωποληψίαν. Itaque considerandum est, quid sit *personam accipere*: Vnde facilè intelligi poterit, quid sit *non accipere personam*. Ac sunt nonnulli qui *personæ acceptionem* sic definiunt, ut eam velint in hoc esse sitam; ut paribus imparia tribuantur, vel imparibus paria: quorum utrumque cùm Deus faciat, omninò consequens est ut errarint graviter in definienda personarum acceptione: Nam paribus Deus imparia tribuit, dum, verbi gratiâ, Israëlitas prætulit reliquis gentibus, nulla (ut ipse testatur) adductus ratione præter amorem & benevolentiam, qua gentem, & gentis illius patres prosecutus est. Et imparibus

paria tribuit, quum, Parabolâ Operariorum, Christus docet, idem Deo licere quod Hero illi, qui eandem dedit mercedem illis qui non pariter laboraverant. Quid igitur est personarum acceptio? Nempe, *quum ob rationem quandam, quæ personæ inest, aliquid tribuitur præter jus & fas*: Vel etiam, *quum etsi id quod tribuitur personæ non sit tributum præter jus & fas, tamen habita est ipsius personæ, ob peculiarem quandam conditionem, ratio minimè congrua rei quæ tribuitur.* Quod ut facilius percipiatur, necesse est primùm teneamus unde sit orta hæc nomenclatura, *Acceptio personarum.* Est verò προσωποληψία dicta ἀπὸ τῆ λαμβάνειν τὸ πρόσωπον. Porrò, λαμβάνειν τὸ πρόσωπον est Heb. נשא פנים, illud enim verbi significat *levare faciem, accipere faciem,* Nam priscis illis temporibus hic fuit salutantium gestus, ut facie prona in terram peragеretur salutatio (quod & hodiéque fit in Oriente) qui verò salutabatur is salutantem sublevebat, [hoc est illud, נשא פניו *levabat ejus faciem*] Quod si accideret ut salutatio respueretur, aut verò insuper haberetur, tum demum nulla erat faciei levatio, aut personæ acceptio. Id ipsum alia locutione dicitur in Scriptura, *agnoscere faciem*, ut Deut. 1. 17. *non agnoscetis faciem personæ.* Atque à salutantium gestu traductum est ad rem ipsam significandam: Nempe ij dicuntur *accipere personam*, quibus persona non commendatur propter causam, sed contrà causa propter personam: Et verò id ipsum est quod Linguâ Gallicâ dicitur *faveur.* Scriptura igitur Deo detrahit προσωποληψίαν duplici ratione, primùm in Iudicio, Deus enim judicat juxta Legem, neque cuiquam tribuit quod nefas est tribui, Rom. 2. 11. Deinde, cùm personæ aliquid tribuitur, ob conditionem quandam personarum, quod non convenit ei conditioni. Sic detrahitur Deo προσωποληψία Gal. 2. 6. Porrò προσωποληψία aliter in N. aliter in V. Test. ponitur, nam in N. semper in vitio ponitur, in Vet. non item, nam aliquando Deo tribuitur, ut Genes. 19. 21. Deus Lotum sic compellat, *In hoc*, inquit, *accepi personam tuam.* Vno verbo προσωποληψία, est præpostera benevolentia, & juris perversio. Itaque non pertinet ad negotium Prædestinationis, nam in danda vita æterna nulla est προσωποληψία, etsi enim detur nonullis vita æterna, denegetur alijs, id fit idonea de causa, nempe crediderunt illi Evangelio, quod ijs cum reliqua turba non convenit. Rursus, etsi non donentur omnes tanta luce ut inde oriatur fides, hoc verò fit certis quibusdam hominibus donum peculiare, tamen quia id non fit ob certam quandam, & singularem rationem inhærentem personę, non est προσωποληψία, sad pertinet ad œconomiam liberam, & solutam omni Lege, nempe, Deo licet de suo facere quod ei libet.

℣. 35. ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐστί.] Nil facit hic locus ad probandam justificationem per opera. Nam aliud est, *nos esse acceptos*

propter opera, aliud *nos operantes acceptos esse*. Deinde, notandus est duplex amoris divini gradus, vel quo nos, sicut pater filium, etiam nequam, diligit, vel quo nos jam à se gratiâ donatos prosequitur; qui amor non est justitiæ, sed misericordiæ amor, quo suam in nobis amat imaginé.

ϐ. 41. *οἵ τινες συνεφάγομεν*, &c.] Videtur Petrus disertissimis verbis affirmare, Christum unâ cum Discipulis bibisse, postquam resurrexit à mortuis. Sed hîc illud primùm observandum est, quod Petrus non dixit Christum comedisse ac bibisse cum Discipulis, sed Discipulos comedisse ac bibisse cum Christo: inter quas locutiones magnum sanè discrimen est. Nam si priori usus fuisset Petrus locutione, haud dubiè eam adhibuisset eo animo ut inde fidem adstrueret resurrectioni Christi, quomodo Christus ipse dignatus est vesci cum Discipulis (nam bibisse eum post resurrectionem in historia Evangelica non legimus.) Iam verò cùm diversa locutione usus sit Petrus, haud dubiè ea locutione designavit tantùm (eâ figurâ quæ dicitur *Consequens pro antecedente*) convictionem & familiaritatem Discipulorum cum Christo, *non*, inquit, *toti populo*, *sed nobis qui cum eo conjunctissimè viximus*. Itaque hæc verba, *qui unâ cum eo edimus & bibimus*, distinguenda sunt à sequentibus, *postquam resurrexit à mortuis*, & jungenda sunt cum antecedentibus, *non toti populo*. *sed testibus quos antea designaverat*: illa verò *postquam resurrexit à mortuis*, connectenda sunt cum fine versus antecedentis, sic, *καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν*.

In ACTVVM APOST. *Cap.* XII. ϐ. 15.

ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστι.] Vnus est in tota Scriptura sacra hic locus, qui videri possit favere illi sententiæ, qua singulis hominibus singuli Angeli custodes attribuuntur. Sed illi qui ex hoc loco id effici volunt, primò sumunt pro confesso quod non est positum extra omnem controversiam, eo loco *Petri Angelum* non significare *nuntium eorum quæ Petro acciderant*. Certè qui sunt in vinculis & carcere solent nuntiorum operâ uti, qui significent quo in statu res suæ sunt: Itaque nihil est absurdi si statuamus *nuntium* eo loco *ἄγγελον* dici Græcè. Quod verò dicitur eo loco Rhode agnovisse vocem Petri, id Rhode si significavit non impetravit fidem, fieri autem potest ut non significarit, sed tantùm affirmarit Petrum stetisse præ foribus; at verò cùm perseveraret, eò tandem ventum est, ut [quod solet accidere] Petri injectâ mentione à Petri nuntio, quibuscum Rhode res erat putarint Rhoden secius rem accepisse. Deinde, etiamsi demus eo loco Angelum intelligi propriè custodem Petri, non tamen peculiaris Angelus denotabitur, ut quum dicimus *Medicum Regis*, *vel famulum Regis*, non certum quendam medicum, aut famulum intelligimus. Sic per vices solent excubare milites, & qui excubat, quandiu excubat, *excubitor* dicitur, attamen non

intelligitur certus quidam & peculiaris affixus semper huic curæ, nulli cedens, nec ulli succedens. Certè quum agitur de Lazari anima in cœlum subvehenda, non fit mentio unius Angeli, sed Angelorum; absurdè, si Lazarus peculiarem habuit Angelum. Sanè majorem affert consolationem à pluribus quàm ab uno Angelo custodiri. Huc & illud accedit, quod si demus hunc fuisse singularem aliquem Angelum Petri custodem, necesse est etiam demus Angelos custodes figuram, vocem, gestum, & reliqua eorum quorum custodes sunt assumere, quæ quorsum pertineant non facilè est dispicere: etenim ista non simulantur nisi illudendi & decipiendi gratiâ; Itaque Diabolus sic solet illudere miseris hominibus, ut quum Samuelis assumpsit figuram; bonos Angelos non est credibile sic illudere.

In ACTVVM APOST. Cap. XIII. ✝. 33.

υἱός μου εἶ σύ, &c. [Hæc non sunt ita accipienda, quasi demum post resurrectionem suam Christus cœperit esse filius Dei, & ab eo gigni, sed quia tum Deus potentissimè per resurrectionem declaravit Christum esse filium suum. Hic enim est Scripturæ mos, ut res tum dicantur fieri vel nasci, quum manifestantur, & sese produnt, ut quum Salomon Prov. 17 17. ait *Amicum nasci in die malo* אח בצרה יולד, hoc est, tum sese prodit quum premit nos angustia Nam licet Pater, etiam ante resurrectionem, testimonium illi perhibuerit, tamen quoniam ad resurrectionem usque Christus infirmitate veluti circumvallatus fuerat, & morti obnoxius, vocatio ejus ad munus Mediatorium obscurior ad illam usq; diem fuit: verùm ubi deposita mortalitate gloriosè resurrexit, & in cœlum ascendit, tum propriè palam omnibus veluti declaravit, Christ. & Filium suum esse, & ad munus Sacerdotale vocatum esse. Verùm ad illam usq; diem Deus [prout videbat decere Sapientiam suam] apertam hujus mysterij notitiam differebat. Vnde est quod Paulus hoc loco dicit, Deum post resurrectionem demum Christo dixisse, *Tu es filius meus, ego hodie genui te.*

✝. 46. ἐπειδὴ ἀπωθεῖσθε αὐτὸν, καὶ οὐκ ἀξίους κρίνετε, &c.] Hinc Novatores liquere putant, Cur hic plus, illi minus, vel etiam nihil detur, aut etiam quod habet auferatur, causam non esse quærendam in decreto præcisæ vocationis, sed in discrimine hominum, quorum alij quod offertur cum gaudio excipiunt, alij protervè respuunt. Verùm hic locus nil causam, quam agunt, juvat. His enim Pauli verbis denegationis *absolute* consideratæ ratio redditur, non redditur ratio denegationis *comparate* cõsideratæ. Nam tam Paulus ipse initio, quàm isti restiterunt Evangelio, & verò restitisset pertinaciter, nisi Deus, qui [ut ipse loquitur Gal 1. 15.] ipsum ab utero matris separaverat, certo quodam tempore ei revelasset filium, quam revelationem eodem loco *Vocationem* dicit.

✝. 48. ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν, &c.] Novatores hunc locum sic eludunt, ut dicant participium τεταγμένοι hîc nominascere, idemque

significare fermè quod ἄξιοι *digni*, *aptè dispositi*, ut hinc scilicet exsculpant prævias dispositiones, quarum intuitu & respectu fides donetur. Sed primò inspiciamur omnia Scripturę loca in quibus hęc vox occurrit, nusquam sumitur ac si nomen esset. Secundò, Quid hoc sibi vellet, τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, qua ratione verba illa verti possent. Tertiò, In Lingua Gręca ejusmodi participia non nominascunt si verbo substātivo jungātur. Quartò, quæ nominascunt verbo substantivo non juncta, qualitatem quidem notant, sed ab agente aliquo profectam: Itaq; & sic dignitas & dispositio, quę hoc participio significaretur, à Deo tanquam ab agente externo esset. Quinto, Si ea esset vera hujus vocis significatio quam illi volunt, cur potius Ethnicos Lucas appellet τεταγμένους, quàm mulieres illas quarum meminit cap. 17. 12. quasq; vocat σεβομένας καὶ εὐσχήμονας? Ex profectò potius videntur ita fuisse appellandæ & indigitandæ, τεταγμέναι εἰς ζωὴν αἰώνιον, quàm Ethnici à veri Dei cognitione prorsus alieni.

℣. 28. ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν.] Hinc Pontificij sic disputant, Si sola Spiritus authoritas valet, quorsum attinuit adjecisse illud, *Et nobis*? Profectò, inquiunt, causa dici non potest pręter hanc unam, quod de Spiritus testimonio fidelibus non potest constare, nisi accedat etiam Ecclesiæ testimonium. At, inquam, quorsum attinet ut pater cum filijs, & Rex cum subditis sic agat, ut divinę primùm, tum suę meminerit authoritatis: Deus, inquiet pius pater, hoc præcipit, & ego idipsum tibi præcipio. Et Regi pariter licet sic agere. An ex hoc effici contendent, nullam esse apud nos Verbi divini authoritatem, pręter eam quæ à Regis & patris authoritate pendet? Nam certè eadem fermè locutio: Nimirum ita se res habet, Duo sunt monentium genera, unum eorum est qui monent nulla cum authoritate, in quo genere sunt omnes privati homines, seu cum ijs agant qui & ipsi privati sunt, seu cum ijs qui pręsunt cum authoritate: Alterum genus eorum est qui monent cum authoritate. Illorum est illud *& nobis* reticere, solius Dei meminisse, horum verò meminisse etiam authoritatis suæ, sed quam præcedat veritas, non sequatur: nam sine authoritate veritas valere & potest & debet, sine veritate authoritas, in causa religionis & conscientiæ nulla valet, neque verò, nisi sit amens vel impius, quisquam id potest negare. Sanè qui sunt in aliqua constituti authoritate, eos necesse est authoritatis suæ aliquam facere mentionem, sed oportunè, & loco idoneo, ut testentur quænam sit ipsorum authoritas, non autem ut pro Dijs habeantur. Atque hîc res ipsa poscebat ut Apostoli testarentur authoritatem suam; constat enim ex eodem loco, fuisse qui fingerent se missos ab Apostolis, quique Apostolis doctrinam alienam affingebant. Itaque caverunt diligenter ne hæc opinio hominum animis insideret, ne haberentur pro auctoribus doctrinæ à qua abhorrebant. Itaque non dicendum erat simpliciter, *Visum est Spiritui Sancto*, sed etiam *& nobis*. Deinde, loco idoneo hoc est factum, nam

prę cedit hîc dictamen Spiritus, *visum est Spiritui*, sequitur mentio Apostolorum, *visum est nobis*, quo testantur, ea demum esse probanda si profecta sint à Spiritu, neque cæcâ obedientiâ ipsis esse parendum. Sed ut res totâ fiat planior, considerandum hoc est, Duo esse quæ hominum animos, in controversijs de religione, conturbare solent, *Rem ipsam*, quæ vocatur in disquisitionem, & *rei authoritatem*. Et quidem *res ipsa*, quum intuemur rem qualis est in se, nempe quum speciem habet veritatis, cùm sit tamen aliena à veritate, vel speciem habet falsitatis, cùm sit aliena à falsitate. Deinde & *rei authoritas* perturbat, si sententia habet illustres authores, & magni nominis, & consensum magnorum virorum, quique in dignitate quadam constituti sunt in Ecclesia. Iam his malis non eodem modo occurritur. Nam quum agitur de rei ipsius veritate, ea probanda est rationibus, quum de authoritate & consensu, hîc sola opus est declaratione, seu professione veritatis, ab ipsis profecta quibus contraria sententia est afficta. Atque hîc ea fuit causæ ratio. Id quod constat ex ijs primùm, quæ dicta sunt in Concilio, nam propositis rationibus res acta est in Concilio, deinde in Epistola [quam licet nobis *Synodicam* appellare] disertis verbis dicitur, *Quia audivimus, quod quidam egressi perturbarunt vos sermonibus, quibus hoc non præscripseramus.* Tum argumentum Epistolę est ejusmodi, fieri ut non possit ulla ratione, ut rerum, quas Epistola commendat, notitia pependerit à sola Concilij authoritate. Etenim fit mentio fornicationis, & vetatur nequis alteri faciat quod sibi nolit factum, quæ cùm ipsa lux naturę patefaciat, non potest statui illa credi, atque in Ecclesia probari, simpliciter ob Ecclesiæ authoritatem.

In ACTVVM APOST. Cap. XVII. ℣. 11.

οὗτοι δὲ ἦσαν εὐγενέστεροι τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ.] Hic, [inquiunt Novatores] apertè discriminantur Berœenses, sermonem Pauli alacriter suscipientes, à Thessalonicensibus, eodem repudiato, plebem adversus Paulum concitantibus. Vnde concludunt, aliquam ergo in hominibus esse rationem discriminis quoad Dei vocationem, cur hi potius quàm illi à Deo vocentur. Verùm quod *εὐγενέστεροι generosiores* dicuntur, qui verbum Dei lubentissimè admiserunt, nihil hominum illorum causam juvat. Certè multo generosioris est animi amplecti Christum quàm aspernari. Apostolus eo probat Berœenses fuisse Thessalonicensibus generosiores, quia verbo Dei prębuerunt obsequium, hoc est, causam demonstrat ex effecto, nam obsequium verbo Dei pręstitum effectum fuit illius generositatis. Sed hîc semper recurrit quæstio, Vnde profectum fuerit ut generosiores fuerint, quando naturæ conditione Thessalonicensibus erant Berœenses pares. Certè nos Deo discriminis hujus causam tribuimus, cui omnis excellentiæ laus, quum comparatio instituitur inter hos & illos, tribuenda est.

Probè memini dominum Cameronem Lutetię cum Novatore quodam disputantem retulisse vocem *εὐγενέστεροι* ad conditionem civilem,

non ad moralem animi ſtatum, & negaſſe hoc ad animum referri, idque probaſſe ex Luc. 19. 12. *ἄνθρωπός τις εὐγενὴς* profectus eſt in regionem longinquam accepturus regnum, & 1. Cor. 6. 26. *οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς*; tum etiam ex ſequentibus ubi Lucas mentionem facit fœminarum quarundam *τῶν εὐσχημόνων* ✠. 12. quod ad conditionem civilem pertinet. MESTREZAT.

In ACT. APOST. Cap. XXII. ✠. 2.

ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτός.] De ſignificatione vocis *δόξης*, vide quæ dicta ſunt ad Matth. 6. 26. ubi de Salomonis gloria Chriſtus loquitur.

IN ACT. APOST. Cap. XXIII. ✠. 8.

μηδὲ ἄγγελον.] Magnus vir Scaliger miratur Sadducæos id negaſſe, præſertim cùm quinque librorum Moſis authoritatem agnoverint, in quibus ſit crebra Angelorum mentio. Sed Sadducæi non quidem negaverint eſſe Angelos, tantùm negaverint Angelos Spiritus eſſe immortales, & per ſe ſubſiſtentes, quod ſi quando urgeantur, prolatis ijs locis quibus agitur de Angelorum apparitionibus, reſpondebunt fortaſſe, fuiſſe ea ſpectra, quibus Angelorum nomen tributum eſt, quòd eorum ſpectrorum interventu Deo libitum fuit ſignificare hominibus voluntatem ſuam. Hæc, inquam, reſponderint, ſed fruſtrà.

In ACT. APOST. Cap. XXVI. ✠. 5.

κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν.] Alluſio eſt ad nomen ipſum *Phariſæi*, quod non quamlibet ſegregationem ſignificat, ſed accurratam quandam & exactam, qualis eorum eſt quos Hebræi מדקדקים vocant, qui anxiè & ſcrupuloſè ſibi cavent ab ijs quæ ſunt *κοινά*. Itaque prophanum vulgus ſic notant, אינו מדקדק hoc eſt, *οὐκ ἀκριβοῖ*. Hanc autem eſſe vim hujus nominis hinc patet, quod verbum פרש etſi diviſionem & ſeparationem notat, haud notat tamen quamlibet diviſionem, ſed eam quæ fit ſubtili quadam ratione. Id quod hinc colligere cuivis liceat, quod Heb. פרש Chaldaicè פרש *ſtimulum* ſignificat, & quod pungit, ut Eſa. 28. 29. ubi de raſtro agitur ופרשיו לא ידקנו *& dentes raſtri ejus non comminuent illud*, dentes raſtri dicuntur פרשים unde & פרשים *equites* à ſtimulis ſeu calcaribus dicuntur, quomodo Græcè *ἱππικόν*. Et Proverb. 23. כצפעוני מפריש *ſicut aſpis quæ pungit*, hoc eſt, dividit, ſed ſubtiliter & punctim. Atque hoc verbum פרש id ſignificare, præter ea quæ jam attulimus, ſatis oſtendit, quod Hebraicum נקב verbo פרש Chaldaicè redditur Levit. 24. [quo loco de blaſphemo agitur] dicitur de blaſphematore illo ויקוב השם Chaldæus vertit הוא פרש השם hoc eſt, *argutè, diſtinctè nomen protulit*, puta cum indignatione. Non erat itaque idonea cauſa cur Munſterus illud פרש interpretaretur *maledixit*, non fuit ea Paraphraſtæ mens, voluit duntaxat נקב illud [quod ſignificat *perforare*] exprimere. Sunt igitur Phariſæi [ut diximus] מדקדקים, nam מדקדק eſt qui omnia comminuit, adeò ſubtilis eſt, unde etiam *Grammaticum* ſignificat illud vocabulum.

IOHANNIS.



IOHANNIS CAMERONIS IN NOVI TESTAMENTI

LOCA QUAMPLURIMA DOCTARUM EXPLICATIONUM, vel breviarum NOTARUM

Pars Secunda,

IN EPISTOLAS APOSTOLICAS,

Ac primùm,

In Beati Pauli Epiſtolam ad ROMANOS

AD CAPVT I. ℣. 1.



ΛΗΤΟΣ *ἀπόστολος, ἀφωρισμένος*,&c.] Vir maximus, & acerrimi judicij, Mercerus, arbitratus eſt Paulum hîc alluſiſſe ad nomen Sectę, cujus fuerat, antequàm nomen ſuum Chriſto dediſſet, dum dicit ſe *ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον*, ut qui olim fuit Phariſæus, hoc eſt, *ſegregatus*, is ſe *Phariſæum* quidem profiteatur, ſed Phariſæum, hoc eſt, *ſeparatum*, ad Evangelium Chriſti. Quin etiam eò progreditur, ut Paulum velit & hoc loco alluſiſſe ad nomen ſuum, illud quo primitùs inſignitus

fuerat, *Saülis* nempe, dum Apostolus se hîc κλητὸν vocat, quasi κλητὸς esset שאול hoc est, *postulatus, vocatus*. Sed ista observatio ut est peracuta, resipitque ingenium eruditum, tamen non videtur convenire menti Apostoli. Id verò sic facilè possit quis colligere, si cogitarit & reputarit animo, nomina hujus formæ פרוש, seu פרישא, duplicem habere significationem, vel enim *Participialiter* usurpantur, & actionem significant susceptam, & ab alio profectam, vel *adjectivè* sumuntur, & aliquid significant inhærens & permanens, ut v. g. Latinè, hoc nomen *Electus* aliquando significat id quod elegitur, aliquando significat simpliciter id quod eximium est & egregium, ut quum dicimus *aurum electum*. Sic Linguâ Hebraicâ קרוא & בחור, quorum alterum *vocatum*, alterum *electum* significat, aliquando Participia sunt, quæ notant susceptam actionem ab alio profectam, aliquando rei ipsius dignitatem notant & adjectiva sunt. Et certe פרישא, non est usurpatum à Pharisæis ut participium significans actionem ab alio profectam, sed ut adjectivum, quomodo Christus Heb. 7. 26. dicitur κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν. At Paulus quum ait se ἀφωρισμένον, haud dubiè hac voce usus est, non modò formâ, sed etiam participij significatione: Etenim Gal. 1. 15. ὁ Θεὸς, inquit, ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας. Quum ergo se ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον profitetur, noluit hoc intelligi adjectivè, sed participialiter, quomodo audiuimus in Novo Testamento *Electos* dici peccatores, non est hoc intelligendum adjectivè, sed participialiter, maximè cùm in libris Novi Testamenti fiat mentio Christi & Dei eligentis, quemadmodum etiam quum *Vocatos* audimus dici quosdam in N. Testam. non est id accipiendum adjectivè, (tametsi Linguâ Hebraicâ קרואים dicantur *Nobiles, & insignes viri*) cùm tam crebra fiat mentio in Novo Testamento Dei vocantis. Apostolus autem se κλητὸν Ἀπόστολον vocat, non ut se reliquis Apostolis præponat, sed ut vindicet Apostolatum suum à calumnia. Itaque quemadmodum collegimus ex Gal. 1. 15. quo sensu Rom. 1. 1. dixerit se ἀφωρισμένον, pari ratione ex eodem illo capite colligere licet quo sensu se dixerit ibidem κλητὸν *Paulus*, inquit, *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem*. Etenim Apostolatus hæc est ratio, ut vocatio ad id munus planè extraordinaria esse debeat. Sic igitur Apostolus κλητὸν se vocat, ut fideles κλητοὺς ἁγίους, nempe κλητὸς ἀπόστολος est Apostolus ad hoc muneris vocatus divinitùs, & κλητὸς ἅγιος est itidem *vocatus ad hoc ut sit sanctus*. Nam adjectivè κλητὸς *nobilem* significat, quæ significatio non convenit Apostoli scopo, & frigida hîc & otiosa foret.

℣. 4. κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης.] Quomodo ℣. 3. κατὰ σάρκα denotat humanam Christi naturam, sic etiam hîc κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης designat divinam ejus naturam, non verò munus aliquod ei impositum, cúmq;

secundùm hanc naturam sit, & dicatur *Filius Dei,* sanè appellatio *Filij Dei* denotat aliquid Christo essentiale, personam nempe ejus divinam. Sed excipiunt ad hunc locum Hæretici, verbis κτ̀ πνεῦμα ἁγιωσύνης non significari naturam divinam, sed modum seu rationem generationis Christi secundùm humanam ipsius naturam, secundùm quam conceptus fuit de Spiritu Sancto. At huic effugio opponimus, primò locum Dan. 9. 24. ubi *Sanctus sanctorum* dicitur *ungendus.* Nam illic *Sanctus sanctorum* est subjectum, *ungendus* verò attributum. Itaque quod est in Christo essentiale, nempe ejus Persona, significatur his verbis *Sanctus sanctorum*, munus verò ejus Mediatorium voce *unctionis.* Cùm itaque loco illo Danielis divina Christi natura significetur hoc titulo *Sanctus sanctorum,* cur mirum aut novum videatur Hæretico, si & hoc loco eadem divina Christi natura significatur vocibus illis πνεῦμα ἁγιωσύνης. Opponimus secundò verba Angeli ad Beatam Virginem, Luc. 1. 35. *Virtus Altissimi obumbrabit te, unde etiam quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vbi observandum quod *Sanctum* ab Angelo vocatur id quod in Christo est essentiale, nam (inquit Angelus) *quod ex te nascetur Sanctum,* & illud ipsum essentiale vocatur ab eodem *Filius Dei.* Itaque hinc duo efficiuntur, primum quod *Filius Dei* designat aliquid in Christo essentiale; secundum quod illud essentiale dicitur *Sanctum.* Itaque novum nec absurdum est, ut natura Christi divina dicatur hìc ab Apostolo πνεῦμα ἁγιωσύνης. Observandum est rursus hoc, quod Angelus dicit τὸ γεννώμενον, non verò ὁ γεννώμενος, quo significatur, non hominem illum, qui nasciturus erat, dici *Sanctum* concretè, sed naturam divinam in eo appellari *Sanctum* discretè.

℣. 18. τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων.] Apostolus eo loco non de quavis veritate, sed de veritate agit quam *practicam* licet appellare, quæ veritas practica nihil aliud est quàm norma justitiæ, sensus ergo est, *qui eam justitiam quam Deus exigit, irritam peccato reddunt & inanem.* Vbi notanda est antithesis *Veritatis* & *injustitiæ, Veritas* nempe prò justitia illic ponitur, ut & 1. Cor. 13. 6. quomodo contrà *mendacium* pro injustitia, Rom. 3. 7.

In EPIST. ad ROM. Cap. II.

℣. 14. τὰ τ̃ νόμου ποιῇ.] hoc est, *fecerunt quod Lex potest facere ut quis faciat.* Porrò duo sunt quæ Lex potest facere, unum est, cohibere hominem externum, excitare in homine qualecumque studium virtutis; alterum est, eum accusare, aut excusare & defendere, id quod Apostolus mox, versu sequenti, vocat ἔργον νόμου, hoc est, *efficacia Legis*, quod Lex in nobis ἐργάζεται. τὰ τ̃ νόμου hìc aliud nihil est quàm coacta à malo, per Spiritum servitutis, abstinentia, cohibitio à crassioribus sceleribus, profecta à spiritu servitutis in ijs operante: In illis, inquam, qui sunt ἄνευ νόμου *sine Lege scripta Mosis,* per naturæ Legem;

in illis verò qui sunt ὑπὸ νόμου (hoc est, qui sunt in Lege scripta instituti) per illam ipsam Legem scriptam. Legis enim naturæ, & τοῦ ἐγγράφου νόμου, absque adoptionis spiritu (qui solus est sanctificans atque innovans Spiritus) nullus est usus, quoad animæ regimen, nisi ut det cognitionem peccati.

In EPIST. ad ROM. Cap. III. ℣. 21.

νυνὶ δὲ χωρὶς νόμου δικαιοσύνη, &c.] Hæc sunt conjungenda cum ℣. 18. cap. primi, & quæ interjecta sunt parenthesi sunt includenda, opponit enim justitiam istam Dei quæ manifestatur, iræ Dei, quam isthic dixit è cœlo esse revelatam adversus omnem hominum impietatem. Porrò, *justitiæ* vocabulum in Scriptura semper notat Dei bonitatem, misericordiam, salutem & redemptionem, nunquam verò adhibetur ad id significandum quod vulgo *justitiam* dicimus, nempe affectum illum quo Deus ad scelera & peccata vindicanda propendet; *iræ* & *judicij* vocabula ad hoc significandum potius adhibentur. Atque hîc alludit Apostolus ad id quod dictum est ab Esaia, cap. 56. 1. *Iuxtà est salus mea ut veniat, & justitia mea ut reveletur,* ubi *salus* & *justitia* tanquam synonyma ponuntur. Sic quum Heb. 9. 12 dicitur *Christum ingressum in Sanctuarium invenisse, seu nactum esse, æternam redemptionem,* fit allusio ad id quod dictum est à Daniele cap. 9. 24. *Septuaginta hebdomadas decretas esse ut deleatur iniquitas & adducatur justitia sempiterna*, ubi *justitia* idem est Danieli quod *redemptio* Apostolo.

In EPIST. ad ROM. Cap. IV. ℣. 4

τῷ δὲ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς, &c.] Si Deus, dicet Pontificius, homini aliquid debet, necesse est intervenerit ratio mutui pacti inter hominem ἐργαζόμενον & Deum ex debito reddentem mercedem. Atqui Apostolus hoc videtur hîc affirmare, alioqui nullum esset discrimen inter Deum remunerantem ex Lege, & miserentem in Evangelio, ὀφείλημα, nempe pertinet ad Legem, χάρις verò ad Evangelium. Ergo Deus homini, propriè loquendo, aliquid reddere videtur, si quidem ex debito reddit. Ita statuitur operum meritum. Sed primò Ἐργαζόμενος eo loco non significat *hominem perfectè justum*, sed eum qui est *mercenarius.* Sic nempe argumentatur Apostolus, Quum mercenario merces solvitur, hoc fit ex debito. At vita æterna non datur κατ' ὀφείλημα *ex debito*, sed κατὰ χάριν. Ergo non datur ex mercede operantibus, seu mercenarijs: Subjicit enim versu sequente, τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ, &c. quibus continetur assumptio illius argumenti, Mercenario licet jure & legibus agere adversus Patremfamilias, filio non licet: Itaque quod filio datur est κατὰ χάριν, non κατ' ὀφείλημα. Et quod datur κατ' ὀφείλημα, datur tanquam mercenario: Vita autem æterna datur tanquam filijs, est enim hęreditas. Ergo non datur operanti ex mercede. Atque hîc observandum est, omnes sectatores justitiæ Legalis esse mercenarios,

postulant enim omnes vitam sibi dari, putantque eam sibi deberi tanquam mercedem pro opere: si itaque Deus eis retribueret mercedem, id faceret quasi ex debito. Dixi *quasi ex debito*, quia revera Deus nihil illis deberet, cùm nihil præstiterint quod non debuerint, nullaque sit inter Deum & ipsos proportio; sed quia per opera sua vitam & justitiam quærunt, si Deus eis retribueret mercedem, censeretur id facere quasi ex debito. ℞. secundò, Dato non concesso, ἐργαζόμενον hîc significare hominem perfectè justum, Apostolus non affirmat inveniri aliquos ejusmodi ἐργαζομένους, tantùm dicit, Si invenirentur aliqui, mercedem redditum iri illis *ex debito non ex gratia*. Nihil itaque hic locus facit ad justificationem nostram ex operibus asserendam. Quod autem dicit Apostolus ejusmodi ἐργαζομένοις reddi mercedem κατ᾽ ὀφείλημα, non verò κατὰ χάριν, hoc sic est intelligendum, Deus nempe dici potest imputare aliquid κατ᾽ ὀφείλημα duobus modis, vel ἁπλῶς, vel κατά τι, *absolutè* vel *comparatè*. Dicitur Deus aliquid *simpliciter* & *absolutè* retribuere κατ᾽ ὀφείλημα, quum id facit verè & propriè, Deus autem nihil sic retribuit homini. Dicitur autem κατά τι *comparatè* id facere, quum est in creatura causa sine qua non: Verbi gratiâ, Deus non dat homini peccatori vitam æternam κατ᾽ ὀφείλημα, quare? quia homo promeritus est peccato suo contrarium vitæ æternæ, nempe mortem æternam: Sed si quisquam esset qui peccator non esset, diceretur illi dari vita æterna κατ᾽ ὀφείλημα, non *simpliciter* & *absolutè*, quasi Deus jure ad hoc cogatur, quin si illam ei negaret, faceret tùm secundùm quod ei licet, non secundùm id quod ei libet, sed diceretur tamen κατά τι retribui illa vita æterna κατ᾽ ὀφείλημα, quia contrarium illius vitæ non esset promeritus, & comparatè ad eum qui peccator est. Nam si instituatur comparatio inter hominem perfectè justum, quem Deus servat ex pacto Legis, & eum cui remittit peccata, videbitur vita æterna ὀφείλημα illius respectu, præ eo cui Deus remittit peccata. ℞. Tertiò. Non perinde omnia Deo libêre. Alia enim sunt quæ ita Deo libet facere, ut possit tamen ea aliter facere secundùm jus & dominium absolutum, alia verò sunt quæ ita Deo libet facere, ut ea non possint ei non libêre: Libet Deo vitam æternam homini perfectè justo dare, nec potest illud ei non libêre, non quod ei non liceat ex jure absoluto aliter facere, sed quia ita per naturam bonus est ut hoc non possit ei libêre. Iam quum Deus dat homini id quod non potest ei non libêre (ut quum dat vitam ei qui est perfectè justus, si quis esset ejusmodi) tum dicitur illud dare κατ᾽ ὀφείλημα, quum verò dat id quod potest ei non libêre, dicitur illud dare κατὰ χάριν, ut quum peccatori remittit peccata, hoc enim ita ei libet ut possit non libêre.

In EPIST ad ROM. Cap. V. ℣. 4.

ἡ δὲ ὑπομονὴ δοκιμὴν, &c.] Tentationi divinæ in uno tantùm conve-

nit cum tentatione humana propriè dicta, nempe eo quod tentatione divina innotescit non quidem Deo, sed hominibus, quod antea latuit. Itaque 2. Paralip. 32. dicitur Deus tentasse Ezechiam ut notum esset quid in animo haberet, in Hebræo לדעת, verbum verbo *ad sciendum*, quod Interpretes referunt ad hominum notitiam, in quibus sunt & illi ipsi qui tentantur. Quò hîc respexit Apostolus, ubi nomine δοκιμῆς *experimenti* designavit notitiam sui, quam nanciscuntur fideles, dum conscij sunt experientia roboris illius Spiritus quo sustentantur in cruce, nam tribulationes eædem *tentationes* dicuntur in Scriptura, ut hic sit hujus loci sensus, *eo quod fideles patientiâ suâ, in cruce & tribulationibus, experiundo norunt vim & potentiam Spiritûs illius quo, ad ferendas afflictiones, à Deo sunt instructi, concipere eos inde spem certissimam, fore ut nunquam sub onere illo concidant oppressi, sed emergant tandem gloriosi, & quasi triumphabundi.*

℣. 13. ἁμαρτία οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου.] Comparatè scilicet, ut illud Christi, *Si non venissem peccatum non haberent:* Nam qualis Lex, qualis revelatio, tale peccatum. Cùm apertè proponeretur Lex, clarum fuit peccatum, cùm tacitè, peccatum minus compunxit conscientiam. Ante Legem propositam nemo peccavit ad similitudinem Adæ, qui de fructu comedit ipsi externa voce prohibito.

℣. 15. ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα, &c.] Nonnihil difficultatis afferre videntur prima hujus versiculi verba, instituere enim velle videtur Apostolus, (℣. 14.) inter Adamum priorem & posteriorem, collationem consentaneam, quum ait ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος, auspicatur tamen ℣. 15. à dissentanea. Itaq; verba ista ἀλλ' οὐχ ὡς τὸ παράπτωμα οὕτω καὶ τὸ χάρισμα, parenthesi includi necesse est. Quod verò his verbis breviter innuit, latius mox explicat ℣. 16. & 17. versu autem 18. rursus ad collationem consentaneam redit.

In EPIST. ad ROM. Cap. VI. ℣. 4.

διὰ τῆς δόξης τοῦ Πατρός] Doctissimus Interpres hunc locum sic interpretatur, ut sit enallage διὰ δόξης, cùm dicendum fuisset εἰς δόξαν *propter gloriam*. At nihil hîc opus enallage, nam sensus clarus est, *excitatus est per gloriam*, hoc est, *per potentiam gloriosam*, quomodo per gloriam Dei excitatus est Lazarus, id est, per magnam Dei potentiam. Vide quæ diximus ad Ioh. 11. 40. Atque hîc observandum, Esai. 45. 24. עז quod *robur potentiam* significat, δόξαν tamen reddi à LXX. Interpr. Tum & 1. Cor. 6. 14. Deus dicitur Dominum Iesum suscitasse διὰ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Et 2. Cor. 13. 4. Christus dicitur vivere ἐκ δυνάμεως θεοῦ.

℣. 10. ὃ γὰρ ἀπέθανε, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανε.] Ecclesia Christo propriè unitur, quatenus crucifixus est & excitatus à mortuis, nempe ut in Christi morte Ecclesia sit veluti satisfaciens Deo, & expians peccata

non in se, sed in capite Christo, in resurrectione autem Ecclesia sit veluti defuncta satisfactione, eoque triumphans, non itidem in se, sed in Christo capite. Deinde, in Christo moriente Ecclesia fuit moriens peccato, quod Apostolus hîc significavit, quum dicit *Christum mortuum esse peccato*, quia nempe Ecclesiæ suæ nomine mortuus est peccato, neque enim ipse mortuus est suo nomine peccato: eâdemque mente itidem in beata resurrectione dicitur *vivere Deo*, Ecclesiæ suæ nomine; non enim est aliud Christi resurrectio, quàm symbolum resurrectionis omnium fidelium à morte peccati.

In EPIST. ad ROM. Cap. VIII. ℣. 2.

διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος.] Alludit ad phrasim Prophetarum, qui vocem *habitandi* passim usurpant cùm agitur de præsentia Spiritus Dei in cordibus suorum. Vnde factum ut Rabbini Spiritum Domini vocaverint שכינה *habitationem*. Nihilque ferè crebrius apud Apostolum in Epistolis occurrit, quàm mentio hujus habitationis, quam expressit his vocibus, *οἰκεῖν, ἐνοικεῖν, κατοικητήριον*: ut hoc loco & 2. Cor. 6. 19. *ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς.* Sic. 2. Tim. 1. 14. Eph. 3. 17. Iacob. 4. 5. *ad invidiam fertur Spiritus ὃ κατῴκησεν ἐν ὑμῖν, qui in vobis habitat.* Imò verò ad ipsum vocis שכן & שכינה sonum aliquando alludit, 2. Cor. 12. *ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ, ut habitet in me potentia Christi.* Sanè שכן *habitare in tentorio*, quod Græcè *σκηνοῦν* dicitur.

℣. 15. *οὐ γὰρ ἐλάβετε.*] Non hîc Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Doctores compellat Apostolus, non hujus sęculi proceres, sed Dei Ecclesiam tum temporis Romæ agentem, atque in ea universam Ecclesiam per universum terrarum orbem sparsam, singuláque ejus vera membra, cujuscumque tandem sint gradus, vel ordinis, sive ij Iudæi sint, sive Græci, sive barbari, docti, indocti, servi, vel liberi: eorum omnium peculiare est hoc eximium beneficium, ut nempe à Spiritu servitutis eximantur.

Ibid. *πνεῦμα δουλείας.*] Servitutis spiritualis tres sunt potissimum species, nimirum servitutis *Peccati* in irrigenitis, *Gratiæ* in regenitis, & *Legis* denique in utrisque, Harum alicui necesse est omnem hominem subjici. Vnicuique earum suus est Spiritus, sua Lex, sua Opera, sui Fructus. Et servitutis quidem Peccati *Spiritus* est spiritus immundus, hujus mundi spiritus. *Lex* est illa quam Paulus *legem membrorum, legem peccati* (supra cap. 7.) dixit. *Opera* sunt scelera & vitia omnis generis *Fructus* sunt peccatum & mors. Servitutis autem Gratiæ *Spiritus*, est Christi vivificus & sanctificans Spiritus, *Lex* est ipsa Dei vivi Lex, Dei digito non in tabulis lapideis, sed in cordibus tabulis carneis insculpta. *Opera* sunt fides, charitas & reliquæ omnes Christianæ virtutes. *Fructus* sunt gaudium ineffabile lætitia spiritualis. De harum servitutum neutra loquitur hîc Apostolus, sed de tertia, *Legis* nimirum servitute.

Porrò, lex duplicem habet veluti χρῆσιν. Prior quatenus illa auribus nostris insonat ante fidem, certamque de Dei erga nos in Christo amore persuasionem, posterior, quatenus illa nobis prædicatur post conceptam veram fidem. Priore respectu, vel nullus est in nobis Legis effectus, vel siquis est ejus usus, hoc unum præstat, dat nimirum cognitionem peccati, & cohibet coactè hominem externum, cùm interea nullatenus in melius immutetur homo interior, sed contra eo reddatur impurior, nempe juxta illud,

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata

Gignitur ejusmodi coacta coercitio, in animo hominis omni sensu gratiæ divinæ vacui, à Spiritu sancto intellectum ejus collustrante cognitione quadam Legis Divinæ, & judiciorum Dei quæ manent certissimè improbos, quo fit ut impetus improbitatis ejus aliquantulum cohibeatur. Porrò quod à Spiritu reprimuntur improbi illi homines, non potest non esse bonum, at quod serviliter & coactè reprimuntur, hoc fit eorum vitio. Hæc est dura, & misera servitus. At verò lex secundò (uti diximus) consideratur, quatenus prædicatur animæ à Spiritu adoptionis ductæ, cujus mens innovata est, voluntas instaurata, affectus denique carnales veluti circumcisi, & prava desideria mortificata. Et quoniam Spiritus ille nemini in hac vita plenâ conceditur mensurâ, hinc est quod & in regenitis locum habet, & effecta sua producit Spiritus servitutis. Et hoc diversimodè; pro modo nempe seu mensurâ qua conceditur Spiritus υἱοθεσίας, nam si exiguus est Spiritus illius modulus, multum potest & viget in nobis Spiritus servitutis: si magna est Spiritus adoptionis mensura, infirmus est & debilis servitutis Spiritus; quod si plenâ concederetur Spiritus adoptionis mensurâ, nullus tum esset Spiritui servitutis locus. Modo autem planè diverso in regenitis operatur Spiritus ille servitutis, quàm in irregenitis: hi enim terrentur duntaxat, & solus vindictæ divinæ pavor eos à sceleribus coercet: at illi metu quidem etiam cohibentur, sed metus ille non pœnam tantùm, sed vel maximè offensam Dei respicit, hoc est, pius quum à malo abstinet, reverentia & authoritate Legislatoris Dei potissimum tangitur atque ducitur. Atque in eo prodit se coactio quædam (vellet enim ut sine Dei offensa liceret peccare) at non est illa coactio merè servilis, ut in impijs, sed quasi servilis, cujus illi soli sunt capaces qui in Christo Iesu sunt Dei Filij, verùm prima adhuc & puerili, aut verò etiam infantili veluti ætate, quibus propterea opus est Pędagogo, & severiore Patris vultu, quo in officio contineantur. At qui maturiori & grandiori sunt ætate nihil opus habent illa paterni vultus severitate, utpote qui sponte ferantur, & ultrò inclinent ad faciendum officium. At quum Spiritus adoptionis nos reprimit, id alio prorsus modo pręstat atque efficit, non enim nos terret metu supplicij, aut cohibet Legislatoris authoritate

authoritate atque reverentiâ, sed ingenerat in nobis peccati odium retectâ, atque nobis ob oculos propositâ, horrendâ peccati fœditate atque deformitate; quâ fit ut à peccato abhorreamus. Ex his animadvertere licet quatuor hominum veluti genera. Primum est eorum qui sine Deo vivunt, hoc est, quorum conscientia nullo Dei sensu afficitur. Secundum eorum est quos Dei terror coercet à patrandis sceleribus, quia interius conscientiæ eorum pavidæ terroris stimulis ita agitantur, ut in apertum scelus prorumpere non audeant. Tertium est eorum qui temperant sibi à malo, & in bonum feruntur; coactè quidem, & cum aliqua carnis repugnantia, at non merè serviliter, sed quasi serviliter, non enim Deum duntaxat extimescunt ob severiorem ejus vindictam, sed & reverentur propter ipsius authoritatem, sublimémque Majestatem. Quartum eorum est qui à malo temperant, & in bonum feruntur absque coactione, imo magna cum voluptate, quoniam Dei charitas diffusa est in eorum corda. In priore hominum genere ne obscurum quidem vestigium Dei spiritus licet animadvertere. Secundùm genus à Spiritu servitutis agitur. Tertium genus eodem Spiritu ducitur, sed diversa ratione, uti explicatum est. In quarto hominum genere viget & regnat Spiritus adoptionis.

Ibid. πάλιν εἰς φόβον.] Homo naturaliter in peccato suo jacet consopitus, ignarus, miseriæ suæ, priusquam à Deo in Legis notitia illuminetur. Ad illuminationis illius primum usque momentum homo (uti de se Paulus testatur Rom. 7. 9.) putat *vivere*, hoc est quietè, pacatè, & tranquillè vitam agere. Verùm ubi à Lege pulsatur ejus conscientia, statim *moritur*, hoc est, mirè exagitatur, atque animo percellitur, sive applicet se bono (quod nunquam appetivisset, nisi per mandatum id jussus esset: proptereaque nonnisi invitus illi se applicat) sive à malo sibi temperet, (quod illi à natura mirè adlubescit) id nonnisi ægrè & reluctanti animo præstat, sive oculos conjiciat in maledictionem quam contumacibus Lex interminatur, quamque scit se effugere non posse, nisi Deus aliqua ratione (quam ipse non videt) succurrat, id non sine horrrore & terrifico metu, animo potest concipere. Collustratio illa non est à mentis humanæ perspicacitate, sed à Spiritu sancto, qui hîc *Spiritus servitutis* dicitur, quia homo ille, in quo sic operatur Spiritus, nonnisi servus, aut quasi servus, ob carnis imbecillitatem esse potest: Servus quidem simpliciter si solâ Legis notitiâ atque luce perfunditur, quasi Servus verò, si præter illuminationem illam aliquam habet Spiritus adoptionis mensuram. Primarius autem Spiritus illius effectus est *Metus*: miserabilis certè effectus, nullo tamen Spiritus ipsius (à quo illuminamur) vitio, sed quia hoc pacto in apertum producitur corruptio miseriaque nostra. Itaque ex quo natura humana peccato infecta est, Lex nonnisi perpetuos terrores, & conscientiæ pavores in

nobis excitat. Atque hi sunt Spiritus illius servitutis proprij & genuini effectus, qui Lege Dei in nobis utitur, ut duntaxat officium imperet, & cohibeat à malo, non autem ut hominem per eam ad spontaneum obsequium flectat Servilis autem hujus metus quatuor sunt præcipua effecta. Cogit enim primò hominem hærere dubium, num ipse sit Deo gratus, nam Lex non te prius jubet esse certum de Dei amore quàm sis perfectè justus, quare cùm ex Legis accusatione conscius tibi sis de peccato & injustitiâ, non modò cogeris vehementer dubitare num sis Deo gratus, sed & pelliceris omnino ad credendum, atque apud te statuendum te esse illi exosum. Eâdem de causa cogit illa te dubitare, num opera tua sint illi grata & accepta; non enim pollicetur mercedem nisi operi perfectissimo, omnibusque muneris absoluto: contrà damnat illa atque rejicit quicquid habet aliquid in se vitij atque defectûs. Iam verò conscius tibi es, ô homo, omnia opera tua varijs, ijsque gravissimis, defectibus laborare. Tertiò, idem ille servitutis Spiritus excitat in hominis animo metum, ne in cultu Dei non perpetuò perseveres, Lex enim (quæ est Spiritûs illius quoddam quasi organum) exigit quidem à te ut constanter in obsequio perseveres ad finem usque, at non vires subministrat, neque confert tibi perseverandi gratiam. Atque ita ex horum consequenti, quarto loco, Spiritus ille animam miserè excruciat metu mortis, & terrore futuri atque inevitabilis horrendi supplicij. Quare cùm volumus esse certi num simus Deo accepti, an opera nostra sint ei grata, si de Perseverantia nostrâ persuaderi volumus, si de vita æterna consequenda πληροφορεῖσθαι, nobis non est innitendum Legi à qua nil nisi metus, pavor & desperatio: Est enim illa littera occidens, *mortisque ministerium*, 2. Cor. 3. 7. *intolerandum jugum*, Act. 15. 10. sævus & immitis *Pædagogus*, Gal. 3. 24. quo fit ut *filius vix à servo differat*, cap. 4. 1. est *mater quæ gignit filios suos ad servitutem*, Ibid. ✠. 24. quæ facit ut *à gratia excidant quotquot per eam volunt justificari*, cap. 5. 4. quæ nullam in homine gignit justitiam præter *eam quæ stercoris instar est habenda*, Phil. 3. 8. *nihil illa ἐτελείωσε*, Heb. 7. 19. *à Dei justitia excludit eos qui per eam cupiunt assequi justitiam*, Rom. 9. 3 *eosq; subjicit maledictioni* Gal. 3. 10. *In se quidem illa bona est, justa, sancta, sed talis cùm sit, vertitur nobis in exitium.* Rom. 7. 10. *quia cum in carne infirma sit* (Rom 8. 3) hoc est, à carne impleri non possit, animam nec justificare nec sanctificare potest, contrà potiùs eam terret horroremque ei incutit vehementem. Huic terrori, qui à Lege est, opponenda est ea quæ ab Evangelio proficiscitur πληροφορία, nempe *nos per Iesum Christum adeptos esse plenam libertatem ingrediendi loca sancta, per viam illam quam dedicavit nobis recentem, per velum, hoc est, per carnem suam*, &c. Heb. 10. 19. Nec inde consequitur, nunquam esse timendum, imò verò certè timendum est, sed ita timendum ut ex eo

metu majorem concipiamus fiduciam, vel potiùs ut timor ille impellat nos ad certam fiduciam. Vt qui in summa turri profundæ voragini, præruptæque undique rupi imminente constitutus est, quum ventorum vim effrenem cogitat, quum subjectæ voraginis vastam intuetur altitudinem, fieri non potest quin totus cohorrescat, at quum videt se muri propugnaculis & vallo veluti septum undiquaque, ponit metum, & periculi imminentis facies compellit eum ut firmiter muri vallo, & propugnaculo quo cingitur, adhærescat; qui si non metueret, fortè incogitantiâ vel temeritate actus præceps rueret. Non absimili modo, quum peccata nostra intuemur, quum carnis nostræ fragilitatem cogitamus, quum assultantium & ingruentium hostium vim, numerum & astum animo concipimus, oportet nos tum tremere & cohorrescere periculi magnitudinem; at quum Dei promissionem intuemur, quum cogitamus Deum fidelem esse, qui non patietur nos tentari supra vires nostras, sed unâ cum tentatione optatum daturus est exitum, certam inde concipimus fiduciam, fore ut Deus qui bonum opus suum in nobis cœpit, illud ad diem usque Christi perficiat.

℣. 38. πέπεισμαι ὅτι οὔτε θάνατος, &c.] Apostolus loquitur non de se duntaxat; sed de fidelibus omnibus, dicit nempe in plurali numero ℣. 35. ἡμᾶς *nos*, ad consolationem fidelium, ne quis diceret (ut faciunt Pontificij) eum quidem persuasum esse ex singulari revelatione. Argumenta autem quibus ostenditur persuasionem illam esse certam & indubitatam, non verò duntaxat moralem & conjecturalem, hæc sunt. Primùm, Persuasio quæ est ab Electione non est conjecturalis: At hæc persuasio oritur ab Electione, ℣. 29. *quos præscivit*, &c. & 33. *quis accusabit Electos Dei*, &c. Ergo non est conjecturalis hæc persuasio. Secundum, Persuasio quæ oritur à Spiritu Sancto non est conjecturalis: At hæc persuasio est ejusmodi, ℣. 26. *Spiritus unâ sublevat infirmitates nostras*, &c. Ergo. Tertium, Si hæc persuasio esset duntaxat conjecturalis, nullam adferret consolationem. At hæc persuasio in medium adducitur ad ingenerandam animis fidelium consolationem, uti liquet ex toto contextu à ℣. 31. Ergo.

ANALYSIS Cap. IX. EPISTOLÆ ad ROMANOS.

Postquam Apostolus summam Evangelij explicavit, traditâ doctrinâ de Iustificatione & Sanctificatione præcedentibus capitibus, subit ejus animum commiseratio fratrum suorum secundùm carnem, qui cæteroqui summis locupletati & exornati dotibus, dum justitiæ suæ fidunt, excidêre ea salute quæ per Christum parta est, ℣. 1. 2. 3. 4. 5. Hunc verò æstum animi sui componit, simul etiam obstinatis ogganniendi, & infirmis mirandi ansam præcidit, prolato in medium Dei decreto de fi-

delibus solis justificandis, patefacto oraculo in Ecclesia notissimo, quod adeò *Dei verbum* vocat; *At non potest* (inquit ✠. 6.) *excidere Dei verbum.* Quæ non est Iudæorum (uti nonnulli volunt) responsatio, sed ipsius Pauli vox, quâ dolorem animi sui quoquomodo potest lenit, & Iudæis os obstruit, & imbecilliores confirmat. Etenim *verbum Dei* ex Scripturæ usu Evangelium est, κατ' ἐξοχὴν sic appellatum, nam Legis doctrina ad Evangelium tanquam ad finem refertur. Porrò, hoc oraculum illud est, *In Isaaco vocabitur tibi semen* (✠. 7 8. 9) Quæ verba sanè typicè sunt intelligenda (maximè cùm eandem allegoriam Apostolus repetiverit Galat. 4.) Typus autem hoc pacto erit explicandus, ut Isaacus *fidelium* typus fuerit, Ismael *servorum*, hoc est, *Iustitiariorum.* Atque hic ejectus fuit domo, iste permansit; typi verò rebus typo repręsentatis quadrant. Cùm igitur Isaaci typo *fideles*, Ismaelis typo *Iustitiarij* figurati fuerint, necesse est ut censeantur in filijs fideles, qui in patris domo semper manent, ejiciantur verò qui pertinaciter justitiam Legis sectantur. Vbi animadvertenda est diligentius figurarum cum figuratis convenientia. Nam Isaacus præter, & penè contra, naturæ ordinem genitus est, parentibus senio confectis & effœtis: Nempe sic fideles *non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt;* unde & Galat. 4. Isaacus *genitus secundùm Spiritum* dicitur. At contrà Ismael Abrahamo nondum defecto viribus natus est vi naturæ; Nempe tales sunt Iustitiarij, qui viribus liberi arbitrij freti ad salutem nituntur, prætexentes fastui suo innatam voluntatis libertatem. Deinde, Isaacus utroque parente libero ipse liber natus est; Nempe fideles Deo, ut filij, serviunt liberè, non servili spe mercedis prolecti, aut metu pœnæ compulsi, quamvis gratuitam mercedem, ut hęreditatem, firma animi fiducia exspectant. Contrà Ismael etsi patre libero, attamen matre serva natus est, porrò partus ventrem sequitur, nascendi ergo conditione servus fuit: Tales scilicet sunt, qui Deo cultum exhibent servilem, Iustitiarij.

Iam verò cùm huc usque rem deduxisset Apostolus, continuò illud occurrit, Cur Deus justitiarijs istis indiscriminatim non indiderit novam mentem, præsertim cùm hoc beneficium quibusdam eorum, & verò hominibus profanis, & vel superstitiosis & idololatris, vel etiam omnis religionis contemptoribus (quales plerique vocati à Gentibus fuêre) indulserit. Quod scandalum amolitur (✠. 10. 11. 12. 13.) prolato alio oraculo, *Major serviet minori*, Esavus puta Iacobo. Atq[ue]
cedamus item hæc esse *typicè* intelligenda, consider[...]
rum cum rebus, quarum typi sunt, conveni[...]
postolus apertè docet, Esavo & Iacobo [...]
indultum, ne quis miretur huic I[...]
quam plerisque omnibus justiti[...]

Et nequis demiretur Gentilibus alienis à Dei fœdere,& omni flagitiorum genere contaminatis, plus esse indultum quàm Iudæis anhelantibus sub jugo Legis, eoque, ut videtur, præponendis in vocatione, admonet in hujus rei typum Esavum majorem natu, eoque (si ulla hîc imparitas fuit) digniorem, posthabitum Iacobo fratri natu minori, quorsum? Nempe ut maneat propositum Dei, quod est κατ' ἐκλογὴν, hoc est, *propositum Dei electivum.* Non enim dicit Apostolus, ἵνα πρόθεσις θεοῦ κατὰ τὴν ἐκλογὴν, sed ἡ πρόθεσις θεοῦ κατ' ἐκλογὴν, hoc est, *propositum Dei quod in mera Dei electione positum est.* Porrò mera electio nulla nititur conditione quæ sit in eo qui eligitur. Itaque ut maximè propositum Dei de servandis fidelibus dici posset *secundùm Electionem,* cùm præsupponat conditionem fidei in eo qui eligitur, non potest tamen dici πρόθεσις κατ' ἐκλογὴν: quod Apostolus exertè notavit, nam epexegeticè subjungit, *non ex operibus, sed ex vocante.* Atque hîc observandum, non opponi opera fidei, sed vocationi quæ fidem præcedit, unde constat novos hîc induci typos, cùm convenientiæ typorum priorum & posteriorum cum rebus suis ratio dispar sit, quamquam Apostolus satis indicat diversos esse typos, [si nihil aliud esset] verbis illis, οὐ μόνον δὲ, *non solùm autem.* Sed quoniam nova hinc oritur difficultas, videri enim posit Deus uti προσωποληψίᾳ, quæ injustitiæ quędam spęcies est, si paribus paria non indulgeat, aut verò prętantiores in speciem posthabeat contemptioribus: Huic difficultati duobus modis occurrit [℣. 14. 15. 16.] ac priori quidem isto, ostendendo nempe Scripturæ Veteris Testamenti authoritate [est enim ei res cum Iudęis pręcipuè] quàm sit liber Dominus in misericordiæ suæ vel dispensatione, vel negatione, *Miseretur cujus vult,* &c. quo loco adducto apertè significat, nemini injuriam fieri quod non vocatur efficaciter, cùm sit misericordiæ siquis vocetur. Posteriori autem modo, *prolato* Pharaonis exemplo [℣. 17. 18.] cujus cor *emollire* Deus *potuit,* siquidem id constitutum habuisset. Quoniam verò supererat ut hominum audaciam compesceret, *responsantium* (℣. 19. 20. 21.) *fieri non posse, ut quis Deo resistat*: Id verò sic facit, primo ut neget decere hominem jacentem in peccatis, & extrema commeritum, Deum in jus trahere, si minus ei gratiam *impertitur suam*: Sicut enim f[illegible] licet ex luto, re vi[illegible] o arbitrio vas aliud ad honestum u[illegible] ad minus hon[illegible] gere: sic Deo pro arbitrio licet ex [illegible] peccatoribus [illegible] s ostendat divitias [illegible] rdiæ [illegible] vocatione [illegible] ęparare; alios ve[illegible] en [illegible] t] sibi per[illegible] lpâ comparatos [illegible] Q[illegible] n Apostolu[illegible] *tavit* [℣. 22. 23.] [illegible] vocat, ser[illegible] t, ἃ προητοίμασεν, [illegible] pe[illegible] ic efficac[illegible] em: at ubi de illis [illegible] n [illegible] t vasa n[illegible] κατηρτίσατο ὁ θεὸς, sed

V 3

αὐτοπαιδεία, juxta illud, *Perditio tua ex te Israël*, &c. Deinde, id ipsum confirmat Prophetarum vaticinijs [℣. 24. 25. 26.] quibus apertè non de *Iustificatione*, sed de *Vocatione agitur*. Postremò prolato ex Esaia vaticinio [℣. 27. 28. 29.] offensionem ortam ex consideratione paucitatis vocatorum ex Iudęis elevat, quis enim offendatur, si quod prędictum est eveniat.

Atque sic explicavit quæstionem, *Cur cùm soli fideles participes sint salutis, tamen omnibus Deus non det fidem, sed his potius quàm illis*: quæ explicatio inchoata ℣. 10. ad ℣. usque 30. producta est, inclusa scilicet parenthesi, quâ clausâ versu 29. redit [℣. 30. 31. 32. 33. *ad id quod* initio capitis tractarat typicè, cùm rationem redderet cur Iustitiarij obstinati non serventur, salutem verò consequantur fideles, concluditque rem totam non jam figuratis, quod fecerat initio capitis, sed nudis & significantibus verbis, quæ conjungenda sunt cum versu 9. Neque verò est quod quispiam miretur tanto ista distare intervallo, cùm quæ interjecta sunt tam arctam cum istis habeant conjunctionem, sitque Apostolo admodum familiare disputationis filum interjectis parenthesibus [quando res id poscit] interrumpere; cujus rei caput septimum hujus Epistolæ ad Romanos exemplum erit unum instar omnium, constat enim totum unâ parenthesi.

In EPIST. ad ROM. Cap. IX. ℣. 4.

ὧν ἡ δόξα.] Illa nimirum externa præsentiæ divinæ in Arca & Templo symbola, Nubes puta, 1. Reg. 8. 10. [quæ ℣. 11. disertè vocatur *gloria Domini*] & 2. Chron. 6. 1. Item vox cœlestis בת קול quæ identidem ex medio Cherubinorum audiebatur, Numer. 7. 89. Vnde & metonymicè Deus à Rabbinis dicitur הכבוד *gloria*. Vel *gloria* est consortium Divinitatis, quod Israëlitis præ omnibus Gentibus donatum fuerat, de qua Deut. 4. 7. *Quæ gens sic magna, cui Dij sui sic adsint*, &c.

℣. 11. ἵνα ἡ κατ᾽ ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις.] Observandum est Apostolum non dixisse, πρόθεσιν κατὰ τὴν ἐκλογὴν, sed κατ᾽ ἐκλογὴν· Nam ἡ ἐκλογὴ, hęc demum locutio designare posset *electionem quæ facta est secundùm aliquam legem*, qualis est ex omnibus peccatoribus electio fidelium ad salutem. At Apostolus non est ita locutus κατὰ τὴν ἐκλογὴν, simpliciter dixit nulla adhibita designatione, ut *propositum Dei* κατ᾽ ἐκλογὴν *maneat*. Quid est igitur *propositum Dei* κατ᾽ ἐκλογὴν? Nempe nihil aliud est quàm (sic liceat nobis loqui) *propositum electivum*, hoc est, merè liberum. Nam duplex est πρόθεσις, una certis quibusdam legibus obstricta; seu illæ leges sint præscriptæ à justitia, seu item à misericordia: A justitia, ut si quis esset justus certè Deus eum justificaret, attamen non esset hæc πρόθεσις κατ᾽ ἐκλογὴν, nam est ratio cur hoc fiat. Itidem si esset qui seriò in Deum crederet, ejus haud dubiè Deus misereretur, sed tamen hoc esset fortasse κατὰ τὴν ἐκλογὴν, non esset simpliciter κατ᾽

ἐκλογήν. Sed cùm omnia sunt paria (ut nos omnes sumus à natura) mera est ἐκλογὴ *pura puta electio.* Non est ergo hîc distinguendum nimis subtiliter πρόθεσιν, *propositum Dei*, ab *electione Dei*, sed dicendum quod res est, hæc verba κατ' ἐκλογὴν adjecta esse explicationis causâ, ut sit sensus, *Ut propositum quod est merè liberum maneat firmum.* Non est autem actio in Deo merè libera *justificare credentem & pœnitentem* (merè autem liberam actionem vocamus eam quam omittere non pugnat cum Dei natura) nam inest Deo naturalis quædam proprietas, *Misericordia* nempe, cujus objectum est is qui Deo gratiam & veniam offerenti fidit; Deus scilicet non potest semetipsum abnegare. At verò ita hunc compellare, tam vehementer, atque (ut vulgo loquimur) tam persuasivè, ut manus det, id verò tam liberum est, quàm creasse aut non creasse mundum. Itaque hæc Dei actio rectè dicitur *Vocatio secundùm* Dei *propositum electivum*, juxta πρόθεσιν, inquam, quæ est non κατὰ τὴν ἐκλογὴν, sed κατ' ἐκλογήν.

Ibid. οὐκ ἐξ ἔργων, &c. Novatores Semipelagiani detorquent ista ad justificationis negotium; at verò justificatio sequitur, non præcedit vocationem: nam supra cap. 8. 30. Apostolus dixit, *quos vocavit, eos justificavit.* Deinde, locutio esset admodum dura, *vocationem* opponere *operibus* quum de justificatione agitur; nam solet Apostolus quoties de justificatione disputat, *fidem* opponere *operibus*, nunquam opponit vocationem operibus. Deinde, quod rei caput est, non potest hoc fieri, siquidem vocatio communis est, [ex eorum sententia] nam quæ communia sunt, ea non opponuntur: Itaque si vocatio communis est tam operanti quàm non operanti, frustra dicitur, *id non fit ex operibus, sed ex vocante.* Adjiciatur & illud, quod Interpres Syrus longè vetustissimus hunc locum ita vertit, ut illa verba ἐκ τοῦ καλοῦντος interpretetur ביד דקרא *per manum vocantis*, quæ locutio facit ut vocanti tribuatur efficacia quędam: nam quoties agitur de efficacia, toties sic loquitur, & multò vehementior est locutio illa, quàm si dixisset על יד. Itaque specialis est quædam vocatio, eademque efficax, nam non est specialis nisi efficax sit.

℣. 13. τὸν Ἠσαῦ ἐμίσησα, &c.] Sunt qui exponunt illud *odio habui*, per, *non amavi*, privatè non positivè, & dicunt odium esse duplex, *privativum* unum, aliud *positivum*. Verùm illi non videntur satis attendisse ad naturam Dei [ut interim taceam, Scripturam hoc odium *privativum* penitus ignorare, quum agit de odio quo Deus prosequitur reprobos] nam nos quidem homines *odimus*, hoc est, non amamus nobis similes odio privativo, tribus potissimum de causis. 1. Quia eos non novimus. 2. Quia etsi noverimus, tamen eorum non semper meminimus, de iis non semper cogitamus. 3. Quia indifferenter erga illos sæpè nos habemus. Iam verò fieri non potest ut unum ex his tribus

cadat in Deum, non enim poteſt non noviſſe homines, non poteſt eorum non meminiſſe, non poteſt denique erga illos ſe indifferenter habere, cùm ſit omniſcius.

ỷ. 28. ὃν θέλει ἐλεεῖ, ὃν δὲ θέλει σκληρύνει,] Novi Semipelagiani hæc trahunt ad Iuſtificationem, ſed perperam, quia induratio emollitioni cordis, non autem damnationi opponitur. Non enim Deus quos damdamnavit priùs eos indurat, ſed induratos damnat, quemadmodum non eos quos fide donat prius juſtificavit, ſed juſtificat fide donatos. Itaque juſtificationem præcedit vocatio, neque enim Deus quos juſtificavit eos vocat, ſed contrà quos vocat, eos juſtificat. Deinde, non eſt credibile Apoſtolum ad Dei voluntatem recurriſſe, cùm ageretur de reddenda ratione cur hi potiùs quàm illi juſtificentur, cùm in promptu cauſa ſit; nempe hic Deo credidit, hunc pœnituit peccati, ille non credidit, illum non pœnituit peccati, cauſa juſta & idonea eſt, etiam humanæ rationis judicio, niſi quis inſaniat. At cur Deus huic potius fidem ac pœnitentiam dederit quàm iſti, cùm ſimus omnes naturâ pares, id verò non æquè liquet, itaque hîc nobis in voluntate ejus eſt acquieſcendum.

ỷ. 25. καλέσω τὸν οὐ λαόν μου, &c.] Hoſeæ verba, quæ de Iſraële à Propheta dicuntur, ad Gentes Apoſtolus accommodat. Ratio hęc eſt, Hoſeas Iſraëlis tribus captivas alloquitur, quarum mentio fit 2. Reg. 17. 23. quæ Gentibus permiſtæ ſunt, neque Dei cultum ſervarunt, quare & Gentium loco ſunt habitæ, nec unquam in patriam redierunt: fuerant olim Dei populus, ſed ubi prophanorum cultum amplexæ ſunt, & indiſcriminatim filias gentium in uxores acceperunt, ſuaſque viciſſim in matrimonium eis dederunt [unde confuſio ſecuta eſt] dignitatem populi Dei amiſerunt.

ỷ. 28. λόγον συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ.] Deus dicitur λόγον συντέμνειν non reſpectu *noſtri*, ſed reſpectu *ſui*, quo reſpectu tempus quod præcedit facti ſui complementum, nullius moræ eſt ſi conferatur cum ea, qua duraturum eſt, æternitate.

In EPIST. ad ROM. Cap. X. ỷ. 15.

Quomodo prædicabunt niſi miſſi fuerint?] Planum eſt, perindéque certum, neminem debere invocatum intrudere ſeſe ad fungendum ullo in Eccleſia munere, ſed expectandum illi eſſe ut ad id mittatur. Verùm non unum eſt miſſionis ſive vocationis genus, alia enim eſt miſſio & vocatio divina, quæ ſanctionem & approbationem ſuam à Deo habet, alia eſt humana vocatio & miſſio, quæ hominum operâ fit & miniſterio. Quum tranquillus eſt & pacatus Eccleſiæ ſtatus, ſervandus eſt ordo ille qui à Deo conſtitutus eſt, & hominum miniſterio peragitur: quomodo nempe à Regibus & Principibus terrenis in Reipublicæ ſuæ ſtatu politico fieri ſolet, licet enim ipſi per ſe immediatè poſſint miniſtros

nistros suos juri dicundo vel regendæ Reipublicæ præficere, atque præponere, ea tamen potestate & jure plerumque atque ordinariè non utuntur, quin potiùs eos jubent certo ritu, certisque formulis (quas ordinis gratiâ, neve sibi imponatur, ipsimet præscripserunt) solemni modo muneri suo inaugurari. Verùm quum Reipublicæ status perturbatus est, quum Ministri ipsi & subditi in eos insurrexerunt, quum eversa est & conturbata omnis τάξία, quum viget & regnat ἀταξία, quum ritibus illis & solemnibus formulis locus nullus relictus est, tum Rex ipse per se immediatè ministros suos creat atque præficit, atque tum satis est Ministris illis si non sine Regis jussu atque authoritate munere suo defuncti sunt. Eadem est hac in parte Ecclesiæ ratio; Deus vult in ea omnia κατὰ τάξιν fieri: at quum hominum vitio, fraude & malitia tanta est rerum in ea perturbatio ut nullus jam sit ordini illi locus relictus, non vetat sanè ut quod præcipuum est, maximéque momentosum, procuremus, vel cum ipsius ordinis neglectu, si modò ordine constituto & ordinario haberi illud & obtineri nullo modo potest, imo verò tanto studiosius & acrius procurandum illud est, quanto minus via & ratione ordinaria obtineri potest. Ordo sanè & methodus in re omni probandus & laudibilis est, at quum res ipsa urget vehementi quadam necessitate, via autem & methodus constituta servari non potest, tum natura ipsa, ratio, lex, usus, & consuetudo docet, procurandum id esse omni via & ratione quod est maximè momentosum & necessarium.

Neque verò hac ratione lata aperitur porta confusioni, aut perturbatoribus favetur, is enim propriè turbator est qui ordinem possibilem negligit atque contemnit, non verò is qui ordinem quidem toto animo cupit, at eum investigare & consequi ob summam rerum perturbationem, omnino non potest: is turbator est qui temerè & sine ratione ordinem constitutum negligit, non verò is qui invita & ineluctabili necessitate coactus est insuper eum habere. Non ergo inducitur rerum confusio & perturbatio, quum munus aliquod exercendum illi permittitur qui potest eo dignè & præclarè defungi (licet à nullo ad id vocetur homine) quum necessitas id exigit & postulat, solemnis autem & constituta vocandi ratio obtineri non potest. At quum legibus præscriptæ formulæ observari possunt, neque tam vehemens est necessitas ut viam & rationem postulet & verò exigat extraordinariam, ordinem constitutum negligere esset fenestram τῇ ἀταξίᾳ aperire. Hoc non est seditioni in urbe vel castris favere, quum civis ultrò & injussus in rebellem & proditorem Magistratum, miles in perduellem Centurionem vel Decurionem suum insurgit, si nulla alia via & ratione occurri malo potest, tum duntaxat pervertitur ordo & regnat ἀταξία, quum extra hujusmodi casum tantum quis sibi permittit, & licere putat.

Itaque ratio illa quæ ducitur à confusione quam secum trahit neglectus ordinis & præscriptarum formularum, quum haberi & observari possunt, non officit Majoribus nostris] quorum sæculo & ætate cœpta est in Ecclesia reformatio, etiamsi missione & vocatione illa externa, quæ ab hominibus est certis formulis & ritibus veluti definita, instructi non fuissent: neque enim ratio temporum illorum ferebat aut patiebatur ut constitutus ordo commodè observari posset. Tum enim vigebat & regnabat in Ecclesia hæresis & Idololatria, illi autem quibus commissa erat ab hominibus Ecclesiæ cura, quique missione & vocatione externa & humana ornati erant, non modò eâ non legitimè utebantur, sed, quod deplorandum maximè fuit, cùm pollerent authoritate eam aliis conferendi, nolebant illa ornare eos quibus nec facultas, nec voluntas deerat eam magno cum fructu exercendi. Cùm itaque veteribus Pharisæis non absimiles scientiæ clavem subduxissent, regnique cœlorum portam ita clausissent, ut nec ipsi eò ingrederentur, nec alios ingredi sinerent, necesse tum fuit piis in tam extraordinario casu, tamque perturbato & deplorando Ecclesiæ statu, præter ordinem etiam aliquid audere & tentare, id fraudi illis esse non debet, etiamsi nulla fuissent instructi externa missione.


Prædixerat Paulus venturam defectionem à fide, eamque tam universalem & horrendam ut κατ' ἐξοχὴν eam vocet ἀποστασίαν, qua universa Ecclesiæ facies ita obscurari debuit, ut vix à quoquam dignoscenda fuerit. Iam verò quis tantæ defectioni opponere sese potuit? Sanè non ipsi Apostatæ, & qui in defectione pertinaciter perseverant, verùm illi qui ab ea sese segregant, qui eam redarguunt, & revincunt, sive aliqua fuerint inter Apostatas authoritate & potestate instructi [quomodo olim fuerunt inter decem Tribus Israëlitarum à vero Dei cultu deficientium Levitæ] sive nulla fuerint publica muniti authoritate.

In EPIST. ad ROM. Cap. XI. ℣. 23.

ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσι τῇ ἀπιστίᾳ ἐγκεντρισθήσονται.] Videtur hîc requiri conditio aliqua antecedanea, tum promitti aliquid consequens, qua ratione fiet ut præcedat fides, saltem ut ne Iudæi perseverent in incredulitate, sequatur autem hæc insitio. Et verò difficultatem auget, quod insitio hîc non dignitatem significat, etenim hîc mentio fit *potentiæ* non autem *potestatis* Dei. Porrò potentiæ quidem divinæ opus est nos inserere Christo per fidem, hæc enim est efficacia & vis Spiritus Dei in nobis; at dignitatem illam tribuere, quæ fidem sequitur, potestatis est: Non est enim potentiæ jus tribuere, sed idoneum reddere cui jus tribuatur, id verò potentiæ est. Sed ad hujus difficultatis solutionem observandum est, esse (ut loquuntur in Scholis) effecta quædam *formalia*, quæ sic vocantur, quod eorum ratio sit in ipsa forma: verbi gratia, quod quis homo est, est effectum formale animæ rationalis. In hoc genere por-

rò sic loquimur ut dicamus, *Si hæc materia prædita fuerit anima rationali erit homo*, nolumus tamen ista duo rę distincta esse. Sic planè, si quis crediderit in Christum, eum dicimus fore Christi membrum, nempe fides est veluti ratiò formalis per quam quis redditur membrum Christi. Atque hæc videtur fuisse mens Apostoli: non enim dicit, Iudæos excisos *propter incredulitatem*, sed *excisos incrudelitate:* nempe istud excidium Iudęorum, est Iudęorum obduratio: causa verò, quod ad Iudæos attinet, formalis indurationis est incredulitas. Deinde etiam, *Tu verò* [inquit Apostolus] *stas*, non dicit, *propter fidem*, sed *fide*, nam causa formalis standi est fides, quid enim aliud hoc loco sit *stare*, quam perseverare in fide?

ỳ. 30. ὥσπερ γὰρ καὶ ὑμεῖς ποτέ, &c.] Hoc loco Apostolus reddit rationem, cur Deus qui id haud dubiè potuerat, Iudæorum obstinatam & præfractam rebellionem emollire noluerit, nam certè Pauli rigorem & contumaciam flexit, idem æquè facilè [libuisset modò] in reliquis effecturus. Atque hîc Apostolus, dum id agit ut nobis [quatenus id fieri potest & debet] divini consilij rationem aperiat, non aliò ducit, quàm ut agnoscamus eo facto voluisse Deum, tam in Gentium quàm Iudæorum vocatione patefacere misericordiam suam, ỳ. 32. ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ. Profectò, initio statim post lapsum Adæ primi parentis omnium Gentium, cùm Iudæorum & reliquorum gentium nullum esset discrimen, illa promissio multò dulcissima, *Semen mulieris conteret caput Serpentis*, non magis ad illos, quàm ad hos pertinebat. Sed postquàm Gentes à vera religione descivêre, spretâ eâ doctrinâ, quæ ijs in familijs unde originem duxere, præcipuè vigebat, sivit eas Deus suo more vivere, *ambularéque in vijs suis*, ut jam diu volutati, ac demersi in barathro quodam omnis generis scelerum atque flagitiorum, vocati tandem ad communionem gratiæ Dei in Christo, spectaculum præberent & exemplum illustre divinæ benignitatis. Ad eundem planè modum passus est Deus Iudæos iudulgere sibi, & nativæ solitæque contumaciæ ac rebellioni adversus Spiritum Sanctum habenas laxare, ut postquam Gentium more, ignorantiæ & sęculi tenebris diu obruti & sepulti jacuerint, tandem, & in ipsorum vocatione ad salutem, Deus edat misericordiæ suæ haud minus illustre specimen & documentum, quàm ediderat in Gentium vocatione, postquam jam ij & suo ipsorum, & omnium hominum judicio, re ac factis probarint sese haud minus Gentibus indignos quorum Deus misereatur. Hoc verè illud est quod insigni epiphonematę concludit Apostolus, *Deus omnes conclusit sub peccato, ut omnium misereatur,* ὦ βάθος πλούτου, &c.



LECTORI.

QVÆSTIONES quæ sequuntur in Cap. 12. 13. 14. & 15. propositæ sunt scripto Dn. Cameroni ab Amico quodam Viro Docto, quibus subjecit breves Responsiones istas. Vtræque tum Quæstiones scilicet, tum Responsiones faciunt ad veram intelligentiam locorum illorum. Quare visum est ea hîc tibi exhibere.

QUÆSTIONES ET RESPONSIONES in Epistolæ ad ROMANOS Cap. XII. Vers. 2.

εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, &c. Quæritur, quodnam sit discrimen inter *ἀνακαίνωσιν νοὸς* & *τὸ δοκιμάζειν*, &c.

℟. *Ἀνακαίνωσις νοὸς* est veluti habitus, *δοκιμάζειν τί τὸ θέλημα*, est ejus veluti *ἔργον*, ut mihi quidem videtur. Vt *ἀνακαίνωσις* sit *ὄψις*, *δοκιμάζειν* verò *πρῶτον μὲν διατηρεῖν τὸ ὁρώμενον, ἔπειτα δὲ συγκαταθέσθαι, καὶ συγκατανεῦσαι ἡσθέντα τῷ πράγματι, ὡς καλλίστῳ τε ὄντι, καὶ ἡδίστῳ, καὶ δὴ καὶ λυσιτελεστάτῳ.*

℣. 3. An *ὑπερφρονεῖν* idem sit quod cap. 11. 20. *ὑψηλοφρονεῖν*, vel potiùs idem quod 1. Cor. 4 6. *ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν*, notetque canonem de quo 2. Cor. 11. 30. An verò intelligantur æmulationes circa dona spiritualia, de quibus 1. Cor. 14. an verò eadem sit sententia quæ 1. Cor. 8. *Scientia inflat, charitas ædificat.*

℟. Puto simpliciter commendari humilitatem eam, quæ facit ut nequis plus sibi sumat quàm accepit à Domino, (Psalm. 143.) interim verò Dei dono in proximi commodum strenuè ac fideliter utatur, neu sibi se natum putet.

℣. 6. *Εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν πίστεως.* Num hîc *πίστις* significat Evangelium, ut Galat. 1. 23. an verò *analogia* est relatio ad *αὐτόπιστα* capita doctrinæ Christianæ.

℟. Puto *Ἀναλογίαν πίστεως* esse *μέτρον πίστεως*, *Credidi, ideò locutus sum*, nequis inter prophetandum effutiat quod revelatum non fuit.

℣. 7. Εἴτε διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ, &c. An repetitiones illæ, ex usu Hebraici sermonis, significent vehementiam & intensionem? an verò nihil aliud sibi vult Apostolus, quàm ut seriò incumbant in id quod est muneris ipsorum, neque aliud agant?

℟. Posterius placet. Nec enim abhorret ab eo, *Tractent fabrilia fabri*, sed nec ab eo etiam, *Spartam nactus es? hanc exorna.*

℣. 9. ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος. Cur τὸ ἀνυπόκριτον tribuitur potius charitati, quàm cæteris virtutibus, hoc loco? An quia charitas complectitur omnes in universum virtutes? An quia vix quisquam est, cui non gratum sit humanitatem & benevolentiam præ se ferre, cùm interea odium in corde premat, quod Itali dicunt: *Viso di charita, mente d'invidia.*

℟. Posterius magis arridet, nam & fides dicitur ἀνυπόκριτος, quæ non est professione & verbo tenus, 1. Tim. 1. 5.

℣. 10. Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι. An vult Apostolus affectus naturales augeri & vestiri pietate Christiana, ut revera Petrus illa conjunxit 2. Cathol 1. 7. An verò eadem est hîc phrasis quæ superiori loco, τὴν διακονίαν, ἐν τῇ διακονίᾳ?

℟. Puto damnari τὴν ἀπάθειαν. Nam Stoici olim, & è Christianis hodie non pauci, in Charitate eam requirunt, quam negant scilicet esse debere mollem & effœminatam, sed masculam: Illis autem mollis futura videtur, si στοργὴν habeat. Est verò στοργὴ non modò affectus amoris naturalis, sed charitatis etiam, qui scilicet nos perinde afficit ac si naturalis foret, nimirum συμπάθειαν gignit ἐν τοῖς ἀλλήλων κακοῖς καὶ εὐπραγίᾳ, unde dolor & luctus, lætitia & exultatio: hinc alienis malis indolescere, & ex bonis alienis capere voluptatem. Sanè ego nullam esse puto sinceram charitatem ἄνευ συμπαθείας. Christus Lazarum deflevit. Verùm interim est τὰ φύσει ἐνόντα ἡμῖν. καὶ ἀλλὰ μεγάλην ἐπίδοσιν λαμβάνειν ἐπιγινομένης τῆς τοῦ πνεύματος ἐνεργείας. Sed non puto id voluisse Apostolum hoc loco significare.

℣. 12. Τῇ ἐλπίδι χαίροντες. An jubet gaudere simpliciter, idque cum spe, an verò monet ne concipiamus spem absque gaudio, ne frigidè nos geramus in negotio beneficiorum Dei?

℟. Posterius magis placet. Sanè nil æquè spem probat esse veram quàm gaudium, neque spem falsam æquè quidquam redarguit ac torpor animi, καὶ μὴ προσαναπηνδῆναι μεθ' ἡδονῆς καὶ χαρᾶς τῷ ἐλπιζομένῳ, μάλιστα δὲ ὅταν ἔχει ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ μέγα.

℣. 16. Τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονοῦντες. An commendatur hîc Charitas ἡ εἰς ἀλλήλους, an verò simpliciter sit idem quod ὑπὲρ ἀλλήλων. An verò verti debeat simpliciter *invicem, inter vos*, ut hîc commendetur ὁμοδοξία. An verò referendum est illud τὸ αὐτὸ ad aliquid quod vel tacitè designat, vel superius posuerat, ut cap. 15. 5.

℞. Puto simpliciter commendari τὴν ἐξ ἀγάπης ὁμόνοιαν, cui inter bonos locus est, etsi diversa sentiant, ὥστε τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους φρονεῖν ἐστι καὶ τὸ βαστάζειν τὰ τῶν ἀλλήλων βάρη.

Ibid. Quid est illud τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι? Est-ne idem præceptum quod Matth. 18. 10. de procuranda salute vel minimi cujuslibet? An potius monemur de conditione nostra, quam Deus vult esse dejectam & humilem? An potius significat, ut ea, quæ ex Iudicio mundi habentur pro exiguis, ne exigua ducamus.

℞. Συναπάγεσθαι mihi videtur esse συγκαταβαίνειν; Sunt autem ταπεινοὶ (ut opinor) οἱ ἀσθενοῦντες ἐν τῇ πίστει. Hinc apparet Metaphoræ ratio: quem enim sequimur ἀπαγόμενον videmur συναπάγεσθαι, quamquam id faciamus animo τοῦ ἐπανάγειν τὸν ἀπαγόμενον. Huc referenda sunt quæ exstant 1. Cor. 9. 20. 21. 22. & 1. Cor. 8. 9. 10. 11. 12. 13. ἀπάγον οὖν οἱ ἀσθενοῦντες, οἱ δὲ ταῦτα τοῖς ἀσθενοῦσι πρέποντες συναπήγοντο, ἐφ᾽ ᾧ τῷ ἐν δέοντι καὶ ἐν καιρῷ αὐτοὺς ἐπαναγαγεῖν, τοῦτο δὲ ἐπὶ ὅσον ἀνάγκη ὁ Ἀπόστολος κρίδησαι ἀποκλείει. Hoc verò non licet in flagitijs, in sceleribus, in peccato facere, sed nec in rebus adiaphoris assentandi animo, cum Evangelij & Ecclesiæ detrimento, Galat. 2. 13. Hinc licet conjicere, cur Apostolus non usus fuerit verbo συγκαταβαίνειν, nimirum subinnuit sibi non probari ἀσθένειαν, cùm sit ἀπαγομένων, ταπεινότητα tamen vocavit, ut esset venustior Antithesis inter ὑψηλὰ φρονεῖν & ἀσθενεῖν.

℣. 19. Δότε τόπον τῇ ὀργῇ. An hîc alludit ad sententiam vulgatam, *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, quod videmur impedire quum ipsi animadvertimus in hostes, privato dolori indulgentes. An verò simpliciter significat, nos debere Deo partes Iudicis suas relinquere, ut *ira* hîc pro judicio sumatur, ut dicitur Deus *inferens iram*, hoc est, puniens, Rom. 3. 5.

℞. Posterius hoc simplicissimum videtur.

℣. 20. Ἄνθρακας πυρὸς σωρεύσεις, &c. An dicendum hîc esse consequens pro Antecedente, hoc est, *obnoxium illum reddes condemnationi*. Cur autem fidelium mentibus hoc objicit, quasi gratum hoc illis esse possit, tanta Dei in fratres ultio? Adde quod hoc vindictæ appetitum irritat.

℞. Non quicunque absterretur à vindicta, quod novit Deum fore vindicem, idem continuò pœnâ impiorum delectatur, quin potiùs eo vehementius pij in se damnant vindictæ cupiditatem, quod certò sciunt se non fore inultos. Ita quibus non deest oppressis Magistratus, illi minimè de ulciscenda injuria laborant. Sæpè etiam contingit ut ipsâ pœnâ sine peccato lætemur, sed id fit (ut loquimur) per accidens, quoniam in pœna elucet vindicis nostri erga nos amor & cura nostri. Sic hominum mœror in nostro casu magnum nobis adfert doloris levamentum, non quod possit bonam mentem luctus alienus levare, sed quo-

niam amari nos (cujus rei argumentum est dolor aliorum in calamitate nostra] id verò nobis multò gratissimum est. Itaque ut in quæstione positum est, puto Apostolum hoc tantùm velle, Deum esse qui nostri curam gerat, nihil esse quod nos simus de persequendis nostris injurijs solliciti: simul etiam stoliditatem hominum notare qui vindictæ cupiditate faciunt ut ne assequantur quod maximè voluerunt.

Ad Cap. XIII.

℣. 3. Οἱ γὰρ ἄρχοντες ὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν ἔργων, ἀλλὰ τῶν κακῶν.] Quid est ergo *esse Tyrannum?* An dicendum est, Paulum hoc velle, Ordinem à Deo in Rebuspublicis constituendis observatum hujus gratiâ esse æquo animo ferendum, etsi Principes ab eo aberrent interdum? & sanè aliter sumi non potest quod ait vers. 6. εἰς αὐτὸ τῦτο προσκαρτερῦντες.

℞. Appositissimè, ut ego quidem sentio. Et certè permissâ semel licentiâ insurgendi in Tyrannos, nulla Monarchia, imo vero ne ullus quidem Reipublicæ status tutus esse potest.

Ad Cap. XIV.

℣. 4. σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην.] Interdicitur-ne omne de hominum factis vel dictis judicium? An hîc intelligitur cultus aliquis, quem specialiter reddere se quispiam posse putet Deo, sed omnino-ne cultus hujusmodi sit ex electitijs, quos Scriptura damnat.

℞. Non puto interdici ἁπλῶς judicium, sed superciliosum, severum, damnatorium, idque ijs in causis, in quibus humanæ quidem infirmitatis fortasse, at nullæ tamen apparent notæ animi impij & à Christo alieni: neque de judicio quod de re, sed de persona fit, agi crediderim: & totum hoc eódem pertinere quò præceptum Christi Matth. 7. 1. 2. 3. 4. &c.

℣. 5. ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ πληροφορείσθω.] An hoc dicit per concessionem, quasi fieri non possit ut quispiam exactè perpendat, qui idem non videat leviculam illam circa cibum aut diem religionem. An vero id duntaxat monet, esse tamdiu ejusmodi cultum tolerabilem quamdiu non repugnat conscientiæ.

℞. Posterior sensus mihi videtur simplicior. Vt sic arbitrer faciunt illa, μακάριος ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν, is vero est ὁ πληροφορηθεὶς, cui opponitur ὁ διακρινόμενος vers. 22. 23. Prior sensus acutus est, & veram continet sententiam, sed an huic loco accommodatam mihi dubium est.

℣. 23. Πᾶν ὃ ὐκ ἐκ πίστεως ἁμαρτία ἐστιν.] Hoc simpliciter accipiendum uti ab Apostolo dicitur, de rerum adiaphorarum usu, quibus ita utendum esse ait ut non dubitemus, sed certò statuamus apud nos licere ijs uti, *quicquid enim*, inquit. *fit sine fide*, [hoc est, dubitanter, an liceat necne ijs uti] *peccatum est*.

Ad Cap. XV.

℣. 4. ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς, &c.] Quæ ſunt hæ conſolationes Scripturarum? An quia quod dictum eſt de quopiam intelliguntur de quolibet? An verò quia comparare debemus quæ nobis miſeris accidunt, cum ijs quæ pertulere pij Patres, & veteres Heroes? An verò quia quæcumque pijs accidiſſe narrantur, quantumvis carnis ſenſui acerba videantur, ſunt tamen judicio Spiritûs utilia, & præſentiſſima ſalutis remedia.

℟. Puto hunc verſum includendum eſſe parentheſi, & admonitionem continere, non eſſe hęrendum ἐν τῷ ῥητῷ Veteris Teſtamenti, quaſi illa tantùm γεγραμμένα forent, non etiam προγεγραμμένα, nimirum ut eventura Chriſto capiti primùm, dein Chriſti membris, Itaque illud πρὸ notat rei (ut ita loquar) futuritionem, ut quomodo προειρήνη dicitur, ſic dictum ſit προεγράφη. Id eſt, quantum judicare poſſum, quod voluit Apoſtolus.

℣. 8. Ὑπὲρ ἀληθείας.] Apoſtolus, ubi de Dei benignitate erga Gentes, qui ijs indulſerit nimirum cognitionem Redemptoris, agit, tantum beneficium miſericordiæ Dei vult acceptum fereri, verſ. ſeq. ὑπὲρ ἐλέους, inquit,: at quod Iudæis exhibitus eſt Meſſias, & oblatus, id verò jam ait fuiſſe ὑπὲρ ἀληθείας, *veritatis divinæ.* Quid igitur? non fuerit opus divinæ miſericordiæ, quod Iudęis Apoſtoli Chriſtum annuntiarunt? Omnino. Verumtamen, quia promiſſiones omnes apud Prophetas Iudęis primùm factæ ſunt, & quidem ita peculiariter, ut Gentes in earum communionem ſecundariò tantùm vocentur, (nempe poſtquam oleæ rami per incredulitatem defracti, locum veluti vacuum inſerendis ex oleaſtro ſurculis reliquerunt) hinc factum ut miſericordia Dei erga Iudæos veritas ſit appellata, eadem veritas Dei erga Gentes *miſericordia* ſit dicta: nempe, videtur illa veritas, quod ad Gentes attinet, ſi comparatę rem ſpęctes, mera miſericordia fuiſſe.

℣. 9. Quęritur quomodo quatuor teſtimonia ex Veteri Teſtamento allata probent Gentes debere Deum glorificare pro ſua inſigni erga eos miſericordia. An dicendum eſt, Apoſtolum id duntaxat habuiſſe pro ſcopo docere Gentes in ſortem ſalutis fuiſſe adſcitos, quod tractavit verſ. 7. idque ſolum videtur eſſe orationis filum, tractata verò verſ. 8. & parte noni, includenda videntur parentheſi.

℟. Eſt parentheſi (ut mihi quidem videtur) locus verumtamen eam non video neceſſariam. Nam Apoſtoli [niſi ego fallor] conſilium eſt utrumque probare, & Chriſtum eſſe Gentium miniſtrum, & futurum fuiſſe ut Gentes Deum glorificarent, ad quorum alterum pertinet illud ἐξομολογήσομαι, &c. verſ. 9. Ad alterum verò illud αἰνεῖτε, &c. verſ. 11. ad utrumque verò εὐφράνθητε, &c. verſ. 10. &, ἔσται ῥίζα verſ. 12.

℣. 31,

ỷ. 31. ἵνα ἡ διακονία μου, &c.] An hoc intelligi debet, ne quidquam ferant damni, sitque gaudium solidum sanctorum, neve corrumpatur ob meas afflictiones. An vero precatur ut Iudæi seriò agnoscant ministerij Pauli dignitatem, gratique illud excipiant.

℟. Existimo illud esse simplicissimum, ut statuamus Apostolum nihil aliud voluisse, quàm ut à Romanis Deo precibus commendaretur, ne comprehensus à Iudęis alienis à Christo, prohiberetur hoc pacto Collectam fratribus Hierosolymitanis reddere, & Romam, uti constituerat, venire. Iam ne videretur utilis quàm honesti studiosior (ut est τοῦ πρέποντος observantissimus) prius illud de Collecta reddenda, honestissimis verbis expressit, quæque significent non modò Apostolum id spectasse ut subveniretur inopiæ Hierosolymitanorum, verùm multo magis ut amor Ecclesiæ Iudaicæ erga Gentilem hoc pacto incenderetur, unde vicissim officia charitatis proficiscerentur. Illustrant hunc locum quæ scripsit 2. Cor. 9. 12. 13. ad Philip. 4. 10. 11. 14. 16. 17. Notum illud, *non tam ipso dono, quàm quod à te datum est.* Ita demum τὸ δῶρον est εὐπρόσδεκτον, & mutuam facit benevolentiam.

Ad Cap. XVI.

ỷ. 18. ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων.] Quær. An sit hîc ἄκακος idem quod *improvidus*, & quales sunt pueri, quorum mentio in vitio ponitur ab Esaia? An verò significat homines cæteroquin *minimè malos?* Si vera autem sit posterior hæc explicatio, supererit quærendum, an Apostolus ex sua, an verò ex aliorum mente seductos istos vocet ἀκάκους. Si enim ita revera res se habet, & ita ille judicet, quî fieri potest ut non sint nequam qui seducti sunt, & à Christo aberrant? Priorem explicationem videtur ỷ. 19. confirmare.

℟. Omnino ἄκακοι mihi videntur dici, non qui κακίᾳ, sed qui μοχθηρίᾳ vacant, quales sunt rudes & imperiti rerum, quibus hypocritæ facilè imponunt. Nam qui tales sunt omnia metiuntur ex vultu, ex sermone, quem hypocritæ facilè componunt, nec aliunde factum est ut Schismata invaluerint, quàm quod Schismatum authores fucum plebi fecerint. Et hîc Paulus mihi graphicè depinxisse videtur Socinum, & bonos viros Iesuitas, Ἀκάκους Græci vocant *parùm astutos*, qui non sunt ingenio insidioso, nam ἀήθης est illis quem Latinè vocamus *virum minimè malum.* Et hîc prior interpretatio magis mihi arridet.

IN EPISTOLAM I.
AD CORINTHIOS

CAPVT PRIMVM, ℣. 17.

Ουκ ἀπέστειλε με ὁ χριστὸς βαπτίζειν, ἀλλ' εὐαγγ.] Paulo in primis constitutum fuit ut Evangelium nunciaret, quia verbum creditu simpliciter necessarium est ad salutem, non item baptisma, quod ab ijs administrari potuit, quos ad id Paulus ordinaverat, imò vel ab aliquo è plebe si id necessitas exigeret, nisi fortè ad vitandum scandalum. Vt liceat Ministro manibus casso præcipere ex astantibus alicui ut baptizandum aquâ aspergeret (quamvis alium accersere Ministrum ad vitandum scandalum commodius foret) non ille tamen, sed Minister, baptizare diceretur, quia ille materiam Sacramenti tantùm exhibuit, at penes Ministrum jus id faciendi fuit. Sic litteræ & diplomata regia dicuntur à Cancellario sigillo communita, cùm tamen ab ipsius famulo cereum sigillum fuerit illis appositum.

℣. 20. πῦ συζητητὴς τῦ αἰῶνος τούτου.] Sunt qui hac voce innui volunt ab Apostolo eos quos Iudæi vocant חכמי המחקר nam חקר est *scrutari*, eosque esse Pharisæos Iudęorum doctores. Verùm proculdubiò falluntur illi, nam Sapientes המחקר sunt *Physici* indagatores naturæ rerum, & quæ Græcis *Physica* dicitur ea à Iudæis חקירה vocatur. Et sanè à Kimhio in Psal. 104. Sapientes המחקר apertè distinguuntur à Iudæorum Theologis, qui hîc ab Apostolo συζητητῦ nomine designantur. Nempe συζητητὴς est de verbo ad verbum הדרשן, porrò הדרשן est qui mysticè & allegoricè Scripturam interpretatur, unde ejusmodi Commentaria מדרשים dicuntur, hoc est, συζητήσεις (& ratio est quia interrogationibus & quæstionibus referta sunt) & Schola seu Academia בית מדרש illis dicitur, οἶκος συζητήσεως, ut & בית אולפנא οἶκος διδασκαλίας.

In EPIST. I. ad COR. Cap. II. ℣. 3.

κὴ ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ, &c.] Paulus summâ prędirus in Ecclesia secundùm Christum authoritate, ait *se versatum in infirmitate* ἐν ἀσθενείᾳ, *in timore & tremore*, ἐν φόβῳ κὴ τρόμῳ πολλῷ inter Corinthios. Quid? Num sibi à Corinthijs metuebat? Minimè verò, sed ea phrasi ad mansuetudinem, atque animi simplicitatem cum Pseudo-Apostolorum fastu contendit. Nam & LXX. Interp. vocem שפלה quæ *humilem* signifi-

cat reddiderunt ἀδυναμίαν, Eccles. 12. 4. Et φόβ☉ ϗ τρόμ☉ est Hebr. יראה ורעדה quâ phrasi humilitas & animi demissio designatur Psal 2. 11. Et alibi ubicumque occurrit phrasis illa φόβ☉ ϗ τρόμ☉, eâ semper significatur humilitas & reverentia, non metus, pavor, aut trepidatio ex dubitatione & diffidentia *orta*, ut 2. Cor. 7. 15. & Eph. 6. 5.

℣. 8. ἀρχόντων τοῦ αἰῶν☉ τούτου.] Sic vocantur à Paulo hoc & ℣. 6. precedente, Sapientes Iudeorum, quos illi solent appellare גדולי העולם *Magnates sæculi*, nam quod Paulus adjecit τούτου, hoc fecit in contemptum, non enim solent Rabbini Sapientes suos appellare *Principes hujus sæculi*, quod instabile est & perit, sed *Principes sæculi*. Nec dubitandum est quin hi, de quibus loquitur Apostolus, fuerint ex istis Sapientibus, qui reluctante conscientiâ Christum damnarunt.

℣. 15. ὁ πνευματικὸς πάντα ἀνακρίνει.] Hoc est, discernit, etiam mundana, quatenus ad vitam spectant futuram. Sic dicimus *Sapientem omnia scire*, non quod eum nihil lateat, sed quoniam quæ ignorat, non ignorat ut Sapiens. *Ipse verò à nemine judicatur*, quia à Spiritu Sancto illuminatus & edoctus, hominum judicio neque stat neque cadit, verùm apud se quicquid faciat, de eo plenè persuasus est: hominum non ducitur sententijs, qui hic vel ille sentiat securus. Hoc tamen minimè judicium tollit externum.

In EPIST. I. COR. Cap. IV. ℣. 5.

ὃς φωτίσει τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους.] hoc est, φανερώσει *manifestabit*, uti patet ex exegesi sequenti ϗ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν. Sic 2. Tim. 1. 10. φωτίσαντ☉ ζωὴν ϗ ἀφθαρσίαν.

In EPIST. I. COR. Cap. VI. ℣. 2.

οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσι.] hoc est, *In summam dignitatem evehendi sunt, supra quam possit mens humana cogitare*: Non quod reapse fideles sint judicium de hominibus laturi, hoc enim uni Christo reservatum est. Quomodo alibi hyperbolicè dicuntur *habituri sceptrum, coronas, sessuri cum Christo in ejus solio*, &c. Ceterùm Apostolus seq. ℣. Diabolos *Angelos* simpliciter vocavit prudentissimè: Vult nempe ostendere summam fore excellentiam nostram, qui supra ipsos Angelos sumus aliquando evehendi. Diaboli enim, utut pravi sint & desperati, sunt tamen Angeli.

℣. 7. ἤδη μὲν οὖν ὅλως ἥττημα ἐν ὑμῖν.] Non est quod quispiam hunc locum interpretetur, ut Paulus damnet tantùm litigationem apud Iudicem à religione alienum, reclamant enim ejus verba, ὅλως, inquit, ἥττημα ἐν ὑμῖν ὅτι κρίματα ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, *omnino defectus est in vobis quod litigatis adversus vos invicem*. Vbi expendendum est illud ὅλως *omnino*, q. d. Apostolus, *Graviter inter vos peccatur quod sunt inter vos lites, nam cur non potius injuriam & damnum patimini? attamen quando hoc malum non potest vitari, litigetis sanè, sed apud fratres.* Sed

hinc oritur quęstio. Peccent-ne igitur qui litigant, quoties damno aut omnino ullâ injuriâ affecti sunt. Verùm non est explicatu difficilis, si observemus primò, quo animo, tum quibus affectis injurijs, litigandum nobis sit. Sunt enim injuriæ quædam leves,& quæ sine ullo damno vocationis ad quam Deus nos vocavit, tolerari possunt, hujus generis injuriæ patientiâ vincuntur potiùs quàm contentione: Verùm si injuria ejusmodi est, quæ non jam dico sine gravissimo nostro damno, sed sine etiam eorum gravi damno qui nobis proximi sunt, ut liberorum, &c. tolerari non possit, hîc profecto indulgendum est aliquid nequitiæ sęculi, litemque intentare licet, ne malum augeatur, & crescat, remedio hoc neglecto, aut patientiâ intempestivè adhibitâ. Imprimis autem habenda est ratio animi, nempe si non odio aut indignatione percitus, sed justâ & necessariâ tuorum curâ, ad quam subeundam te vocavit Dominus, incitatus tuam & tuorum agas causam. Sed cùm de re levi agitur, Apostolus vult nos potiùs pati injuriam. Item, potiùs quàm rei necessariæ amissæ jactura inflammet odio, atque efferet animos nostros, vult Christus potius *erui oculum, exscindi manum*, &c. quàm ut nostrum esse putemus quod Domini est, ut penes nos sit vindicta atque ultio.

℣. 18. *ὁ δὲ πορνεύων εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει.*] Alludit Apostolus ad id quod dixerat, *fideles esse Christi membra*, & *qui scorto jungitur fieri scorti membrum*, licet enim reliqua vitia nos à Christo avocent, corpus tamen nostrum alterius membrum non efficiunt. At qui scorto jungitur fit unum cum scorto, & in proprium corpus peccat; quia corpus hac ratione scorti membrum efficit.

In EPIST. I. COR. Cap. VII. ℣. *2.*

τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω.] *Habere uxorem* hîc est debitum uxori reddere, quomodo suprà cap. 5. 1. hujus Epistolæ, *Omninò*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, & quidem talis fornicatio qualis nec inter Gentes nominatur*, *ὥστε γυναῖκά τινα τοῦ πατρὸς ἔχειν*, *ita ut quis uxorem patris habeat*, hoc est, cum ea consuescat. Sic Terent. in Andr. *Quis hodie Chrysidem habuit?* Vulgo solet illud *habere* exponi per *ducere*, sed malè, nam hoc loco est possidere eam quam longè ante duxeras, est *conjugale debitum ei reddere*, uti id pręcipitur vers. 3. 4. 5.

℣. 5. *ἵνα μὴ πειράζῃ ὑμᾶς*, &c.] hoc est, ne Diabolo tentante peccetis, ut Gal. 6. 1. *ne & tu tenteris*, hoc est, ne tentatus pecces; antecedens ponitur pro consequente. *Tentatio* enim in Scriptura ponitur ea significatione ut non ipsam tentationem, sed peccatum, Tentationis eventum seu effectum, notet, quomodo haud multum diversa ratione Deus *vocare*, Electi verò *vocari* dicuntur in Scriptura, non tam ut notetur ipsa vocandi actio, quàm Vocationis efficacia, seu effectum potiùs, conversio nempe hominum.

℣. 12. τοῖς δὲ λοιποῖς ἐγὼ λέγω, οὐχ ὁ Κύριος.] Sathan Corinthijs callidè suaserat, omnem cum uxore consuetudinem ab ipsis (utpote spiritualibus) alienam esse debere. Vnde factum ut qui uxores haberent dimittere jam parati essent, qui carebant, ab ijs ducendis abstinere vellent: qua de re Apostolum per Epistolam consuluerant, vers. 1. *Caterùm de quibus scripsistis ad me*, &c. Qui precepto & consilio ijs super ea re respondet. Et *pracepto* quidem ut Dei legatus, qui quæ ipsi à Domino mandata sunt urget acrius, de alijs consultus, ea *consilio* suadet quę ijs, quibuscum illis res erat, profutura videt, quæque non adeò à Domini sui mente & voluntate aliena fore prospiciebat. Itaque quum ut Domini legatus loquitur, utitur hac formulâ *dicit Dominus, non ego*, vers. 10. quum verò ut privatus, istâ, *hac ego dico, non Dominus.*

℣. 14. ἐπεὶ τὰ τέκνα ὑμῶν ἀκάθαρτά ἐστι, &c.] Vt sciamus de qua sanctitate & impuritate Paulus hîc loquatur, notandum est in Ecclesia Corinthiaca fuisse fœminas quæ fugerent congressum cum maritis infidelibus, & viros similiter qui misceri nollent uxoribus infidelibus, quod se eo pollui existimarent. Hoc ut amoliatur Apostolus, dicit talem congressum in se quidem non esse sanctum, sed sanctificari in altera parte fideli, hoc est, perinde se res habet, quod ad congressum attinet, ac si utraque pars fidelis esset, *alioqui enim*, inquit, *liberi vestri essent impuri, illi autem sancti sunt.* Sanctitas hæc, de qua hîc loquitur, non opponitur impuritati quæ omnibus propriè convenit à natura, propter peccatum Adami, sed impuritati illi quam mulieres illæ metuebant à viri infidelis congressu.

℣. 25. γνώμην δὲ δίδωμι.] Doctissimus Interpres hoc loco nomen *Consilij* refugit, ne videretur Pontificiorum quæ vocant *Consilijs Evangelicis* aperire fenestram. Cæterùm id de quo agit Apostolus planè consilium est. Id quod non una ratione demonstrari potest, ac primò quidem istâ, quod *mandatum*, ἐπιταγὴν opponit γνώμῃ, *non habeo mandatum Domini*, inquit, *sed* γνώμην δίδωμι, apertum ponit discrimen inter *mandatum* ἐπιταγὴν, & γνώμην *consilium*. At, inquit doctissimus Interpres, γνώμη *sententia* est, non est *consilium*. Certè qui sententiam edit rogatus, consilium dat: Itaque hominis, rogati sententiam dicere, sententia consilium est, alioqui certè non est consilium, sed sententia. Sed quærat aliquis, cur non igitur Apostolus δίδωμι βουλὴν dixit? Hîc verò primùm illud respondere est, quod *sententiam dare* & *consilium dare* idem est, itaque cùm potuisset dixisse, *consilium do*, quia tamen ea de re nihil caverat Dominus Iesus, *Mandatum Christi non habeo*, inquit, *sententiam meam edo.* Itaque sequitur continuò νομίζω, quæ verba nimis diluta sunt si *praceptum* significant. Deinde etiam, Interpres Syrus (cujus authoritas non est contemnenda) γνώμην hoc

loco vertit בלבא. Iam verò מלכא Syriacè *consilium* est. Illud verò multo maxime momentosum est & grave, quod ỷ. 35. profitetur Apostolus, se in eo hoc unum spectare, quod eorum commodo fiat à quibus erat consultus: nam apertè profitetur se nolle ipsis laqueum injicere: itaque si major incumbit necessitas, eos vult consilij sui lege solutos. Quænam autem sit ea necessitas, aut esse possit, statim exponit: quæ exceptio in præceptis Dominicis nullum habet locum, ea enim uti sunt constantia, constans requirunt obsequium, nam *cælum & terra transibunt* (inquit Christus) *at ne vel iota unum Legis peribit.*

ỷ. 37. ἐξουσίαν δὲ ἔχει περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος.] Hoc loco abutuntur Novatores ad probandam fictitiam, quam voluntati adscribunt, libertatem. *Nam*, inquiunt, *non potest aliquis potestatem habere in voluntatem suam nisi interventu voluntatis: Itaque voluntas sui ipsius domina est.* At verò verba Apostoli sic detorquentur in alienum sensum, non enim Apostolus ait, patrem habere potestatem in voluntatem suam, tantùm præscribit patri quid liceat & expediat, modò potestatem habeat in voluntatem suam. Itaque significat tacitè Apostolus voluntatem non esse sui ipsius dominam, atque hanc imaginariam voluntatis libertatem, quam illi urgent, non esse voluntati connaturalem, si enim esset connaturalis, quid opus fuisset Apostolo adjicere, *si habeat potestatem in voluntatem suam.* Innuit ergo Apostolus aliquando accidere ut quis non habeat potestatem in voluntatem suam. Immò id apertè significat Apostolus, vult enim patres eos qui non habent potestatem in voluntatem suam, collocare nuptum filias suas. Atque inde patet Apostolum eo loco non agere de naturali libertate voluntatis, sed de ea libertate quæ aliquando inest voluntati, aliquando non. Nam quæ voluntati congenita sunt, ea non possunt abesse sine ipsius voluntatis interitu. Itaque aliud voluerit Apostolus: Nempe nomine *voluntatis* intellexit actus voluntatis imperatos, qui in hoc genere semper sunt in potestate patris, si nempe uti voluerit summo jure, ijdem non sunt semper in potestate patris, si uti voluerit ὁμιλίᾳ: verbi gratiâ, Potest pater dotem filiæ negare, atque ita privare matrimonio, at id est abuti jure paterno, si ea filiæ conditio est ut opus habeat nubere. Dicitur ergo pater habere potestatem in voluntatem suam, cùm quod is vult id ipsum vult filia; contrà, non habet potestatem in voluntatem suam, quum aliud filia vult, aliud pater, vel etiam quum aliud exigit commodum filiæ, aliud τὸ velle patris, quod eo loco Apostolus vult cedere necessitati. Apostolus ergo hæc duo requirit in ijs patribus qui constituunt non dare filias nuptum: primò, ut in hoc consilio non fluctuet eorum animus, sed sit constans & firmus, id est ut non distrahatur, quod ijs solet evenire qui idem quodammodo volunt & nolunt, quomodo Syrus Interp. accepit illa verba μὴ ἔχων

ἀνάγκην, quæ ipse reddit, & *non coëgerit eum voluntas*, voluntas enim tum cogere dici potest, quum volumus aliquid vehementius quàm nolumus, tametsi id nolumus, ita ut, ex sententia Syri Interpretis, Apostolus jubere videatur, eos patres cavere ne filias collocent nuptum, qui vehementius cupiunt filias vivere cœlibes, quàm cupiunt nuptum dare, etsi id cupiant, quod & confirmari videtur verbis Apostoli, ὃς δὲ ἑδραῖος ἕστηκε, *qui manet obfirmatus*. Alterum quod in patribus hîc requirit Apostolus, hoc est, Ne putent rem esse arbitrij sui, sed pendêre aliunde, nempe à statu & conditione filiæ & temporum.

In EPIST. I. ad COR. Cap. VIII. ℣. 4.

ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν τῷ κόσμῳ.] Agit hoc loco Apostolus de cibis, qui puri vel polluti censeri debeant; & discutit an liceat ex Idolothytis comedere. Ait autem idolum non esse ejusmodi quod cibos vel polluere, vel puros efficere possit, & hoc innuit locutione illâ, *Idolum nihil est in mundo*, cui Deum opponit, qui solus id efficere potest, quod sub Veteri Testamento evenisse cernimus. At sub Novo Testamento alia ratio est, evanuit enim cultus Cęremonialis. Quare licet comedere ex Idolothytis, cùm Idolum cibos ex puris pollutos reddere nequeat. Addit autem Apostolus non semper, nec intempestivè hac libertate & potestate esse utendum: ait enim ℣. 7. ἀλλ' οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις, *non in omnibus est scientia, nam nonnulli idoli conscientiâ usque nunc ut Idolothytum comedunt, quorum conscientia, cùm sit infirma, polluitur:* Quæ verba ostendunt veram esse interpretationem quam attulimus, particula enim ἀλλὰ *adversativa* est. At quæ fuerit oppositio nisi ea qua statuitur nonnullos existimare Idolum jus seu potestatem habere ut cibos pollutos efficiat, alios vero contrà sentire. Porro & *Idolum nihil esse* dupliciter dici potest, vel respectu *significationis*, & sic falsum est Idolum nihil esse, vel respectu *rei significatæ*, & sic idolum potest nihil esse, nempe, illud quod adhibetur ad repręsentandam rem quæ reverâ nunquam fuit, fingitur tamen fuisse. Sed non est tamen hoc loco hæc Apostoli mens.

In EPIST. I. ad COR. Cap. IX. ℣. 1.

οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος, &c.] Prophetarum, Patriarcharum, etiam Mosis vocatio fuit quidem extraordinaria, quin & istius planè singularis, quę nulli mortalium pręterquàm ei uni contigit. At verò Apostolorum vocatio illam longo superavit intervallo, Prophetæ enim & Patriarchæ visionum, somniorum, Enthusiasmorum, &c. interventu mittebantur; Apostoli vero ipsius Dei Filij voce missi sunt, quem nimirum alloquentem στόμα πρὸς στόμα, sine ullo involucro visionis & somnij, apertè & summa cum comitate audiverunt. Dominus, inquam, noster Iesus Christus ὁ Θεὸς φανερωθεὶς ἐν σαρκὶ, Deus idem & Homo, quem qui vidit & Patrem vidit, nullius Angeli operâ, per nullius obtentum veli, ipse im-

mediatè Apostolos suos misit. Atque hoc Apostolico muneri tam arctè conjunctum est, tamque (ut ita loquar) essentiale, ut dum Paulus authoritatem Apostolatus sui asserit, non alio potius hîc usus sit argumento, *Non sum*, inquit, *Apostolus? non sum liber? non vidi Dominum nostrum Iesum Christum?* q. d. *Quid? Est-ne quisquam qui in me jus habeat? Mea-ne est eadem quæ cæterorum Ecclesiæ doctorum conditio, in quos Apostoli jus habent, cùm viderim Dominum Iesum, & hoc demum pacto fuerim vocatus?* Huc pertinet quod Act. 10. 41. testatur Petrus, Christum non toti populo indiscriminatim apparuisse, sed certis quibusdam testibus *προκεχειροτονημένοις, quos antea elegerat.* Nimirum ea Apostolatus prærogativa, id privilegium fuit.

In EPIST. I. ad COR. Cap. X. ℣. 2.

καὶ πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο, &c.] Omninò significans est hæc locutio, *baptizati sunt in Mosem.* Si enim hoc tantùm Apostolus notavit, *baptizati sunt Ministerio Mosis*, videtur hoc admodum frigidum, nam in Ecclesia quotidie ministerio Pastorum baptizantur infantes, &, si ferat occasio, adulti. Nemo tamen dixerit infantes aut adultos baptizari in eos quorum ministerio baptizantur. Imò verò (quod haud dubiè multò gravius est) *ut nequis dicat* (inquit Paulus 1. Cor. 1. 15.) *me in nomen meum baptizare.* Quid igitur est? nempe Moses Mediator fuit, sed typicus Mediator, (id quod nulli contigit præter Mosem) nam Christus verus Mediator fuit: Typicæ verò Mediationis typica signa fuere, baptizati ergo in Mosen typicè Israëlitæ dicuntur. Sed hîc oritur gemina quæstio, & prior quidem, *Quomodo in nube & in mari baptizati fuerint Israëlitæ*, nam nec aquâ maris tincti fuere, neque nube madefacti. Deinde, ut maximè aquâ tincti fuissent, nubeque madefacti, cùm Mare & Nubes res spirituales significarint, certè perperam videbuntur dici (absit blasphemia dicto) *baptizati in Mosem*: Quum enim agitur de rebus spiritualibus, atque pertinentibus ad vitam cœlestem, signa nullius hominis (simpliciter, inquam hominis) nomine exhiberi jure possunt. Itaque in Baptismo mentio fit Patris & Filij & Spiritus Sancti, propterea quod unus Deus est in quem baptizamur, quamquàm Baptismus res sit externa, externus, inquam Baptismus. Vtraque hæc quæstio nobis definienda est, ac primo quidem loco posterior hoc pacto.

Transitus per mare, & *Nubes* duobus modis considerati possunt, vel ut *Signa*, vel ut *Causa*. Si ut *Signa* considerentur habent Sacramenti rationem. Signa autem fuerunt quibus Deus probavit Mosem esse Liberatorem & Mediatorem. Itaque eo loco, ubi fit mentio transitus per mare, dicitur populus *credidisse in Deum & in Mosem.* Exod 14. 31. neque verò eo nomine reprehenditur populus, quin potius certo consilio id notatur. Nam & Exod. 19. 9. Deus ipse sic loquitur, dum commendat

mendat authoritatem quam Mosi tribuerat, *Ecce veniam ad te in crassa nube, ut populus audiat quum ego te alloquar,* וגם יאמינו בך לעולם *utque credant in te in perpetuum.* Verùm ut diversa est Mediationis Christi & Mosis ratio, diversa etiam ratio est fidei in Mosem & in Christum, tam diversa, inquam, quàm umbra à corpore, imago à re, & denique cœlum à terra, & verò res finitæ ab infinitis, unde sequitur nullam esse (ut loquuntur) proportionem fidei in Mosen & in Christum. Sin transitus per mare & Nubes ut *causæ* considerentur, rationem habent typorum. Nam Typus hoc differt à Sacramento, quod Sacramentum nullum alium habet usum quàm ut significet & obsignet, verbi gratiâ, non baptizamur ut abluantur sordes corporis, nam domi id posset fieri multò commodius, neque verò quum accedimus ad sacram Cœnam, consilium nostrum est ut edamus & bibamus. At Typorum diversa ratio est, nam significant illi quidem, sed & alium habent usum. Vt ne abeamus longius. Transitus per mare significabat quidem liberationem quæ nobis obtingit per Christum, sed & aliquid præstabat reverâ, nempe ut pateret exitus populo Israëlitico, qui aliâ viâ non potuit patêre. Sic igitur (ut hæc accommodemus ad institutum) se res habet. *Transitus per mare & Nubes,* ut Sacramenti, hoc est, Signi rationem habuerunt, obsignarunt Mosis ministerium, & confirmarunt hactenus populi fidem, qua credebant Mosem esse Mediatorem. Neque verò inde efficitur, continuò, Transitum per mare & Nubem hoc pacto fuisse rei spiritualis Sacramenta: Etenim Mosis ministerium non fuit spirituale, sed carnale: Hactenus verò duntaxat populus dicitur tum *credidisse,* tum *baptizatus esse in Mosem*; In quo nihil est absurdi, nam quum agitur de liberatione spirituali nefas est in ullum baptizari præter Christum Mediatorem, at ubi agitur, de liberatione carnali, qualis fuit Israëlitarum Mosis ministerio, dispar ratio est, nam qualis liberatio est, talis est Baptismus: Qui Iohannis Baptismate erant tincti, dicuntur quidem baptizati fuisse *in baptisma,* (hoc est baptismate) *Iohannis*, attamen non dicuntur fuisse *baptizati in Iohannem*, & ratio est, quia Iohannis ministerium erat merè spirituale, nihil habebat carnale. Sic ergo unicum tantum habemus Mediatorem, verum, inquam, & spiritualem Mediatorem, illa tamen Mediatoris unitas non prohibet quominus & Moses Mediator fuerit, tantùm prohibet quominus verus & spiritualis sit Mediator. Quod si Transitus per mare, & Nubes non jam considerentur ut *Signa* Mosaïci ministerij, sed ut *Typi* & figuræ earum rerum quas Christus erat nobis exhibiturus, hoc pacto sanè diversam habent rationem: non sunt enim *sigilla* Mosaïci ministerij, sed *typi* officij, & beneficij Christi Mediatoris. At secundum hanc rationem non considerantur hîc ab Apostolo dum ait, *Patres baptizatos esse in Mosem*, sed secundùm priorem significationem.

Nam certè servitus Ægyptiaca, Moses, exitus ex Ægypto, Nubes, transitus per mare, Desertum, fames & sitis in deserto, alimonia, Manna, aqua profluens è Petra, prælia, introitus in terram Chanaan, terra ipsa Chanaan typi fuerunt servitutis spiritualis, Redemptoris, rationis qua redempti sumus, (quatenus fieri potuit) Mundi, Tentationum & Patriæ cœlestis. Et hæc quidem de posteriore quæstione.

Prior verò facilè dissolvi potest; Non enim ideò Israëlitæ dicuntur fuisse baptizati in mari & in nube, quod essent mari & nube abluti, quod fit in nostro Baptismo, sed quia Corinthij de Baptismo gloriabantur, nomen Baptismi indidit Apostolus ijs rebus, de quibus æquè licuisset Israëlitis gloriari ac Corinthijs de Baptismo. Quæ dicendi ratio petita est ex consuetudine vitæ humanæ: verbi gratiâ, (nam hîc crassis utendum est exemplis, & quæ ipsos sensus feriant) si quis glorietur se nobilem esse, qui vera virtute præditus est respondebit & se esse Nobilem; nempe hoc vult tantùm significare, tantùm se habere quantum haberet si Nobilis esset; vel (ut res clarius dicatur) si quis glorietur de pecunia, alius respondebit & se pecuniam habere, qui tamen fortè pecuniam non habet, sed quod exæquet pecuniam id verò habet. Non fuit ergo hæc mens Apostoli, verè & propriè baptizatos fuisse Israëlitas, tantùm hoc voluit, æquè licuisse Israëlitis gloriari de Nube & transitu per mare, ac Corinthijs de Baptismo: ut fuerit hæc Apostoli mens, *Nolite ideò certò statuere vos adituros terram Chanaan, quæ est in cœlis, quod eorundem estis participes Sacramentorum, nam qui eorundem participes fuere Sacramentorum inter Israëlitas, non fuerunt pariter introducti in terram Chanaan.* Quamquam dubium non est quin Apostolus ex omnibus illis signis (plura autem fuere) quibus Mosis ministerium confirmatum fuit, ea præcipuè delègerit quæ quod ad ipsam materiam attinet, similitudine quadam cum Sacramentis Ecclesiæ Christianæ convenirent; nam Nubes paululum distat ab aqua, Mare verè jam aqua est. Attamen ne Apostolus videretur hærere in designatione Sacramenti carnalis, hoc eodem capite monet hæc ad Christum esse referenda, nam *Petra* (inquit) *erat Christus*. Itaque ista ad Mosem relata, carnalia erant, & carnalis Mosaïci ministerij sigilla sive Sacramenta, ad Christum autem relata, spiritualia fuerunt, beneficiorum nempe Christi spiritualium Typi. Cæterùm ad Christum relata similitudinem quandam cum re significata habent. Nam Nubes typus erat Spiritus Christi, quo fit ut hostes in pijs nihil agnoscant præter stultitiam & meras tenebras, nam nubes illa hostibus Israëlitarum caligo fuit, Israëlitis verò lux, tum illius Nubis vi fiebat ut vinci ab hoste non potuerint Israëlitæ; denique adversus æstum Solis umbra fuit, noctu verò lux, rationem similitudinis nihil opus est reddere, nam proclivis est. Sic per Mare patuit exitus populo Israëlitico,

eodemque mari mersi sunt hostes populi Israëlitici. Idipsum præstitum est verè, & sine typo, effusione sanguinis Christi: Christus enim morte sua vicit hostes nostros, & nos præstitit incolumes.

ỳ. 4 ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ χριστός.] Hinc liquet Christi beneficium pertinuisse etiam ad Iudæos, contra quam sentit Socinus. Nec est quod quis pro eo excipiat, Petram fuisse Christum nobis, non fuisse autem Iudæis, hoc est, Petram significasse Christum, quatenus noster est, non autem quatenus pertineret ad Iudæos. Nam pugnat hoc cum Apostoli scopo, qui vult probare eodem genere peccati peccare Christianos & Iudæos olim, nempe quod aspernentur tam hi, quàm illi, symbola gratiæ Dei in Christo. Itaque illud inservit orationi, *Petra autem erat Christus*, nempe ut Christianis auferat materiam gloriandi, eo quod sacramentorum Christi participes facti sint, cùm hoc non fuerit, olim negatum Iudæis, quique non fuerunt continuò immunes ab ira Dei, ut & Christianorum eadem sit conditio. Itaque non esse gloriandum in rebus externis, sed cavendum ne ijs abutamur: quæ ratio nulla erit si sacramenta Iudæorum non exhibebant Christum.

ỳ. 9. καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν. Doctissimus Interpres existimat particulam καὶ redundare, quod profectò nemo possit satis mirari, cùm non possit ea detrahi nisi tota sententia mutetur: Non enim Apostolus sic simpliciter dissuadet, ac dehortatur Corinthios ne Christum tentent, sed eos etiam deterret exemplo Israëlitarum in deserto, qui & Christum tentarunt. Profectò si simpliciter dixisset, *qui Christum tentarunt*, potuisset id durius dictum videri, cùm Christus nondum esset natus eo tempore, at hoc ita emollit Apostolus ut affirmet etiam tum exstitisse Christum. Et certè si hæc particula καὶ detrahatur, erit locus obnoxius cavillationi Hæreticorum, qui contendunt sic intelligendum hunc locum, *ne tentemus Christum, quemadmodum eorum nonnulli Deum tentarunt*. Itaque negant ex hoc loco probari posse Christum esse Deum. Neque verò illis satisfeceris si respondeas, quod annotavit doctissimus Interpres in quibus exemplaribus legi αὐτὸν, non verò αὐτῶν. Nam ut illud taceam quod non caret periculo, in Disputationibus quæ instituuntur adversus Hæreticos, elevare fidem codicum, nulla fuerit sententia, *Ne tentemus Christum, quemadmodum quidam tentarunt Christum*: præsertim cùm superioribus versibus facta sit mentio Israëlitarum. Quod si locus esset conjecturæ, statuendum potius foret utrumque olim fuisse scriptum αὐτὸν & αὐτῶν, sed lapsu temporis alterum in quibusdam codd. excidisse, alterum hæsisse. At si vis particulæ καὶ spectetur, neque verò habeatur pro redundanti, necessariò sic erunt accipienda verba Apostoli, ac si vellet (quod sanè vult) Christum tentatum esse ab Israëlitis in deserto; quorsum enim

attinuiſſet dixiſſe, *quemadmodum &*, cùm in priori membro nulla Dei, ſed Chriſti mentio facta fuerit, certè non modò frigida, ſed abſurda planè ſententia eſt, *ne tentemus Chriſtum quemadmodum & eorum nonnulli tentarunt Deum.* Deinde, non eſt dubitandum quin Apoſtolus reſpexerit ad id quod ſcriptum eſt Exod. 23. 21. quo loco Deus agit de Angelo quem præfecerat Ducem Iſraëlitarum in deſerto, his verbis, *Cave tibi à facie ejus* (ſimpliciter intellige,) quandoquidem ille adeſt inſpector, cautè te gere, ne committas quod ejus oculis non ſit gratum) *audi verba ejus, ne irrites eum, non enim parcet tibi, neque remittet tibi peccata, nomen enim meum eſt in illo,* hoc eſt, is eſt per quem tibi adſum, meus Legatus. Omninò hæc ſunt hujuſmodi ut nulli Angelo creato convenire poſſint. Haud dubiè hîc Angelus fuit Chriſtus, atque idem ille qui Eſai. 63. 9. dicitur *Angelus faciei Dei*, nam Angelus creatus in Scriptura non eſt ea dignitate ut dici poſſit *irritari*, aut *tentari*. Deinde, nulli creaturæ Scriptura tribuit poteſtatem remittendi peccata, niſi fortè Miniſtris Evangelij ob miniſterium. Atqui hic Angelus deſcribitur qui remittit peccata, ut Chriſtus. Nam quod excipit Hæreticus, ſcriptum quidem à Paulo, *Ne tentetis Chriſtum, ſicuti nonnulli eorum tentarunt*, at non eſſe ſcriptum, *ſicuti nonnulli eorum tentarunt Chriſtum*, id verò futile eſt planè, nam hujus ellipticæ locutionis plurima exſtant exempla in Scriptura, ſic Ioh. 8. 56. *Abraham cupivit videre diem meum, & vidit*, non eſt repetitum, *& vidit diem meum*, ſed ſubintelligitur. Et nos poſſemus viciſſim quærere ex Hæretico, cur non additum fuerit *ſicut quidam eorum tentaverunt Deum.* Certè, ſi ea eſt hujus verſus ſententia quam ei affingit Hæreticus, non poteſt reddi ratio hujus ellipſeos; at ſi ea eſt ſententia loci, ut eſt, quam nos tradidimus, poteſt reddi ratio ellipſeos, multo enim inſolentior locutio fuiſſet nomen Chriſti; ut illud interim taceamus, quod ab alijs obſervatum eſt, αὐτῶν & αὐτὸν gignere hiatum in oratione, ſi jungantur ſimul: porrò αὐτῶν neceſſarium erat; non enim omnes Iſraëlitæ in deſerto tentarunt Chriſtum, ſed quidam duntaxat.

℣. 13. πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν εἰ μὴ ἀνθρώπινος.] *Tentatio* hoc loco afflictio eſt, nam quod vir maximus *tentationem* hic interpretatur, peccatum, videtur pugnare cum verbis Apoſtoli, qui tolerantiæ hoc loco meminit, non enim tolerari peccatum, ſed afflictio dicitur. Id verò quo videtur permotus ut tentationem hoc loco ſic acciperet, non videtur uſque adeò magni momenti; nam ait Apoſtolum ſuprà reprehendiſſe ob delictum Corinthios, & graviter objurgaſſe; itaque contendit opus fuiſſe conſolatione, unde ſcilicet profectum fuit ut elevarit eorum peccatum quodammodo, atque extenuarit. *Tentatio vos non cepit niſi humana*, hoc eſt, quod eſt à vobis patratum, profectum eſt ab infirmitate carnis. Nam cur non potius arbitremur Apoſtolum ob-

viam ire excusationi, quàm Corinthij potuerant non sine specie prætexere peccato, quod nempe inter vos versarentur quibus aliquid erat dandum, cùm Christiano nomini usque adeò essent infesti, ut qui erant leniendi & demulcendi, ne oriretur in Ecclesia persecutio; Id quod sic diluit Apostolus, *Nihil vobis contigit ab Adversarijs religionis Christianæ, quod vobis debuerit incutere terrorem, aut verò in posterum incutere debeat, cùm Deus ita suis prospiciat ut ne patiatur eos tentari, hoc est, affligi supra vires, magnæ calamitates, magnæ patientiæ documenta sunt, quam patientiam suis Deus haud negat.* Cæterùm, afflictiones, *tentationes* nominari in Scriptura satis constat. Sic nempe Iacobus loquitur Epistolæ suæ Catholicæ cap. 1. 2. *Pro summo gaudio ducite fratres, quoties in tentationes varias incideritis.* Et 1. Petr. 1.6. *Qua in re exultatis, ad tempus tristitiâ affecti in varijs tentationibus.* Planè afflictiones notavit. Sed quæritur, quid sit illud *humana tentatio.* Profectò *tentatio* (hoc est afflictio) *humana* est exacta ad modum virium humanarum, ut ea sit *tentatio humana*, quæ viribus humanis non est major: *Vires autem humanas* hîc non voco eas quæ ab humanis viribus proficiscuntur, sed quas in hac vita Deus, siquando opus est, hominibus indulget. Imo verò & *humana tentatio* dici possit ea, quæ non superat eorum cruciatuum gravitatem quos, quum agitur de rebus sæculi, non detrectant tolerare ij quorum spes omnis in sæculo est, ut fuerit hæc Apostoli mens; *Quid vobis ô Corinthij, gravius contigit in causa religionis quàm quod hominibus solet quotidie contingere?* At si quis requirat hujus locutionis rationem, ea certè petenda erit ex usu Scripturæ. Verba nempe fœderis, quod Deus pepigit cum Davide, hæc sunt 2. Sam. 7. 4. *Visitabo in virga hominis iniquitates eorum, &c.* In Scriptura frequenter occurrit ejusmodi locutio, ut quum *hominis esse* dicuntur ea quæ sunt accommodata ad vires humanas. Sic Esa. 8. 1. *Scribe stylo hominis*, hoc est, stylo quo litteræ sic imprimantur, ut à quolibet quod scribitur legi possit. Contra, quæ sunt excelsa, quæque rapiunt in admirationem, ea *Dei esse* dicuntur, ut quum Scriptura quosdam montes vocat *montes Dei*: item quum Moses dicitur *pulcher à Deo*, hoc est, insignem in modum pulcher.

℣. 14. πιστὸς ὁ θεός, &c.] Hinc liquet fideles posse esse certos se perseveraturos, quia (ut ait hîc Apostolus) *Deus in tentatione dat illis semper exitum*, quæ verba sunt notanda. Nam quod nonnulli excipiunt, *Deus si credidero dabit exitum*, nugatorium est, idem enim est ac si diceretur, *Deus si dabit exitum dabit exitum*, nam *fide perseverare*, est adipisci exitum. Itaque fideles, qui implorant Dei auxilium, petunt ab eo ut semper credant, Deus autem non dat illis quod petunt, nisi det ut semper credant. Certè piorum nemo à Deo petit ut possit

credere si velit, sed ut semper credat, itaque vel Deus non exaudit eorum preces, ut dat illis ut semper credant. Falsum itaque est quod docent Pontificij, & Novatores, de Perseverantia.

In EPIST. I. ad COR. Cap. XI. ℣. 10.

ἐξουσίαν ἔχειν διὰ τοὺς ἀγγέλους.] *Potestatem* pro velamine hîc esse positum omnes consentiunt, at quid sibi velit *propter Angelos*, in eo verò discrepant Interpretes ut qui maximè. Simplex sensus hic esse videtur, ut Apostolus hortetur mulieres ad gestandum velamen in capite, aitque naturam ipsam hoc docere; sed quoniam fortasse causari potuissent viris id gratum esse ut aperto capite incederent, sic occurrit ut dicat, si hominum causâ velamen non gestent, saltem capue velent *propter Angelos* qui præsentes sunt, easque conspiciunt, quorum oculis (sit fas ita loqui) probrosum & inhonestum id videtur, ut aperto capite incedant. Quod autem nonnulli per *Angelos*, malos hîc intelligunt Angelos, id profectò nulla subnixi ratione faciunt. Cùm Angeli mali id moliantur & studeant ut Ecclesiam in lupanar, si fieri possit, transforment, si hoc spectasset hoc loco Apostolus, omnino Angelos malos odioso nomine hîc indigitare debuisset, potius quàm ista *Angelorum* gloriosa appellatione, & *Diabolos* vocare, non Angelos, ut Corinthijs mulieribus horrorem incuteret, & absterreret à vestitu parùm verecundo, utpote quam occasionem Diaboli avidè arrepturi essent ad eas ad scortationem propellendas. Nullius verò momenti est quod aiunt, hujus Epist. cap. 6. 3. Diabolos *Angelos* vocari ab Apostolo, nam Paulus eò loci vult fidelium dignitatem commendare, quod profectò non tam illustrè fecisset si malos spiritus *Diabolos* vocasset, quod nomen est contemptus: At hîc dispar omnino & contraria est ratio, uti ostendimus.

℣. 8. συνερχομένων ὑμῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.] *Ecclesia* hic non locum (uti nonnulli arbitrantur) in quo convenitur, sed cœtum significat: Nam etsi non soleat dici *convenire in conventum*, attamen *convenire in Senatum* dicitur, quamvis Senatus conventus sit, & *convenire in Synodum*, quamvis Synodus conventus sit. Certè quum queritur Cicero Catilinam ausum fuisse venire in Senatum, non intellexit *Senatus* nomine locum, sed conventum Senatorum: neque enim in quocumque loco Senatores unâ sunt, *Senatus* est, sed quotiescumque conveniunt deliberandi causâ, *Senatus* dicitur. Et ubicumque Pastores Ecclesię simul sunt, non continuò Synodus est, nisi deliberandi causâ de rebus Ecclesiasticis convenirent. Pari ratione, non ubicumque pij unâ sunt *convenisse* dicuntur *in Ecclesiam*, sed ubicumque tandem sunt religionis causâ, coiisse dicuntur in Ecclesiam. Itaque *in Ecclesiam* additum est τῷ συνέρχεσθαι, ad designandam conventus rationem & conditionem, quæ designatio unicè facit ad rem quam Apostolus agit. Vult enim

argumentum ducere Apoſtolus à ſanctitate conventus [à ſanctitate loci neutiquam] ad Corinthios à diſſenſionibus abſterrendos: Nam in omni ſanè conventu diſſidia fugienda ſunt, at deteſtanda in conventu Eccleſiaſtico, qui inſtituitur religionis causâ, multo vehementius.

℣. 19. ἵνα οἱ δόκιμοι.] Δόκιμοι hîc ſunt illi qui Rabbinis dicuntur בחונים, ut quum dicunt Abrahamum, Iacobum, &c. fuiſſe בחוני יהוה δοκίμους τοῦ θεοῦ. Sic Kimhi in Hoſ.1.2. בני בחוניך הם בני אברהם יצחק ויעקוב *filij ſunt à te probatorum, filij*, inquam, *Abraham*, &c. Quin & Herodoto lib. 1. c. 65. Lycurgus vocatur vir δόκιμος, *probatus* & Dejoces item, c. 96.

℣. 20. συνερχομένων ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτό.] Συνέρχεσθαι duobus modis dici poteſt, vel ut de ſingulis ſeorſim ſumptis dicatur *diſtributivè*, vel ut de omnibus ſimul ſumptis dicatur *collectivè*. Poſterius hoc dici non poteſt, nam congregatio non congregatur, ſed congregata eſt, at de ſingulis ſeorſim coeuntibus id verò & verè, & eleganter dicitur. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ autem hîc non ſignificat locum [quod nonnulli contendunt] ſed perſonarum conjunctionem, ut ſit ſenſus, συνέρχεσθαι ἐπὶ τὸ αὐτὸ *convenire ſimul*, nullâ habitâ loci ratione, licet impoſſibile ſit ſimul convenire qui non ſint eodem loco: ſed horum tamen alterum prius eſt, alterum poſterius. appetitur enim locus propter conjunctionem, non conjunctio propter locum. Neque hæc locutio nova eſt, ſed uſitata, nam Heb. יחד cùm de conventu agitur, reſpectum notat non perſonarum inter ſe. Iam vero LXX. Interp. exponunt ἐπὶ τὸ αὐτὸ, hoc eſt, *ſimul*, ut quum quod ſcriptum eſt Pſalm. 2. 2. נוסדו יחד vertunt συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτό. Sic & יחדו vertunt ἐπὶ τὸ αὐτό. Iam verò יחדו perſonarum certè conjunctionem notat, quod ex affixo facilè colligi poteſt. Itaque ἐπὶ τὸ αὐτὸ eſt Latinè *unà*, additum ἐμφάσεως causâ, quod faciebat vel maximè ad obtinendum quod Apoſtolus ſtudet, ut ἐπὶ τὸ αὐτὸ hîc ſit ἅμα ὁμοθυμαδὸν. Turpe enim eſt eos, qui ut conjunctim de re magna agerent convenerunt, inter ſe diſſentire, & quod gravius eſt, damnoſum & impium. Itaque ἐπὶ τὸ αὐτὸ perſonarum unitatem, non identitatem loci deſignat, quanquam illa hanc ſequitur.

℣. 22. ἢ τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ καταφρονεῖτε.] *Eccleſia* hîc privatis ædibus non opponitur [uti nonnulli exiſtimant] tanquam locus loco, & quidem locus publicus loco privato, niſi fortè ſecundùm Grammaticam [ut ita loquamur] oppoſitionem. At non quæcumque hoc modo opponuntur ea etiam Logicè opponuntur: verbi gratiâ, Si quiſpiam ſit qui in publico facit quod domi factum oportuit, ſic eum ſolemus objurgare, *Non tu ædes habes? non in ædibus eſt quo poſſis ſecedere? ita contemnis civitatem?* Sanè *civitatis* nomine non plateas urbis, ſed ora civium, qui in publico verſantur, intelligit. Itaque non opponuntur hîc Logicè *aliquid hoc loco & illo loco facere*, ſed *his inſpe-*

ctantibus, & illis inspectantibus, vel *nullis inspectantibus*. Atq; hanc fuisse Apostoli mentem, verba quæ continuò subjungit epexegetica satis demonstrant, *Num*, inquit, *pudore afficitis tenuiores?* Quid est igitur *Dei Ecclesiam contemnere?* Est ruborem & pudorem conciliare pauperibus & egenis, qui magnam Ecclesiæ partem constituebant. Sic infrà c. 14. 15. interdicit Apostolus mulieribus ne in Ecclesia loquantur, & statim addit, *quod si velint aliquid discere, domi viros suos interrogent.* Profectò non opposuit locum loco nisi Grammaticè, Logicè non opposuit, non enim nefas est ut mulier loquatur in eo loco quo religionis causâ convenitur, sed in conventu Ecclesiastico publico. Itaque & hîc *Ecclesia* significat cœtum Ecclesiasticum.

℣. 23. ἐγὼ παρέλαβον.] Vtraque locutio, & quod dicit, *quod accepi à Domino*, & quod ait, *tradidi vobis*, Hebraica est. Sanè Latinè quidem dicimur *ea accipere* quæ audimus, sed quando sermo est de rebus gestis. At Linguâ Hebraicâ vel Chaldaicâ *accipere* audire est ita ut discas, &, si res spectat ad actionem, efficias quod audivisti. Itaque quum Prophetæ hortantur Israëlitas ut audiant verbum Domini Chald. Paraphrastes sic reddit, *ut accipiant*. Quare quod dicit Paulus *se accepisse à Domino quod ipsis tradiderat*, nihil aliud vult, quàm quod didicerat, & sibi præscriptum fuerat faciendum Christo docente, se ipsis tradidisse.

Ibid. ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν.] Locutio est etiam usurpata in Ecclesia Iudaïca, qua *tradere* significat docere; hoc nempe vult Apostolus, *Quod ego didici Christo docente, id vos docui.* Vnde verba illa apud Iudæos jam ab ipsis in alienum detorta sensum קבלה & מסורת: nempe קבלה est *acceptio*, מסורת *traditio.* Hoc ergo Paulus vult, *Quod præscripsi vobis faciendum, hoc non confinxi pro ingenio, sed ut accepi & didici à Domino, eadem animi puritate id vos docui.*

Ibid. ἧ παρεδίδοτο, hoc est,] *Traditus est*, Hoc verbum non illam habet significationem hoc loco, quam videtur habere in Lingua Gallica, nempe *trahir*, Nam *tradere* Linguâ Hebraicâ, non est *prodere*, sed *tradere ad mactandum.*

In EPIST: I. ad COR. Cap. XII. ℣. *10.*

ἄλλῳ δὲ διάκρισις πνευμάτων] Hoc donum nihil aliud fuit, quàm extraordinaria facultas à Deo indita, detegendi & redarguendi phanaticos spiritus. Hoc est quod Apostolus alibi docet ἐλέγχειν; quod temporibus Ecclesię primitivæ in cœtibus, etiam privatis hominibus obtingebat, haud dubiè non sine admiratione, non est enim cujusvis convincere Adversarium, & si quando id contingat homini indocto, & cæteroqui hebeti ingenio, res non caret admiratione.

Ibid. ἄλλῳ δὲ ἑρμηνεία γλωσσῶν.] Hinc concludunt Pontificij, penes Ecclesiæ arbitrium esse interpretationem Scripturæ; Sed ridiculè, cùm eo in

eo in loco non agitur neque de Concilio, neque de Papa, ſed de donis extraordinarijs, etiam privatis hominibus indultis, certè ſingulis ſeorſim. Deinde, non agitur eo loco de tradenda vera Scripturæ interpretatione, ſed de interpretatione γλωσσῶν. Denique agitur eo loco de dono miraculoſo, nam multi linguis loquebantur, qui non potuerunt tamen linguâ vernaculâ explicatè enuntiare quæ erant prolocuti, unde illa hortatio Apoſtoli infra, cap. 14. 13 *oret ut interpretetur*, hoc eſt, qui linguâ utitur exoticâ & peregrinâ, oret Deum ut poſſit quæ eâ linguâ effatus eſt, interpretari. Sæpè etiam accidebat ut qui peregrinâ linguâ uti non potuit peregrinâ linguâ loquentis mentem interpretabatur, id quod miraculi magnitudinem augebat.

In EPIST. I. COR. Cap. XIII. ℣. 2.

ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν, &c.] Bellarminus hinc conficere conatur, fidem miraculorum, qua montes transferuntur, eſſe excellentem & eminentem quendam gradum fidei juſtificantis. Nam, inquit, ſub finem capitis Apoſtolus ait, *hæc tria manere*, *Spem*, *fidem*, *Charitatem*, Cùm itaque ſub finem capitis agat de fide juſtificante [ut eſt in confeſſo] neceſſe eſt etiam ut de eadem agat initio capitis, quando diſputatio illa continua eſt, alioqui Apoſtolus diceret ἀνακόλουθα. Sed primò, nihil eſt quod nos cogat hoc Bellarmino concedere, de eadem fide agi ab Apoſtolo ſub finem capitis, de qua egit initio. Sed dato hoc tamen, etſi non conceſſo. ℞. ſecundò; Obſervandum eſſe phraſim qua uſus eſt Apoſtolus, initio enim capitis non dixit ſimpliciter, *ſi habeam fidem*; ſed, *ſi habeam omnem fidem*, ſub finem autem capitis non dixit, *nunc autem manet omnis fides*, ſed, *nunc autem manet fides*. Ergo initio capitis egit de omni fide, ſub finem verò de ea fide quæ *Fides* ſimpliciter dicitur. Quorſum autem iſta obſervatio? Nempe initio capitis hoc Paulus voluit, *Etiamſi omnis generis fidem habeam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Sub finem capitis tacitè negat omnis generis fidem manere, fides enim miraculorum temporaria fuit, quæ non diu manſit in Eccleſia. Iam verò *omnis fides*, πᾶσα πίστις pro omni genere fidei phraſis eſt Scripturæ familiariſſima. Si hoc eodem capite 13. eodemque verſ. 2. πᾶσαν γνῶσιν dixit Apoſtolus pro *omni genere cognitionis*, & 2. Cor. 1. 4. πάσῃ θλίψει eſt *omne genus afflictionis*.

Ibid. ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω.] Hinc videtur confici fidem juſtificantem ſeparari poſſe à charitate. At non id ſequitur tamen, eſt enim hæc locutio illi ſimilis quæ eſt Galat. 1. 8. *Si vel ego, vel Angelus de cœlo aliud Evangelium vobis annunciet, ſit Anathema.* Ejuſmodi nempe locutiones, cum ſint hypotheticæ, nihil poſitivè ſtatuunt. At quærat aliquis, ſi fides & charitas inſolubili nexu ita inter ſe conjunctæ ſunt ut à ſe invicem ſeparari non poſſint, cur Apoſtolus ſic ſit locutus,

Si habeam fidem, & charitatem non habeam. Et ego vicissim quæro, Cùm esse anathema à Christo, ab eo separari, & eum odisse, in homine mortali sint nexu insolubili indivulsa, quî fieri potuit ut Paulus Rom. 9. 3. alterum horum optaverit, nempe *esse anathema*, alterum autem quod ei cohæret, nempe *separari à Deo* execratus sit? Nempe, hæc sunt ejusmodi ut licet separari actu non possint, alterum tamen possit sine altero concipi.

ỽ. 6. *οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ.*] Hoc est, si quis deprehensus est reus, charitas non hinc petit lætitiæ, sed tristitiæ potius materiam, quod si compertum est quempiam esse innocentem qui suspectus fuerit de scelere, gaudet charitas, ubi notandum est *ἀλήθειαν* & *ἀδικίαν* opponi, nempe *ἀλήθεια justitiam* significat, & pro *justitia* ponitur, quemadmodum *mendacium* pro injustitia, Rom. 3. 7. Mens ergo Apostoli hæc est, *Charitas pugnat cum ἐπιχαιρεκακίᾳ* vitium quo fit ut non modò gaudeamus aliorum calamitatibus hominum, sed etiam avidè bibamus rumores, & verò quum rumoribus subest veritas ea re impensè delectemur. Charitas verò facit ut simus patrum similes qui filiorum laudes facilè & lubentes admittunt, at verò vituperium, nisi re perspecta, non admittunt, &, si res est perspecta, gravissimè dolent.

ỽ. 7. *πάντα πιστεύει.*] Isto, (cum eo quod paulò ante præcessit versu 5. *οὐ λογίζεται τὸ κακὸν*, hoc est, *non suspicatur* de alio *malum*) videtur Apostolus nos revocare à dubitando, at quæstio est sanè gravis, quî fieri possit ut in hac naturæ corruptione, atque infirmitate, non sit justa & idonea causa dubitandi hac in parte; nam hoc negato videtur tolli à rebus humanis res planè necessaria, *exploratio aliorum*, quæ non modò inter pares locum habet, sed etiam inter eos quorum conditio dispar est, unde crebræ in Scriptura hortationes, ut probemus quæ objiciuntur nobis, ut est illud *omnia probate*, &c. tum jubemur quidem simplices esse ut columbæ, attamen prudentes esse instar Serpentum, quæ videntur pugnare cum charitate, cujus est *omnia credere*, & *non esse suspicacem*, minimè tamen pugnant. Aliud enim est *suspicacem esse* & *credulum*, aliud *omnia credere*, nam *suspicacem esse* & *credulum* extrema quædam sunt, *omnia* verò *credere* mediocritatem habet. Etenim ut quis dicatur suspicax tria ista intervenire necesse est: primò, ut qui suspicatur in deteriorem partem pronior sit: secundò ut quod in deteriorem partem pronior est proficiscatur ab amore sui, & odio proximi, aut certè contemptu, unde sequitur gaudium quoddam animi, si quod verum esse suspicio suasit reapse verum esse compertum est, id quod notavit Apostolus ỽ. præcedente *non gaudet injustitia, gratulatur autem veritati*, hoc est, si quis deprehensus est reus, charitas non hinc petit lætitiæ, sed tristitiæ potius materiam, quod si compertum est quempiam esse innocentem, qui suspectus fuerat de

ſcelere. gaudet charitas. Tertiò, ut quis habeatur pro ſuſpicaci requiritur ut nullum habuerit argumentum ſuſpicandi probabile. Credulitas verò vitium mentis eſt potius quàm morum, nam is demum credulus eſt qui non jam pronior eſt in ſequiorem partem, neque tantùm in eam propendet, ſed ruit potius ſine conſilio. At qui dicitur ab Apoſtolo *omnia credere*, is eſt qui in meliorem partem pronior eſt, maximè cùm nondum habuerit argumentum diverſum ſuſpicandi. Neque verò id prohibet quominus & eos tentet, hoc eſt, exploret, de quibus omnia credit, nempe qui ſic affectus eſt non tentat animo maligno, aut quod putet ineſſe illis quidquam mali quod gaudeat illis ineſſe, aut velit. Itaque qui *omnia credit* nunquam utitur tentatione niſi in cauſa gravi, quum res agitur magni momenti, quæ non eſt temerè ullius fidei, cujus ingenium non ſit tibi notum, committenda, ut ſi quis liberos velit alicui tradere in diſciplinam, eum tentat, hoc eſt, explorat ejus mores & doctrinam. Qui ſic tentant, animo benevolo tentant, conſcij ſcilicet imbecillitatis humanæ.

℣.12. *βλέπομεν γὰρ ἄρτι*, &c.] Hîc δι' ἐσόπτρου eſt במראה, nam מראה non *viſionem* modò, ſed & *ſpeculum* aliquando ſignificat, ἐν αἰνίγματι, h.e. בחידות, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, hoc eſt, פה אל פה *os ad os*, item & במראה, nam מראה etiam *vultum* & *faciem* ſignificat, alluſit nempe Apoſtolus ad locum Numer. 12. 6. *Si ſit Propheta inter vos, in viſione notum me faciam ei, in ſomnio alloquar eum: Non ita ſervus meus Moſes* (hoc eſt, non eſt ea conditio ſervi mei Moſis) *fidelis eſt in tota domo mea, ore ad os alloquar eum* (non verò in ænigmate) *& faciem & ſimilitudinem Domini contemplabitur.* Ad quem etiam locum alluſit idem Apoſtolus 2. Cor. ℣. 7. διὰ πίστεως περιπατοῦμεν, οὐ διὰ εἴδους. Vbi vetus Interpres reddidit *non per ſpeciem*, non malè, nam εἶδος omnino *ſpecies* eſt (porrò *ſpecies* eſt תמונה) πρόσωπον, ἢ εἶδος ἄξιον τεχνίδος, *per ſpeciem* igitur eſt בתמונה. Sed oritur hîc hæc quæſtio, cùm Apoſtolus, *videre in ſpeculo, in ænigmate* referat ad hanc vitam, *videre* autem *facie ad faciem*, item *ambulare per ſpeciem* referat ad vitam futuram, numquid negarit Moſem vidiſſe Deum πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, & *ambulaſſe per ſpeciem?* Sed viſio Dei duobus modis poteſt conſiderari, *abſolutè* & *comparatè*. Atqui nihil prohibet Dei viſionem eam quæ non eſt abſolutè *per ſpeciem, facie ad faciem*, comparatè tamen dici eſſe ejuſmodi. Nam major lux cum confertur cum minori, *lux* dicitur, minor lux *tenebræ*, nempe præ illa. Itaque cùm illic inſtituta ſit comparatio revelationis quæ Moſi obtigit, cum revelatione quæ obtigit reliquis Prophetis, non diſconvenit ut Moſi quæ obtigit revelatio, ea dicatur *non in ænigmate, non in viſione, neque per ſomnia fatidica* contigiſſe, ſed *per ſpeciem, & ore ad os* fuiſſe. At eadem ſi conferatur cum ea patefactione quæ obtinget in vita futura, omnino

Aa 2

ægnimatica fuit. Imò verò & ænigmatica fuit si conferatur cum revelatione Novi Testamenti.

In EPIST. I. COR. *Cap.* XIV. ℣. 15.

προσεύξομαι τῷ πνεύματι, &c.] Νοῦς non est hoc loco *voluntas*, sed *mens*, sive *intellectus*, quem *intellectum* Apostolus distinguit, imò opponit hîc τῷ πνεύματι *Spiritui*, quia *Spiritus* dicitur vehemens affectus qui rapit in admirationem;nam etiamsi habeat pro objecto intellectum, tamen majus aliquid esse dicitur quàm intellectus; significat nempe hoc loco intellectum ita affectum ut non possit distinctè explicare quæ concepit. Duobus enim modis afficitur intellectus humanus, & quidem à Dei Spiritu, quorum alter hujusmodi est ut quum intellectus sic afficitur, κατ' ἐξοχὴν *Spiritus* dicatur; alter quum intellectus sic afficitur ut dicatur simpliciter νοῦς *intellectus*. Ratio prioris affectus accedit ad Propheticam ecstasim, quamquam non est semper eadem cum illa; posterior accedit proximè ad nativam rationem mentis humanæ. Itaque si prior illa esset perpetua,non posset,in hac quidem vita,humanus animus tantam vim ferre.

℣. 32. πνεύματα προφητῶν προφήταις ὑποτάσσεται.] Pontificij hinc sic disputant. *Spiritus Prophetarum subjecti sunt Prophetis, atqui Esaiæ, Pauli,* &c. *Spiritus est Propheticus, subjectus est igitur Prophetis. Porrò Prophetæ Ecclesiastici sunt quos vocant.* Sophisma est. Non enim eo loco agitur de probatione Spirituum, sed de ordine qui servandus est in Ecclesia: Nam cùm apud Corinthios tumultuariè & confusè, prout quisque corripiebatur à Spiritu, institueretur Prophetia, Apostolus monet Prophetas esse Prophetis subjectos, hactenus ut siquis Propheta surgat ad dicendum reliqui taceant. Atque hanc esse Apostoli sententiam ratio subjecta facilè evincit, addit enim continuò Apostolus, *Deum non esse Deum confusionis, sed ordinis.* Et ℣. 31. *Potestis enim omnes prophetare per singulos, ut omnes discant,* &c. quæ sunt ἐξηγητικὰ eorum quæ sequuntur ℣. 32. cum 30. Non est ergo hęc Apostoli mens hoc loco, ut qui Propheta est pendeat à judicio alterius Prophetæ [sic enim cum Michea pessimè actum fuisset, & verò, ut blasphemavit quidam è Pontificijs, sic Spiritus Ecclesiæ judicio subjiceretur] sed hoc tantùm vult Apostolus, ut ne qui Prophetæ sunt omnes loquantur simul, sed [ut subjicitur eodem loco] omnia fiant κατὰ τάξιν, *ordine*, & uno loquente Propheta cæteri sileant etiamsi illos cœperit impetus.

In EPIST. I. *ad* COR. *Cap.* XV. ℣. 22.

ὥσπερ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσι.] Instituitur hîc comparatio inter duo summa generis humani capita, carnale unum, alterum spirituale, ita ut Apostoli sensus hîc sit simplicissimus, *Vti omnes qui oriundi sunt Adamo naturæ ordine, in eo moriuntur, ita qui Christo oriundi sunt omnes in eo vivunt,* ij scilicet, *qui non sunt nati ex carne & san-*

guine, aut ex voluntate hominis, sed ex Spiritu Sancto. Ioh. 3. qui credunt in Christum, adeóque filij ejus sunt. Non est autem urgenda comparatio inter voces *omnes.*

℣. 24. *ὅταν παραδῷ τὴν βασιλείαν τῷ θεῷ.*] Duplex est Christi dominium in creaturas, alterum *essentiale*, quod ab æterno habet commune cum Patre & Spiritu Sancto, nimirum quatenus est Deus: alterum verò quatenus est Mediator. Dominium istud jus est aliquod, ut ita dicam, *Vicarium* quod pendet à Munere: cujus ea ratio est, quod postquam Deus apud se decrevit Ecclesiam sibi comparare per Mediatorem, unitâ naturâ Filij divinâ cum naturâ nostrâ humanâ, Personæ quæ ex istis duabus naturis constat opus illud demandavit, Munus id ei dedit conjunctum cum *Hæreditate*, hoc est, dominio universi istius Mundi. Atque ita filium suum, quâ Mediator est, constituit inter se & creaturas suas peccato contaminatas, ut se non amplius ijs communicet nisi mediatè per Christum: Et sic remansit quidem Christus, quatenus est Deus, unâ cum Patre suo rerum omnium æternus & naturalis Dominus. At quatenus idem est Deus & homo, una eademque persona Mediatoris, vicariam istam potestatem accepit à Patre, juxta illud Matthæi cap. ult. *Omnis potestas mihi data est in cœlo & in terra.* Ideóque non tantùm ipse se in victimam obtulit pro peccato, sed etiam misit Spiritum Sanctum in Apostolos, & quotidie mittit in fideles, laboranti Ecclesiæ succurrit, & quicquid est inimicum Ecclesiæ & gloriæ Dei, prosternit ac frangit, & sceptro ferreo comminuit. Tametsi enim Deus id facere verè dicatur, id præstat tamen per Filium, cui id muneris ab eo demandatum est. *Regnare* igitur Christus dicitur quatenus utitur potentia sua, & potestate illa sibi demandata ad Ecclesiam tuendam, & vim hostium Ecclesię repellendam. Ea autem est imperij illius conditio atque natura, ut tamdiu duraturum sit, quamdiu supererit peccatum, nulla enim immediata communio intercedere potest inter Deum & creaturam quandiu peccatum superest, opus est Mediatore qui stet medius inter utrumque, & per quem omnia à Deo ad nos dimanent. At postquam peccatum omninò deletum & abolitum fuerit, tunc Imperium illud cessabit; deletum, inquam, non tantùm imputatione justitiæ, sive non imputatione peccati, sed etiam revera, cùm nulla amplius erit in Ecclesia labes. Consequens erit ut tum dicatur *traditurus regnum Patri*, postquam hoc opus peregerit; peregerit verò tum quum Ecclesiæ hostes eò redigentur ut nullam vim habeant, qua Ecclesiæ damnum possint inferre.

℣. 28. *αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται*, &c.] *Subjectum esse Patri* hîc idem est cum eo quod suprà ℣. 24. dixit *tradere regnum Patri*, quomodo autem dicatur tum traditurus regnum Patri, vide isthic quæ ad id explicandum diximus. *Tradere* autem *regnum Patri*, & *subjectum esse Patri*

idem esse Apostolo, vel hinc demonstrari potest, quod Apostolus hanc subjectionem aliquando futuram pronuntiat. Vnde manifestò apparet non agi hîc de ulla essentiali subjectione filij quæ nimirum ei conveniat vel secundùm divinam naturam, vel etiam secundùm humanam. Nam juxta illam filius Patri non est subjectus, cùm hactenus sit æqualis Patri: secundùm hanc verò semper est subjectus Patri: Sed quoniam quandiu Christus, qui idem Deus est & homo, exercet hoc Imperium vicarium, de quo supradictum est, non apparet quomodo quatenus homo Patri sit subjectus, nam dominatur jam membris suis, & hostes suos debellat, propterea tantisper non dicitur Patri subjectus, quoniam verò cùm hoc pacto desierit regnare, illud clarissimè apparebit, nulli enim erunt amplius hostes subigendi, tum demum dicitur fore subjectus Patri. Cùm ergo Christus quam in hac vita inchoat salutem nostram perfecerit, tunc se munere illo abdicabit, quo plenè & perfectè defunctus erit, & sic, *subjicietur Christus Patri*, &c. Nam Christus quamdiu Mediator est, si absolutè eum consideres, subjectus quidem est Patri, non quatenus, inquam, est Deus, sed quatenus est Mediator, eatenus enim est inferior Patre: Atsi comparetur cum Ecclesia sua habet aliquid peculiare, quare subjectus non dicatur, non est enim eadem conditio Christi quatenus est Mediator, & membrorum ejus. Ipse Rex est, nos vero subditi, illi data est omnis potestas, nos verò sumus ij ad quorum salutem & redemptionem peragendam potentiâ istâ utitur. At quum cessabit illud munus, opere peracto, & debellatis omnibus hostibus, tunc dicetur *traditurus regnum Deo & Patri*, & tunc dicetur etiam *Patri subjectus*, quia quatenus homo est partem Ecclesiæ suæ constituet (quamquam ejus sit futurus Caput, quemadmodum Adamus quamvis esset generis humani caput, ejus pars fuit aliqua) ac propterea aget Deus in eum immediatè hactenus, quem admodum in reliquos fideles.

Ibid. *τὰ πάντα ἐν πᾶσι.*] Hoc est, Non amplius se communicabit Deus Ecclesiæ suæ mediatè per Christum, sed immediatè per se, quoniam deleto peccato, & abolitis ac pessumdatis omnibus Ecclesiæ hostibus, opere redemptionis peracto, nihil amplius opus erit Mediatore qui inter Deum & creaturam intercedat, sed creatura Deum rectâ accedet, & sine ullo medio gloriam & sanctitatem ejus participabit, tùm immediata erit unio nostri cum Deo, ita tamen ut Christo hęc laus propria sit & sempiterna, quod hujus unionis fuerit conciliator.

℣. 29. *οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν.*] Notat Tertulianus abusum quendam (quem hîc designat Apostolus) quo defunctorum amici defunctorum loco & vice baptizabantur, eo testantes in fide Christiana fuisse defunctos. Atq; hoc indicat tum particula *καὶ*, (*τί καὶ βαπτίζονται*) tum etiam personæ mutatio. Non enim unquam solet Apostolus de fidelibus in

tertia persona loqui, cum de ijs agit quę fidelibus omnibus communia sunt. Malè verò redditur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *quasi mortui*; neque enim id patitur phrasis Gręca, neque ullo Scripturæ loco, vel authoris probati testimonio probari potest. Est autem argumentum illud Apostoli ad *hominem*, uti appellant, non secus ac siquis jam adversus Pontificios sic agat, Si plebi pro libris & Doctorum loco sunt imagines, si ad pietatem (uti jactatis) excitant, cur Quadragesimę tempore, quo potissimum ad pietatem excitatur populus, perstrepentibus vivâ Doctoris voce suggestis, imagines velatis, & obvolvitis linteaminibus.

℣. 45. ὁ πρῶτος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, &c.] Opponit Apostolus *spiritum animæ*, deinde *viventi vivificantem*, hoc enim majus est illo: Nam qui dicit *viventem* denotat actum immanentem in aliquo, qui verò dicit *vivificantem*, non modò actum in aliquo immanentem denotat, si etiam emanantem & promanantem, quique in alio recipitur.

℣. 47. ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ.] Sic notat Apostolus haud dubiè originem Christi hominis, qui *è cœlo* dicitur esse, non quod homo è cœlo ad nos descenderit, sed quod Spiritus S. vi humana natura coagmentata fuit, & coaptata divinæ naturæ. Sic quum quæsivit Christus à Pharisæis *numquid Baptisma Iohannis est è cœlo*, non hoc voluit, num Iohannis baptisma esset è cœlo delapsum, sed, an authorem habuerit cœlestem.

In EPIST. I. ad COR. Cap. XVI. ℣. 3.

ἀπενέγκειν τὴν χάριν ὑμῶν.] Corinthiorum collectam sive eleemosynam Apostolus vocat χάριν *gratiam*, non quod profecta sit à gratia & favore quo valebant apud eos ij quibus subvenerunt, sed potius quod profecta esset à gratia Dei erga Corinthios, quod potest colligi ex 2. Corinth 8. Nam toto eo capite propensionem Corinthiorum ad benefaciendum, & beneficia ipsa Corinthiorum, Apostolus vocat *gratiam*, nempe effectum gratiæ Dei erga Corinthios. Id verò intelligitur nullo negotio ex ℣.1. ejusdem capitis, *Notam facimus, vobis, fratres, gratiam Dei quæ data est Ecclesijs Macedoniæ*: deinde exponit quę sit illa gratia, data à Deo, ℣. 2. *Quod in multa probatione afflictionis, profunda eorum paupertas redundavit in copiosam eorum benignitatem.* Vnde fit manifestum charitatem & charitatis effecta dici *gratiam*, quia à Deo est, & quidem gratis data.

IN EPISTOLAM II.

AD CORINTHIOS

CAPUT TERTIUM, ℣. 13.

ΠPὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι.] Doctissimus Interpres vertit *ne intuerentur filij Israël*, &c. Atqui non videtur sic fuisse vertendum hunc ocum, sed ita potius, *quoniam non intuebantur*, vel potius *non tendebant contra oculos* (quod est ἀτενίσαι) neque enim id poterant, id quod ipse Apostolus docet ℣. 7. *quodsi*, inquit, *mortis ministerium literis infixum in saxis fuit gloriosum, adeò ut non possent filij Israël intueri faciem Mosis.* En quod postmodum dicit πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι, *quia non intuebantur*; prius dixerat ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι *adeò ut non potuerint intueri.* Itaque hîc πρὸς est pro διὰ, de qua præpositionum enallage vide suprà, ad Matth. 19. 8. Atque hanc esse genuinam Apostoli sententiam constare potest tribus rationibus, quarum prima ducta est ab historiæ veritate; non enim sponte & ultrò, & (ut ita dicam) prævertendo, Moses obvelavit faciem, neque enim (quod exertè traditur in Scriptura) splendoris faciei suæ conscius fuit, sed trepidatione atque aversatione Israëlitarum admonitus fuit ut velum injiceret faciei. Itaque velum non imposuit Moses ne viderent Israelitæ splendorem vultus sui, sed quia rectis oculis eum intueri non poterant. Deinde antithesis Apostoli idipsum demonstrat, *sed occalluerunt mentes eorum*, quod dictum foret frigidè nisi sit eorum quæ præcedunt sensus, *non potuerunt ferre tantam lucem, sed eorum oculi caligarunt*, nam si dicas *impositum est velum ne viderent splendorem illum, sed eorum mentes occalluerunt*, non videntur ista cohærere. Denique rei natura respuit hoc, nam quod occalluit intellectus Israëlitarum in vitio ponitur hoc loco, ut illud interim taceamus, quod non debuit celari Israëlitas finis Legis Christus: atqui velo fit ut celetur, docente Apostolo, non enim patefit Christus nisi velo sublato. Quid igitur est? Nempe totum hoc mysterium & typicum fuit. Nam Mosis facies splenduit, quia, (inquit Scriptura) obversa fuerat Deo, hoc est, Ministerium Mosis quatenus ad Dei mentem & consilium refertur, omninò splendidum est & illustre, *Christus enim finis Legis est in justitiam omni credenti*, Rom. 10. 4. At populus carnalis istum splendorem ferre non potest, itaque velatur populo

populo carnali Lex donec accedat Spirit⁹ qui velamen aufert. Tum ipse Moses splendoris sui sibi conscius non est, non enim pertinet ad Mosen, qui *literæ minister* est, sed ad Spiritum, nosse Evangelij mysteria (*Spiritum* autem voco non ἐνθουσιασμὸν aliquem, ut ita dicam, irregularem, sed Spiritum illum qui solius Evangelij Christi comes est & dux. Itaque egregiè Apostolus cùm in antithesi ponendum esset, *sed eorum perstricti* vel potius, *præstincti sunt oculi*, non id posuit, sed loco signi rem significatam reddidit. Nam splendor faciei Mosis cùm esset typus Evangelij Christi, quod populus ille splendorem illum ferre non poterat, typus erat cæcitatis spiritualis populi Iudaici, quæ postea temporibus Christi & Apostolorum sese prodidit. Et hoc itidem præclarè Apostolus quod perstitit in allegoria planè divina, ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα, ubi illud ἡνίκα non *postquam*, sed *quando* reddendum est, *quando autem convertitur ad Dominum tollitur velamen.* Nam disertè notatum est in historia, Mosem, cùm Deum accederet, deposuisse velamen. Certè Lex, quique Legis Iustitiam sectantur, quandiu non convertuntur, non referunt ulterius Legem, neq; Legis justitiam, nempe ad Legis finem Christum; manet illis Lex velata.

ỷ. 16. ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον.] Habet locus iste primò ambiguitatem, deinde etiam sublata ambiguitate, aliquam difficultatem. Nam illud *convertetur* referri potest ad Vetus Testamentum, seu ad Mosem. Sed id nobis videtur paulò durius, quamquàm ut ad personas referatur videtur repugnare in versu antecedente numerus pluralis. Nam si rei grammaticæ ratio habeatur, hoc pacto dicendum fuit, *quando convertentur ad Dominum.* Sed tamen nos id debet magis movere quod ἐπιστροφὴ in Scriptura est *conversio personarum:* itaque non est temerè discedendum ab illa significatione. Deinde, enallage numerorum frequens est in Scriptura præsertim cùm de gente aliqua agitur; nam quia gens unum quid est & multa simul, hinc fit ut indiscriminatim pluralis & singularis numerus adhibeatur quum de gente agitur. Sed superest expedienda difficultas. Nam videtur Apostolus requirere, ante ablationem veli, conversionem ad Deum. Iam cùm velum sit ignoratio finis Legis, & Christi, mirum videri possit ut sequatur conversionem ad Deum, non præcedat potius cognitio finis Legis, qui est Christus. Sed si verba Apostoli propius inspiciantur, deprehendemus non hîc agi de rebus quarum altera alterâ prior est, sed de ijs quæ simul peraguntur: Etenim (ut ait Apostolus) *quando convertetur ad Dominum tolletur velamen.* Non dicit *postquam*, non dicit *tolletur*, tantùm ostendit quid fiat quando aliquis convertitur ad Dominum. Plura vide in Annotatione ad ỷ. 13.

In EPIST. II. ad COR. Cap. IV. ỷ. 13.

ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα.] Hoc vult Apostolus [ut ex antecedentibus &

consequentibus constat, legatur cap. 3. 4. & 5. agit nempe de patientia & constantia sua] *Vis ac vehementia fidei meæ tanta est, ut fieri non possit quin id quod credo omnibus annuntiem, cùm ad id munus à Deo vocatus sim.* Nempe hoc arctè tenendum est, actum fidei & actum charitatis non posse à se divelli, sed ita tamen ut si remissus sit & minus vehemens fidei actus, remissus item sit & minus vehemens charitatis actus, etenim amamus prout credimus, amamus prout cognoscimus, & vehemens & contentus fidei actus vehementem gignit & contentum charitatis actum.

℣. 17. αἰώνιον βάρος δόξης.] Gloria non uno modo dicitur, nam vel *rem* significat, vel *opinionem* de re, vel *deprædicationem*. Quum *rem* significat, nihil aliud est quàm magnitudo virtutis aut pulchritudinis, quæcunque tandem illa sit. Itaque linguâ Hebræâ כבוד dicitur [porrò כבד *pondus* est, pondus verò magnitudo quædam] & linguâ Chald. יקר quæ vox itidem *pondus* significat. Ad hanc significationem vocis *gloriæ* respexit hîc Apostolus, nempe allusit [ut solet] ad Hebrǽum illud & Chaldæum nomen gloriæ, quorum utrumque & *pondus* & *gloriam* simul significat.

In EPIST. II. ad COR. Cap. V. ℣. 5.

ὁ δὲ κατεργασάμενος ἡμᾶς, &c.] Apud LXX. Interp. τὸ κατεργάζεσθαι significat *rem expolire rudem & informem*. Itaq; vim verborum חרש & כרת ista voce expresserunt, ut Exod. 35. 33. ubi est בחרושת עץ verterunt κατεργάζεσθαι τὰ ξύλα, Et 1. Reg. 6. 36. וטור כרותת ארזים καὶ στίχους κατειργασμένους κέδρου. Eam hujus vocis significationem eleganter Paulus traduxit hoc loco ad significandam vim gratiæ, qua nos comparamur, & idonei reddimur, qui compotes simus immortalitatis. Nos enim naturâ à cœlesti illa vita sumus alieni, non minus quàm ligna & lapides illâ figurâ vacui sunt, qua deinde sculptoris arte exornantur. Quam ob causam etiam Dei οἰκοδομὴ 1. Corinth. 3. 9. & κτίσις 2. Cor. 5. 17. & ποίημα Ephes. 2. 10. dicimur, & *lapides vivi*, 1. Pet. 2. 5.

In EPIST. II. ad COR. Cap. X. ℣. 15.

κατὰ τὸν κανόνα ἡμῶν.] In hoc consideranda venit muneris Apostolici amplitudo, quod scilicet eorum non erat operam uni cuipiam vel diœcesi, vel parœciæ, addicere: Apostolorum parœciæ & diocœses tam latè patebant, quàm latè patet orbis terrarum, quin totus orbis eorum parœcia & diœcesis dici potuit; Nisi quod sollicitè caverent ne ijs locis prædicarent Evangelium, in quibus ab alijs prædicatum jam fuerat, nisi fortè vel obiter, vel necessaria de causa. Itaque Paulus Rom. 15. 20. testatur se φιλοτιμεῖσθαι, hoc est, *penè ambitiosè studere ne ædificaret super alienum fundamentum.* Hîc autem dicit se habere suum κανόνα: Est verò κανὼν Architectis ἰχνογραφία. Vt hac voce Apostolus desi-

gnaverit distričtum veluti suum, sive attributum sibi à Deo spatium, & veluti aream, cui Ecclesiam inædificaret. Alioqui cap. 11. 28. profitetur se *angi curâ omnium Ecclesiarum*, in quo videre est discrimen Episcoporum & Apostolorum. Apostolis nempe omnibus (ut Consulibus Imperij Romani) cura incumbebat, quod ad jus attinet & potestatem, quamvis οἰκονομικῶς inter se operas partirentur, pro eo ac Evangelij propagandi ratio postulabat.

In EPIST. II. ad COR. Cap. XI. ℣. 2.

ἡρμοσάμην ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρί.] Hoc est, *Desponsavi vos uni viro*, Alludit nimirum (ut videtur) ad locum illum Oseæ cap. 19. *Desponsabo te mihi* (inquit Dominus) *in æternum*: Et passim in Veteri Testamento Christus dicitur *Sponsus Ecclesiæ suæ*. Doctissimus Interpres negat verba ista cohærere. Attamen diversum sensit Syrus Interpres, qui hæc verba sic interpretatus est מכרתיכון לגברא חד hoc est, *desponsavi vos uni viro*: מכר enim Chaldaicâ & Syriacâ Dialecto est *desponsare*. Etiam in Veteri Testamento vox hæc ἁρμόζεσθαι de desponsatione dicitur, ut Proverb. 19. 14. quod in Hebræo est אשה משכלת מיהוה LXX. Interp. reddiderunt παρὰ κυρίου ἁρμόζεται γυνὴ ἀνδρί, hoc est, *à Domino desponsatur uxor viro* Vbi pro Hebræo משכלת quod hodie legitur videtur legisse משכרת facili lapsu ל Lamed in Resch. Vt & legit Chaldæus Paraphrastes, qui משכלת reddidit per מתמכרא hoc est, *desponsata*.

In EPST. II. ad COR. Cap. XII. ℣. 2.

εἴτε ἐν σώματι.] Hoc est (ut nobis quidem videtur) *sive animâ in corpore constitutâ, sive ad tempus sejunctâ à corpore & segregatâ*: Quæ sententia stare potest, si statuamus animam rationalem, etiam in homine, distinctam esse à sensitiva, quamvis non sit divisa, quæ summorum Philosophorum opinio fuit. Itaque illa Pauli ecstasis, etiamsi (quod nolumus tamen affirmare, maximè cùm ipse Paulus non affirmet) statuatur peracta separatione animę rationalis quam vocant, tamen mors dicenda non est, quando non secuta est animæ, quam vegetativam & sensitivam vocant, exstinctio, quod in morte propriè dicta contingit.

℣. 4. εἰς τὸν παράδεισον.] Paulus *Paradisum* sedes beatorum vocat phrasi usitatâ ea ætate, & quæ eam ætatem proximè pręcesserat, in Ecclesia Iudaica; פרדס dicunt, Græci verò παράδεισον, quæ vox propriè *hortum* significat, sed in quo amœnitas potius & voluptas quàm utilitas quæritur: quod nomen cùm horto Eden, ex quo ejectus fuit Adam, κατ᾽ ἐξοχὴν esset tributum ἀντονομαστικῶς, cœpit etiam adhiberi ad significandum locum illum in quo beata requie & gloriâ ineffabili, quibus id datum est per Christum, fruuntur, qui locus & *tertium cœlum* vocatur, quod sit supra cœlos aspectabiles, atque hoc totum quod nobis inane videtur, quodque *cœlum* nominatur, cùm sit interjectum inter terram & cœlum aspectabile.

Ibid. ἄῤῥητα ῥήματα.] Vulg. Interp. illud exposuit *arcana*, Syrus *verba quæ non dicuntur.* Numquid hîc ἄῤῥητα sunt *quæ dici nequeant*, an verò quæ si dici queant, attamen *dicere nefas sit.* Certè ἄῤῥητον linguâ Græca duo tantùm significat, quantum nobis observare licuit, vel *id quod non dicitur*, vel *id quod non licet dicere.* Non licet autem aliquid dicere duas ob causas, vel quia nefandum est, & ejusmodi ut vel auribus admitti, vel ore proferri haud possit sine culpa, vel etiam ἄῤῥητον est quod ideò nefas est dici quod sit arcanum, & ejusmodi ut non debeat evulgari: At ut ἄῤῥητον dicatur quod nullâ linguâ exprimi ullo modo potest, ægrè impetrari potest ab ijs quorum aures Græco idiomati assuetæ sunt. Huc & illud etiam accedit quod Paulus subjicit quasi ἐξηγητικῶς, *quæ non licet homini loqui.*

Ibid. ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι.] Hoc est, *quæ nulli licet eloqui*, vel, *quæ non licet eloqui ulli homini.* Etsi *licet* linguâ Latinâ, & ἔξεστιν Græcâ non modò *potestatem* quam vocant, & *jus*, sed etiam *potentiam* quam dicunt, significat, tamen hoc infrequentius, quàm illud hac formula significatur. Deinde, quod magnopere observandum est in libris Novi Testamenti *licet* semper potestatem significat, *non licet* negationem potestatis. Itaque nonnisi gravi de causa à recepta hujus particulæ significatione discedendum est. Cæterùm si hoc loco *licet* significat potestatem, non multum interest utrùm dativus *homini* connectatur cum verbo *licet* (ut sit sensus, *Nulli quantumvis magna prædito sit authoritate, ne Apostolo quidem, qualis ego sum, quæ sunt ejusmodi licet revelare*) an verò cum verbo *loqui*, ut sit sensus, *non licet revelare ulli.* At doctissimus Interpres ἄῤῥητον interpretatus est, *quod nequit proferri*, & ἃ οὐκ ἐξὸν λαλῆσαι, *quod dici non potest* hac adductus ratione, quod non sit credibile Paulum habuisse ullam rerum divinarum arcanam notitiam, quam nefas esset cum Ecclesia communicare. Certè duplex est, saltem animo cogitari potest, rerum divinarum notitia, altera quæ sit earum quarum notitia toti Ecclesiæ vel necessaria, vel utilis sit; profectò ejusmodi nullam habuit Paulus notitiam quam cum Ecclesia non communicarit, tametsi certum sit etiam in Ecclesia omnia non esse omnibus cognitu pariter necessaria, imò & quædam esse nonnullis scitu utilia quæ omnibus & singulis non modò non sint utilia, sed & damnosa etiam, utpote qui illa nondum possint capere, unde illud Christi, *Multa habeo vobis dicenda, sed nunc non potestis ferre.* Sed & est notitia rerum divinarum, quæ etsi tali viro, qualis fuit Paulus, utilis sit, tamen non est invulganda, propterea quod non est datum omnibus esse Paulis, quemadmodum neque rapi in tertium cœlum. Itaque habuerit sanè Paulus cognitionem quandam rerum divinarum arcanam, quarundam, inquam, rerum divinarum, quam cum Ecclesia non communicarit, at hinc tamen non efficitur ullam Paulum habuisse cogni-

tionem utilem Ecclesiæ aut necessariam, quam Ecclesiam celarit. Etenim testatur disertis verbis Act. 20. 20. *se nihil illis subtraxisse τῶν συμφερόντων eorum quæ utilia sunt, quominus ea annuntiaret, & publicè doceret, & per singulas domos.* Certè qui non reticuit utilia, necessaria non reticuit, & ejusdem capitis ℣. 27. *non subterfugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Vbi observandum est illud *omne*, & *consilium.* Hanc si distinctionem adhibeamus non erit verendum (etiamsi verba Pauli *quæ non licet* de potestate quam vocant, intelligamus) ne Hæretici inde colligere possint, Paulum non omnia revelasse, quæ quidem fuerint scitu & utilia & necessaria, tantum enim colligere possint, Paulum non omnia promiscuè quæ noverat, atque indiscriminatim revelasse, quod nullo periculo concedi potest. Nihil igitur opus erat ut doctissimus Interpres à recepta verborum & locutionis, qua utitur Paulus, significatione, hujus metu periculi, quod nullum est, recederet. Quamquam hæc à nobis disputantur, non ut negemus prorsus eam esse potuisse Pauli mentem, quam ei tribuit doctissimus Interpres, tantùm monemus nihil esse necesse eò devenire; maximè cùm hæc sit eorum ratio quæ lingua humana nequit effari, ut possit ea tamen quodammodo effari, siquidem ejusmodi sint quæ capi animo queant. Nam subsidit quidem, fateor, immane quantum sermo infra cogitationem de rebus maximis, haud ita tamen ut nullo penitus possint humano sermone res illæ adumbrari, siquidem ejusmodi sint ut mentis humanæ vi capi & comprehendi possint. Iam hæc quæ vidit Paulus, percepit animo haud dubiè, esto igitur ea non potuerit effari pro dignitate rerum; at quadantenus potuit describere, non descripsit autem. Quando igitur ita se res habet, videtur multo facilius esse os hæreticis hominibus obstruere, si demus Paulum hîc agere de *potestate*, non autem de *potentia*, necesse est intelligamus Pauli verba dicta esse hyperbolicè, porrò Hyperbolæ usitatissimæ sunt in Scriptura. Sed hæc responsio Hæretico homini fortasse minus satisfecerit, præsertim cùm sic verbis Pauli vis quædam videatur afferri, quia (uti modò monuimus) *licet* in Novo Testamento nusquam significat aliud quam potestatem, *non licet* negationem potestatis.

℣. 6. ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, &c.] Sunt qui arbitrantur Paulum hac locutione notare eam quæ vulgò dicitur *carnis concupiscentiam*, sunt qui aliud vitium, quo cum conflictatus sit Paulus, designari existimant: sunt denique qui adversarium quendam insignem, qui Paulo imminere indesinenter, puta Alexandrum ærarium, intelligi volunt. & sunt denique qui morbum aliquem & cruciatum corporis à Paulo statuunt subindicari. Ea tamen sententia simplicissima videtur, quæ statuit, Paulum cęsum plagis ab Angelo quodam Satanæ, porrò non est obscurum in Scriptura *Angelos Satanæ* dici quos Cacodęmonas vocamus) Paulus

enim nullo consilio hîc usus fuisset, ut videtur allegoricis locutionibus, cùm narret (certè videatur narrare) rem gestam. Ait quidem, *inditum esse sibi stimulum in carne* (quamquam σκόλοψ, ut mox dicemus, aliud videatur significare) sed id explicat quid sit, *Angelus Satanæ* (inquit) *qui me colaphizet*, more Scripturæ, quod priore loco dixit figuratè, posteriore nudis & significantibus verbis proponit. Deinde (quod maximopere observandum est) Paulus revelationi atque superbiæ, quæ inde, nî providisset Deus) nasci potuisset opponit crucem longè gravissimam, quæque tantum potuit demere de fastu ingenito, quantum addere potuit illa excellentia & magnitudo revelationum, ut ipse loquitur. Itaque descripsit hîc nobis haud dubiè afflictionis quoddam genus pænè intolerandum, quod ideò σκόλοψ vocatur ἐν τῇ σαρκί. Est autem σκόλοψ *assula*, vel etiam *quicquid acuminatum humano corpori infigitur*, unde nascitur dolor acutissimus: Etiam σκόλοψ σταυρὸς est, non quilibet tamen σταυρὸς, sed quo damnatorum corpora transfigebantur. Atque in hoc genere neque corporis morbum, nec item adversariorum calumnias numerari decet, multò minus concupiscentiam, aut aliud vitium ullum, nam vitium vitio non curatur. Hoc primum. Tum concupiscentiæ non fuit obnoxius, hoc est, conflictatus Paulus, superbiam verò Pauli curatam fuisse superbiâ non est credibile. Denique, gloriatur Paulus ℣. 10. in hac infirmitate, itaque non est hæc infirmitas ullum vitium. Postremò non est temerè discedendum ab eo quod Scripturæ verba præ se ferunt statim, atque (ut loquimur) prima fronte, oportet subesse causam, quæ hîc (ut nobis quidem videtur) nulla potest afferri. Etenim si esset ulla, dignitas Apostolici muneris & sanctitas Pauli causa foret, at cùm (uti fatentur plerique omnes) tantum permissum sit Diabolo in corpus Christi ut illud huc transferret, quî mirum videatur licuisse Diabolo sævire in corpus Pauli? Deinde, Iobus, vir proculdubio sanctissimus, expertus est corpore tenus Diaboli sævitiam, ut ne hoc insolens videatur quod in Sanctorum corpora sæviat Diabolus.

℣. 9 ἡ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται.] Certè Dei virtus nec augetur, nec minuitur, sed tum *perfici* dicitur quum se prodit in re summa, quum judicio humano facit quod summum est. Vivimus enim & movemur in Deo, atque hoc potentiæ Dei est, at cùm in summis angustijs, & in ipsa morte constituti, vivimus tamen & respiramus, singulari quodam modo virtus Dei se exerit. Itaque *perficitur in nobis*, hoc est, ostendit se summam esse, quæ non possit vinci aut superari: quemadmodum etsi qui patientes sunt semper sunt patientes, attamen tum perfecti dicuntur, quum in summis malis patientes sunt.

In EPIST. II. ad COR. Cap. XIII. ℣. 2.

ὡ φείσομαι.] In hoc etiam, inter alia, sita fuit Apostolici muneris au-

thoritas quod nimirum Apostolis licebat in flagitiosos, sceleſtos, ac refractarios, & contumaces in Ecclesia Christi, non modò censurâ Ecclesiasticâ animadvertere, sed pœnâ afficere corporeâ, & quidem, si res posceret, capitali. Sic Petrus Ananiam & Sapphiram exanimavit, Paulus Barjesu (qui & Elymas) excæcavit, Hymæneum & Philetum Satanæ tradidit, Corinthium incestum erat traditurus, nisi Ecclesiæ precibus id condonasset. Atque ad hanc Apostolicæ authoritatis partem referenda videntur hæc verba, οὐ φείσομαι ut & illa item ℣. 10. ἵνα παρὼν μὴ ἀποτόμως χρήσωμαι, κατὰ τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔδωκέ μοι ὁ Κύριος. Certè designat authoritatem solis Apostolis peculiarem. Itaque & cum de Corinthio illo incesti reo agit, 1. Corinth. 5. 3. *Iam*, [inquit] *ut præsens judicavi, ut is qui id perpetravit, per potestatem Domini nostri Iesu Christi, ejusmodi, inquam, homo tradatur Satanæ, ad interitum carnis.* Quæ verba diligenter expendenda sunt, neque enim, si de ordinaria aliqua potestate verba faceret, sic loqueretur.

IN EPISTOLAM
AD GALATAS

CAPUT SECUNDUM, ℣. 2.

Μήπως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον.] Hinc colligunt Pontificij, ne prędicationem quidem Pauli ullam habere authoritatem nisi accedat Ecclesiæ authoritas, quandoquidem ipse Paulus profitetur vanam fore operam quam navarat, quamque erat navaturus, nisi consilia, cum ijs qui videbantur esse aliquid, communicasset. Sed primò, Adversarij hic nobiscum agunt parùm constanter. Nam illud *ne fortè*, quoties alibi occurrit in Scriptura, & illam formulam *si fortè*, ita interpretantur ac si dubitatio significaretur, at hîc *ne fortè* volunt significare rem certissimam. Nam si formula dubitationem significat, concidit eorum ratio, non voluerit Paulus authoritatem Evangelij quod prędicarat, pendêre *quoad nos* ex authoritate eorum qui videntur esse aliquid, hoc est, non existimarit id esse de jure, metuerit tantum ne id contingat de facto. Itaque si nobis luberet eos sic premere, res esset facilis & proclivis, μήπως *ne fortè*, *ne aliquo modo* significat alibi dubitationem, quidni & hic significet? Neque verò esset quod illi responsarent, Nos id negare: Nam etsi locutionem istam *ne fortè* velimus si-

gnificare aliquando eventus certitudinem, tamen non dicimus hoc significari semper hac formulâ. Itaque contendimus hîc quærendum esse in subjecta materia sensum formulæ: Nam si materia est contingens [ut loquuntur] formula notarit illam contingentiam, sin necessaria, non potest de vi sermonis [ut loquuntur in Scholis] aliquid concludi. Deinde, aberrant isti homines a scopo, nam Paulus eorum nomine *qui videntur esse aliquid* haud dubiè eos designat quibus jam tum nimirum tribuebatur, verba enim *οἱ δοκοῦντες εἶναί τι* hoc designant. Itaque non notat istos, quos designat, elogijs officij & dignitatis, tantùm eos designat ab hominum opinione. Id quod pugnat cum Pontificiorum consilio, qui volunt judicium de verbo Dei pertinere ad officium & munus aliquod quo funguntur in Ecclesia multi, vel si minus hoc volunt, quod fungitur unus, Papa nimirum. Et isti quidem non habent in hoc loco ubi pedem figant, nam si Petrus fuit Papa, non debuit Paulus meminisse plurium, sed unius. Sed nec qui in priori sententia sunt, possint hinc exsculpere quod ipsorum causam juvet, ob eam rationem quæ jam allata est, nam haud dubiè *διασυρτικῶς* dictum est, *ijs qui videbantur*, reprehendit enim tacitè Paulus præposteram multorum de quibusdam in Ecclesia, præ reliquis, magnis viris opinionem. Denique, respondemus quod res est, consulendum esse aliquando infirmis: Nempe multi sunt quibus veritas displicet eo solo nomine quod certis quibusdam hominibus non placuit, nempe quorum authoritas magna est, diffidunt sibi, omnia istis tribuunt. Itaque & authoritate omnia metiuntur. Ergo, siquis hoc scandalum potest amoliri sapienter fecerit, atque ideò fecerit ne laboret incassum, scandalo non amoto, nec, dum sic facit, testabitur se velle veritatis authoritatem ab hominum authoritate suspendere, quin potius sic agit quemadmodum hoc loco Paulus, Quando sunt qui videntur esse aliquid, & eos consulamus sanè, quando veritas ipsa se non commendavit, quod profectò indignum est. In summa, Paulus cùm videret se traduci ab Adversarijs, ac si doceret aliud quàm Apostoli, qui authoritate & existimatione apud vulgus hominum ipsum antecedebant, & hac in parte voluit eorum os obstruere, ne sic intercluderetur via Evangelio: Sensus est planus & apertus. Sic etiamsi Paulo licuisset vivere de Evangelio, noluit, tamen, noluit, inquam, ne Advesarij haberent quod objicerent, veritus nimirum ne id officeret profectui Evangelij. Itaque Adversarij hîc jus cum facto confundunt: Non enim ideò quod iniquitate temporum, & hominum vel incredulitate, vel infirmitate id contigit, continuò sequitur rem ita se habere debuisse. Imò verò res apud plerosque aliter se habuit; nam Paulus multò antea prædicarat Evangelium quàm ascenderet Ierosolymam, & quidem non sine ingenti fructu. Imò hoc eodem capite in eo gloriatur, quod nonnisi certa quadam occasione fuerit coactus hoc

iter

iter capessere. Quod si Adversariorum ratio ullum haberet pondus, Paulus tota hac disputatione sese planè ridiculum præbuisset; [quod est impium cogitatu] Etenim consilium Pauli est omnibus probare authoritatem suam, quam vult esse Apostolicam, ut fuit revera; Apostolica autem esse non potuit si penderet aliunde quàm à Christo & Deo immediatè. Itaque totus in eo est ut neget se quidpiam hominibus debere. Quod verò ascenderit Ierosolymam, quia id ei potuisset fortasse objici, respondet hoc fuisse factum ut turbas compesceret objectantium dissensionem in doctrina à viris summis in Ecclesia. Id quod eo fecit lubentius quod ne hac quidem ratione cessit illis summis viris, non enim ascendit ideò quod essent tales, sed quia *videbantur esse*. Ergo in eo respexit aliorum opinionem, non suam.

℣. 16. ἐὰν μὴ διὰ πίστεως.] Hîc ἐὰν μὴ non est *exceptivum*, nam ne Pontificij quidem dicent fidem esse opus, multò minus esse opus Legis, etenim ipsi distinguunt inter fidem & opera, quum dicunt nos justificari partim fide, partim operibus; item quum dicunt, fidem posse separari à bonis operibus. Sed ἐὰν μὴ hoc loco est *adversativum*, neque reddi debet *nisi*, verùm *sed tantum*, ut sensus sit, *Hominem justificari non legis operibus sed duntaxat fide.*

In EPIST. ad GAL. Cap. III. ℣. 2.

τὸ πνεῦμα ἐλάβετε, ἢ ἐξ ἀκοῆς πίστεως.] Hinc Novatores confici posse putant, nos prius credere, deinde verò accipere Spiritum adoptionis. At hoc mirum est: Nam fides aut est à Spiritu, aut à ratione, jam verò non est à ratione, Ergo à Spiritu. Quid ergo est quod Apostolus hîc dicit *nos accipere Spiritum per fidem,* sive *ex auditu fidei?* Spiritum nempe intelligit non credendi, seu fidei, sed Spiritum consolationis & sanctitatis. Etenim consolatio non præcedit fidem, sed sequitur, nam quia credo Christum esse Servatorem meum, sentio summam pacem. Itaque credendo accipimus Spiritum sanctitatis & consolationis, quemadmodum dicimus, *sapientiâ accipi sapientiam*, nam stultus non est capax sapientiæ.

℣. 16. οὐ λέγει καὶ τοῖς σπέρμασιν, &c.] Paulus hîc non argumentatur, sed Iudæis respondet gloriantibus ob promissionem Abrahamo factam & semini ejus: existimabant nempe se semen esse Abrahæ. Ait Apostolus, Promissionem non esse factam seminibus, quid ita? quia scilicet quum dicimus *semina,* notamus rerum specie differentium semina; At non diversis factæ sunt Promissiones, *carnalibus* puta & *spiritualibus* simul, sed fidelibus tantùm per Christum. Quamquam autem *semina* plurali numero non inveniatur in V.T. dici tamen potest Hebraicè זרעים.

℣. 19. διαταγεὶς διὰ τῶν ἀγγέλων.] Quum Lex in monte Sina data est, de Angelis nulla fit mentio eo loco quo Legis datæ historia narratur. Exod. 19. & 20. Paulus tamen hîc ait *dispositam fuisse per Angelos,*

quæ verba aliter intelligi non poſſunt quàm ſi dicamus terræ motum, procellam, tonitru, fulmina, quæ facta eſſe narrantur quum Lex in monte Sina data eſt, orta & excitata eſſe Angelorum operâ, qui poſſunt ſtatum elementorum, & regionis elementaris facilè immutare: unde quicquid factum eſt apud Ægyptios, operâ Angelorum factum prædicatur Pſalm. 78. 49. *immiſit in eos* משלחת מלאכי רעים qua voce non ſignificantur Cacodæmones, ſic enim dicendum fuiſſet מלאכים non verò מלאכי in regimine. Excitant ergo Angeli, etiam boni, in ſublimi tempeſtates & procellas, quum Deo viſum eſt, ut quum Dei illuſtranda eſt gloria, vel puniendi ſunt ejus hoſtes, vel ad vindicandam Dei majeſtatem à contemptu, ut quum data eſt Lex in Monte Sina. Vide etiam ea quæ annotata ſunt ad Hebr. 2. 2. in hæc verba *ὁ δι᾽ ἀγγέλων λαληθεὶς ὁ λόγος*.

Ibid. *ἐν χειρὶ μεσίτου.*] Locutio eſt Hebraica, *in manu Mediatoris*, hoc eſt, per Mediatorem, Mediatoris operâ & miniſterio Moſem autem intelligit haud dubiè, nam præcedunt illa *δι᾽ ἀγγέλων per Angelos. Angelorum* autem nomine intelligit [ut dictum] Spiritus illos miniſtros quorum operâ Deus utitur ſępenumerò vel in turbando [ut nobis videtur] ordine naturæ, ut quum Sol ſiſtitur, aut excitantur, præter Leges naturæ, tempeſtates, fulgura, &c. quod factum eſt quum Lex daretur per Moſem.

℣. 20. *ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν.*] Quia mirum videri potuit ſi alius eſſet Mediator quàm Evangelij Mediator Chriſtus, ut ne hoc mirum videatur monet Apoſtolus Mediatorem hon eſſe unius tantùm, ſed & alterius fœderis: itaque illud *ἑνὸς* neutrius eſt generis, non maſculini. Deinde, quia videbantur iſta pugnantia, ut Mediator, non ſit unius fœderis, & quod conſequens eſt, ut non ſit unum fœdus, monet Apoſtolus iſta optimè inter ſe quadrare, quia *Deus unus eſt*, unum eundemq; ſcopum conſtituit in utriuſque fœderis pactione, nam *finis Legis eſt Chriſtus in juſtitiam omni credenti.* Cùm ergo miniſterium Moſis ſubordinatum fuerit, ut ita loquamur, miniſterio Chriſti, idque authore Deo, ſubordinata verò inter ſe pugnent, quanquam diverſarum rerum fuere Mediatores, unus tamen [quod ad conſilium & voluntatem attinet] erat Deus, nam de naturæ divinæ unitate non videtur agi hoc loco. Diverſitas ergo Mediatorum non facit continuò ut fuerit conſilij & propoſiti diverſitas in Deo, idem enim Deus eſt, cujus [ſi ita loqui fas eſt] ductu & auſpicijs Lex & Evangelium data ſunt: nempe Evangelij & Legis idem finis eſt, ejuſdémque eſt intueri finem, & perſequi, proſpicereque de medijs.

℣. 23. *ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα.*] Notanda vis verbi *ἐφρουρούμεθα, cuſtodiebamur:* Nam cuſtodire Pædagogi eſt: itaq; idem *Pædagogus* & *Cuſtos* eſt, Horatius

custode remoto
Gaudet equis.

Et Hebraicè Pædagogus est שומר *Num*,[inquit Cain] *ego sum Custos*, hoc est, Pædagogus *fratris mei*, ut mihi sit ratio reddenda siquid secius illi accidit? Itaque *custodiebamur sub Lege* hoc loco idem est Apostolo ac id quod mox dicitur, *Lex erat nobis Pædagogus* ℣.24.

In EPIST. ad GAL. Cap. IV. ℣. *1.*

ἐφ᾽ ὅσον χρόνον, &c] Vt distincta fuerunt tempora Ecclesiæ, decebat etiam divinam sapientiam [cujus est omnia facere lege quadam, quæ sapiat authorem suum] diversis temporibus, sive diversis ætatibus Ecclesiæ, diversimodè etiam cum Ecclesia agere. Nam cùm certis de causis non visum esset Deo statim mittere Filium suum, necesse fuit ut pedetentim & paulatim [donec iste Sol justitiæ oriens tenebras noctis prorsus depelleret] lux affulgeret Ecclesiæ. Quod significasse videtur Apostolus hoc loco, ubi perfamiliarem simul & egregiam affert hujus rei adumbrationem quandam; Nam, inquit, non solet pater cum filio puero aliter agere quàm si puer servus esset, licet sit filius & hæres: non aperit ei animum suum, neque enim ætas illa capax est significationis tam nudæ & apertæ moris & mentis paternæ: Sed ubi filius pervenit ad ætatem adultam, pater solet cum eo agere familiariùs, ac primùm incipit exuere severitatem illam paterni vultus, & cum filio mentis suę arcana communicare: Sic planè se res habet, inquit Apostolus, in ista Dei œconomia.

In EPIST. ad GAL. Cap. V. ℣. *6.*

πίστις δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη.] Syrus Interpres vertit מתגמרא *perficitur*, quo nomine à doctissimo Interprete reprehensus fuit; sed sine causa: Non est enim מתגמרא *ea quæ perficitur*, sed potiùs, *quæ ostendit se esse perfectam*: 1. Thess. cap. 2. 13. eôdem verbi formâ vertit Apostoli verba, qui eo loco ait verbum Dei esse ἐνεργούμενον; item verba Apostoli quæ exstant Eph. 3.20. quibus docet potentiam Dei esse ἐνεργουμένην. Ergo πίστις ἐνεργουμένη διὰ τῆς ἀγάπης, rectè redditur, *fides quæ operatur per charitatem*. Iam verò *operari* non est passivum, sed activum, quomodo loco modò jam allato ex 1. Thess. 2. 13. λόγος, *verbum Dei*, dicitur ἐνεργούμενος ἐν τοῖς πιστεύουσι. Quis enim dixerit verbum Dei dici efficax in credentibus, quod credentes tribuant vim aliquam verbo? quin potius verbum dicitur *efficax in credentibus*, quia illud verbum operatur fidem in credentibus, quo sensu dicitur etiam verbum *vivum penetrans tanquam gladius anceps*. Heb. 4. 12. Ridiculi ergo sunt Pontificij, qui hinc volunt probare fidem à charitate generari, aiunt nempe, ἐνεργουμένη *passivè*. Liquet enim ex locis modo adductis necesse non esse ut ἐνεργουμένη passivè sumatur. Sed etsi passivè sumeretur, nihil tamen inde concludi posset adversus nos, esset enim locutio illi similis ac quum dicitur,

2. Cor. 12. 9. *virtus Dei perfici in infirmitate*, hoc est, eam se tum vel maximè exerere, & prodere, atque ostendere quanta sit, quámque summè potens.

In EPIST. ad GAL. Cap. VI. ✝. 3.

εἰ γάρ τις δοκεῖ εἶναί τι.] Quæritur, an intelligat eum qui propria virtute nihil potest, ita ut sermo pendeat à ✝. 1. An verò eum qui extra communionem Christi, fidelium, & fraternam tolerantiam, putat se posse præstare quidpiam excellens.

℞. Hîc omninò probo priorem sensum. Is enim demum *se putat esse aliquid* qui non meminit & se hominem esse, nec ullum esse tam fœdum flagitium, vel execrandum scelus, quod & ipse non patraret, nisi Deus Spiritu suo naturæ impetum vel cohiberet, vel debilitaret & frangeret, Δοκεῖν τι εἶναι nihil aliud est quàm *magnificè de se sentire*, seséque efferre supra reliquorum hominum conditionem: quasi verò ullus quicquam habeat, quod Deo non debeat acceptum referre.

✝. 4. *καὶ τότε εἰς ἑαυτὸν μόνον τὸ καύχημα ἕξει.*] An eum designat qui præ se alios contemnat, & collatione habita suorum operum cum alienis, si se præstare videat, inde ansam sese efferendi arripiat? An verò hîc restrictionem superioris sententiæ affert?

℞. Ea demum vera laus est quæ ex conscientia officij rectè facti oritur, non quæ pendet inde quod alij sint qui nobis gravius peccant. Neque verò ab Apostoli mente abhorret illud, *Nec te quæsiveris extra.* Itaque præstat ut priore sensu verba accipiantur, ut mihi quidem videtur. Sic enim hominum ingenium est, ut aliorum peccatis eo delectentur, quod hinc sibi ad sanctitatis gloriam & famam aliquid accedere videatur. Deinde verò si alios videant fœdè lapsos, eo sibi indulgeant securius, propterea quod sibi conscij sunt se aliquem facere peccati modum; nec eò prorupisse ut flagitium admiserint, vel scelus.

✝. 12. *μόνον ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ χριστοῦ διώκωνται.*] Quæ est hæc afflictio? An est persecutio à falsis fratribus, & à Iudæis? An verò significat dura illa exercitia Spiritûs, quæ fidelibus incumbunt?

℞. Exercitia pietatis, quæ tu *Spiritûs exercitia vocas*, διωγμοὶ, meo qualicumque judicio, dici haud possunt, nam διωγμὸς ab hoste est. Itaque hîc prior interpretatio mihi maximè probatur, quam adeò præcedentia, & subsequentia verba confirmant, ὅσοι θέλουσιν εὐπροσωπῆσαι [τοῖς Ἰουδαΐζουσι τῶν χριστιανῶν δηλαδὴ, καὶ ζηλωταῖς τοῦ νόμου] & sequentia, ἵνα ἐν τῇ ὑμετέρᾳ σαρκὶ καυχήσωνται; ἐπὶ τούτῳ γαυριῶντες καὶ ἀλαζονευόμενοι, ὅτι οὐ (καθάπερ ἐγὼ ὁ Παῦλος) τὸ τοῦ εὐαγγελίου διδάσκοντες, τὸν νόμον καὶ τὰς πατρικὰς παραδόσεις ἀθετοῦσιν. προσδοκώμενοι τὸ πλῆθος τῶν περιτετμημένων μαθητῶν. In quo mihi videtur Paulus θαυμασίως χαρακτηρίζειν τὸ ἦθος, καὶ τὴν φύσιν τῆς δόξης καὶ τῆς γαστρὸς δούλων σοφιστῶν.

IN EPISTOLAM

AD EPHESIOS

CAPUT PRIMUM, ℣. 10.

Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα.] Duo hîc quæri possunt, 1. quorum sit ista *ἀνακεφαλαίωσις*; deinde, quid illa sit. Sunt autem qui nomine *eorum quæ sunt in cœlis* intelligunt animas Patrum in cœlum receptas, eorum nomine verò *quæ sunt in terra* hominum animas nondum corpore solutas. Sed hæc interpretatio videtur nimis arguta, quia si intelligatur reconciliatio cum Deo significatio erit diluta, sensus enim erit, *Christus tam reconciliavit Patres quàm nos Deo.* Sed videtur majus aliquid designasse Apostolus, & creaturas omnes divisisse in *terrestres* & *cœlestes*, & affirmare Christum omnia esse recapitulatum, hoc est, Angelos & homines. Itaque dubitandum non est quin Apostolus hîc intellexerit *Angelos*, quorum sedes propria cœlum est, & *homines* quorum nativa sedes est terra, supernaturalis autem cœlum est in Christo: sanè quod anima recipitur in cœlum, sejuncta à corpore, superat naturam, quod Angeli sunt in cœlo non superat naturam, imo nonnisi ob œconomiam & λειτουργίαν versantur in terra. Itaque aptissimè *Spiritus cœlestes* dicuntur τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *fideles* autem τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. Sed quid sit hæc, ἀνακεφαλαίωσις jam videndum, ac primò quid significat ista vox hoc loco. Putant esse Metaphoram ductam à re oratoria, nam ἀνακεφαλαίωσις apud Rhetores est brevis collectio eorum omnium quæ dicta sunt fusè & copiosè. Cæterùm non videtur convenire ut Apostolus mutuatus sit ab Oratoribus Græcis, & Sophistis locutiones quibus voluerit exprimere rem tantam. Et certè propius intuenti ista similitudo non videbitur satis gravis, neque satis familiaris plebi ad quam scripsit Apostolus: non enim solent Christus & Apostoli uti similitudinibus quæ redolent sæculi sapientiam, sed ijs quæ sunt familiares & obviæ, & penè petitæ à trivio. Itaque ἀνακεφαλαιώσασθαι potius eo loco verbum est deductum ἀπὸ τοῦ κεφαλαίου: Est aut κεφάλαιον vox Græca quæ significat συναρίθμησιν *summam plurium numerorum*, quam *caput* liceat appellare; ut in additione arithmetica, quæ etiam vulgo manifesta est, summa additionis κεφάλαιον dicitur, in quo plures numeri unum faciunt. Itaque Apostolus dum voluit significare ruditas ho-

minibus unionem nostram cum Angelis per Christum, similitudine usus est perquàm familiari, nam & artis Arithmeticæ imperiti, & penè infantes ac pueri, naturæ ductu ἀνακεφαλαιοῦν). Huc etiam & illud accedit, quod linguâ. quæ Apostoli temporibus familiaris erat Iudæis (cujus linguæ phrasim ubique ferè sequitur Spiritus Sanctus in Novo Testamento) הסכמה *consensum* significat. Est autem הסכמה à voce Chaldaica סכום quæ vox κεφάλαιον *summam numeri* Chaldæis significat (itaque Exod. 5. quo loco agitur de laterum numero præscripto, pro Hebraico מתכונת & תוכן ubique Chaldæus Interpres posuit סכום, id est, κεφάλαιον *summam numeri*) unde הסכים *convenire* & *consentire* significat, significatione in speciem neutra, reapse activa, est enim in Hiphil, quæ significationis est activæ: הסכים igitur *convenire* est, ut qui convenit author sibi sit ut conveniat. Cùm igitur הסכמה *consensum* significat, à סכום quod *summam* significat, nullum dubium est quin intelligatur ab Apostolo coadunatio Angelorum & hominum veluti in unam summam. Nam in ἀνακεφαλαιώσει Rhethorica non est coadunatio in unum. sed brevis multorum repetitio, at in ἀνακεφαλαιώσει arithmetica unus fit numerus. Hæc ἀνακεφαλαίωσις duo complectitur, primùm, homines qui in prima creatione erant terreni & animales redduntur (quantum substantia & natura eorum ferre potest citra implicationem contradictionis) ἰσάγγελοι, uti loquitur Christus, quatenus *corpus hoc mortale & animale reddetur immortale & spirituale*, 1. Cor. 15. Deinde, Angeli, perinde atque omnes Dei creaturę, propter peccatum infensi homini, at hac ἀνακεφαλαιώσει homini reconciliantur, homo vicissim illis. Vnde factum est ut Christo nato Angeli statim advolarint, & Deo gratias egerint, hominibus autem fuerint gratulati: Indidemque est, quod lætitia singulari profunduntur quoties conscij sunt pœnitentiæ & conversionis peccatorum: Nam ut Deus creaturam, quâ est creatura, non potest odisse (unde fit ut sublato peccato per Christum reconcilietur creaturæ) sic item boni Angeli, perinde ac pij inter homines, non oderunt malos quâ homines sunt, sed quatenus mali sunt. Porrò hæc ἀνακεφαλαίωσις facta est sublata Lege, & peccato per Christum. In cruce nempe discrimen illud abolevit quo Gentes à Iudæis distinguebantur, producta in lucem veritate typorum & umbrarum Legalium, quibus intergerino quodam veluti pariete Iudæi à Gentibus segregabantur: & peccatum abolevit, quo Angeli boni ab hominibus malis separati fuerant ac sejuncti. Ergo Christus dicitur reconciliasse per crucem Iudæos & Gentes, Angelos & homines, quia occasionem inimicitiarum sustulit in cruce: Hoc autem fieri non potuit nisi Iudęi & Gentiles reconciliarentur Deo, ut id fieret tamen nihil opus fuit ut Angeli Deo reconciliarentur. Cujus rei hoc esto obvium & familiare exemplum, In regno quandoque magna subditorum pars à Rege des-

ciſcit, atque ita non modò Regis, ſed etiam bonorum civium, odia in ſe accerſunt: Si mali illi ſubditi redierint in gratiam cum Principe, continuò fit ut & cum bonis civibus in gratiam redeant, atque ita fit *Recapitulatio* quædam, & quæ fuerunt disjecta & diſſipata membra in unum coaleſcunt.

℣. 19. *τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος*, &c.] Planum eſt hinc Deum, in fidelium converſione, ſingularem quandam vim ſeu omnipotentiam exerere, ad eorum cor flectendum, qualem exeruit in Chriſti excitatione à mortuis. Novatores tamen hunc locum ſic conantur eludere, ut dicant non agi iſthic de fidei generatione, ſed de fidelibus qui jam crediderunt, tum etiam non agi de ea vi qua fides gignitur, ſed de ea qua & Chriſtus excitatus fuit à mortuis, & nos aliquando etiam excitandi ſumus. Sed ad prius illud Reſpond. Agi quidem eo loco de fidelibus qui crediderunt, ſed & agi de modo quo crediderunt. Etenim ſi ad fidem conſervandam tanta vi opus eſt, quanto magis ea vi opus fuerit ad eam ingenerandam? Ad poſterius verò quod attinet, dicimus liquere eo loco agi de vi qua gignitur fides, non de excitatione noſtra à mortuis aliquando futura. Nam prius meminit Apoſtolus *divitiarum hæreditatis in Sanctis*, quibus verbis haud dubiè intellexit *τὺς τετελειωμένυς* cœlo receptos, tum ſubjungit, *& quæ ſit erga nos qui credimus*, &c. non dicit *quæ futura ſit*, ſed *quæ ſit*. Tum perſonam mutavit, non enim dixit *ἐν τοῖς ἁγίοις* (ut prius) ſed *εἰς ἡμᾶς*: neque dicit *πιστεύσαντας* (uti alibi *πεπιστευκότας* dixit) ſed *πιστεύοντας*: Tum ſequitur initio capitis ſequentis, *Et vos unà vivificavit cùm eſſetis mortui in offenſis*, quæ cohærent, & connecti debent cum præcedentibus, *quam exeruit in Chriſto, excitando eum à mortuis*, reliquis quæ interjecta ſunt per parentheſim incluſis.

℣. 23. *ἥτις ἐστὶ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ*.] Hebræum eſt מלא, dicitur autem, מלא non uno modo in Veteri Teſtamento. Nam aliquando *πλῆθος* ſignificat *multitudinem*, ut cùm dicitur מלא רעים *multitudo Paſtorum*. Eſai 31. 4. Significat etiam מלא id quod implet & occupat locum, ut cùm dicitur Pſal. 24. 1. *Domini eſt terra & plenitudo ejus*. Et Eſai. 42. 10. *plenitudo maris* dicitur, & Amoſi cap. 6. 9. oppidani dicuntur *plenitudo oppidi*. Tertiò *πλήρωμα* מלא refertur ad menſuram, ut quum dicitur *plenitudo funiculi* מלא החבל, & *plenitudo pugilli* מאל הקמץ Levit. 2. 2. hoc eſt, juſta funiculi, aut pugilli menſura. Sic & מלא הקנה *plenitudo calami*. Ezech. 41. 8. Denique ad ſtaturam refertur, ut quum Saul dicitur concidiſſe in terram מלא קומתו *plenitudo ſtaturæ ſuæ*. 1. Sam. 28. 20. Atque hęc ultima ſignificatio hìc locum habet, tametſi & reliquæ omnes locum habere poſſint. Nam & Eccleſia multitudo eſt, & quidem multitudo quæ colligetur aliquando in unum locum, & habet certam quandam menſuram. Attamen Apoſtolus, quum vocat Eccleſiam

πλήρωμα Christi, ad ultimam significationem respexit. Id quod colligere facilè possumus ex cap. 4. hujus Epist. *ex quo* (inquit, Christo nempe) *totum corpus compactum est, & connexum*, &c. Et Coloss. 2. 19. *non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & connexiones est coagmentatum*, &c. Itaque quum Ecclesia dicitur *plenitudo Christi*, intelligamus plenitudinem illam quę est in corpore, huc enim haud dubiè respexit Apostolus. Verùm quoniam si Ecclesia est *plenitudo Christi*, Christus videtur esse imperfectus sine Ecclesia. [nam corpus si desit ei sua plenitudo, imperfectum est] subjunxit Apostolus, Christum esse authorem hujus plenitudinis, quum ait, *qui implet omnia in omnibus.* Nam ut Philosophi dicunt animam fabricare sibi corpus, ita Christus Ecclesiam sibi fabricatur, quamquam longè dispar ratio est. Nam anima non est perfecta sejuncta à corpore, alioqui resurrectione nihil foret opus. Itaque si (ut dicunt) anima fabricatur sibi corpus, facit id quo indiget. At Christus Ecclesiam quidem sibi aptat, non est tamen indigus Ecclesiæ suæ: sed quia constituit se unire Ecclesiæ, sibi unire Ecclesiam, id est, esse unum cum Ecclesia, inde fit ut Ecclesia dicatur etiam *Christi complementum*. Vt si quis constitueret pauperculam ducere in uxorem, nulla necessitate, sed tantùm quia vult ita vitam instituere, non vult solus vivere: licet in genere humano (quod indigum est & egens alienę opis) vix occurrit exemplum quod vel leviter adumbret rem tantam. Ecclesia igitur dicitur *Christi plenitudo*, ex hypothesi nempe, quia Christus sic voluit.

Ibid. τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου.] Non est hoc ita accipiendum ac si Christus omnes faceret membra corporis sui, nempe videmus rem multo aliter evenire, neque enim omnes sunt Christi membra, sed quod de Apostolis Christus dixit, *Novi quos elegerim*, latissimè patet. Quid igitur sibi volunt verba illa, *qui omnia in omnibus implet?* Nempe, quod nos significamus (neque enim Apostolus loquitur obscurè aut ambiguè) quum dicimus, *Solem omnia illustrare*, nempe hoc tantùm volumus significare, nihil illustrari quod Sol lumine suo non illustrarit. Et certè nihil aliud voluit Apostolus. Vt siquis dicat, *Deum omnia bona omnibus concedere*, nemo hinc colliget, si sanus sit, Deum in omnibus eadem operari bona, tantùm sic loquendo significamus, nihil esse boni quod non oriatur à Deo, Deum esse authorem omnis boni. Sic vult Apostolus omnem plenitudinem esse à Christo, non vult omnes participes esse hujus plenitudinis quæ est à Christo. Vbiquitariorum autem glossema contemnendum est, qui hinc probare corporis Christi πανταχουσίαν volunt, non enim hîc agitur de impletione creaturarum inanimatarum, sed de complemento corporis Christi.

ψ. 18. ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι, &c.] Hîc καταλαβέσθαι est *comprehendere*, id est, *certò intelligere* & *animo assequi*, unde ei oppositum

ἀκαταληψία

ἀκαταληψία Academica, quia Academici negabant aliquid posse comprehendi seu intelligi certò. Porrò videtur Apostolus dicere pugnantia, sequitur enim τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην, *charitatem Christi omni cognitione supereminentiorem:* nam quî novetimus aut verò certò comprehendamus id quod omnem superat notitiam? Nempe capit hanc vim mens humana, & non capit; atque in eo capit, quod rapitur in admirationem, & videt aliquid semper superesse quod persentiscere quidem potest, attamen non ita percipere ut possit explicare totum.

Ibid. τί τὸ πλάτος καὶ μῆκος, &c.] Sic ostendit Apostolus immensum esse quod comprehenditur, & veluti infinitum, quale Aristoteles describit, quum infinitum describit *extra quod semper potest aliquid capi.* Non sunt autem vexanda ista Apostoli verba, *longitudo, latitudo,* &c. simpliciter enim loquitur; nempe in hoc universo aliquid consideramus ut longum, aliquid ut latum, aliquid ut profundum, aliquid ut sublime supra nos positum. His igitur verbis usus est Apostolus ut extendat veluti & dilatet humanam mentem: q. d. *ut immensitatem illam amoris divini possitis comprehendere.*

In EPIST. ad EPHES. Cap. IV. ℣. 8.

ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, &c.] Hinc Pontificij limbum, quem vocant *Patrum,* exculpere conantur. Quo argumento? Nempe, inquiunt, *abduxit Christus captivitatem captivam,* hoc est, Patres à Limbo eductos, cùm in cœlum ascenderet. At verò phrasis ista *captivitas captiva* nunquam adhibetur in Scriptura nisi quum agitur de hostibus. Patres verò est ne quisquam qui dicat Dei hostes fuisse, aut fuisse ductos captivos cùm liberarentur?

℣. 9. εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς.] Phrasis est Hebræa לתחתיות הארץ quæ propriè *quemvis locum subterraneum* & metaphoricè *uterum* (Psal. 139. 15.) significat. Frustra ergo de Limbo Patrum hunc locum accipiunt Pontificij. Nec est quod huc in subsidium adferant quod Matth. 12. 42. dicitur, *fuisse Christum,* ἐν καρδίᾳ τῆς γῆς (quibus verbis Limbum volunt rursus designari) Nam & Tyrus dicitur esse ἐν καρδίᾳ τῆς θαλάσσης, Ezech. 24. 27. cùm tamen sit insula terræ proxima. Locutiones sacræ Scripturæ sunt ex ejus usu interpretandæ.

℣. 11. καὶ αὐτὸς μὲν ἔδωκε τοὺς μὲν Ἀποστόλους, &c.] Hinc Pontificij sic arguunt pro perpetua Ecclesiæ conspicuitate: Pollicetur hîc aliquid Deus quod semper durabit, non enim occurrimus in unitatem fidei, & in hominem perfectum, nisi in ultimo & magno illo die: Ergo in Ecclesia erunt perpetuò Pastores & Doctores ad finem usque sæculi. Sed primò, si ex hoc loco potest comprobari conspicuitas perpetua Ecclesiæ, oportet semper fuisse in Ecclesia, atque ferè semper Apostolos & Prophetas, & Evangelistas, non Doctores modò & Pastores: nam hoc loco tam fit mentio Apostolorum, Prophetarum & Evangelistarum,

quàm fit mentio Doctorum. Deinde, nulla hic fit mentio finis ſæculorum; Apoſtoli nempe conſilium, hoc eſt, ut ne qui ſunt in fide confirmati contemnant inferiores, quia, inquit, apud Deum conſtitutum eſt, ut hujus ordinis interventu, qui nunc obtinet in Eccleſia, omnes colligamur in unum: *Omnes*, hoc eſt, tam infirmi, quàm qui firmi ſunt. Itaque verba illa (℣. 13.) *donec occurramus in unitatem fidei*, accipienda ſunt de unione quæ hic fit in Eccleſia miniſterio Verbi, non de illa quę fiet in ultimo die. Tertiò, Eſto, Deus ſemper dederit Eccleſiæ ſuæ Paſtores (quod nos non negamus) attamen diſpiciendum eſt qui ſint hi Paſtores. Nam ut homo homini lupus eſt, ita nihil prohibet hominem homini paſtorem eſſe: Atque ut non ij ſoli medici ſunt, qui ſolemni quadam pompa ad id muneris provecti ſunt, ſed medici ſæpenumero ſunt qui rem tenent, à rei pompa quàm maximè ſunt alieni; ſic non ij ſoli ſunt Paſtores & Doctores, qui in Scholis ſolemni ritu ſunt in eo munere inaugurati, imò verò privati multi, qui ſanam tenent doctrinam, poſſunt alios eam docere, & ſalutari illo cibo eos paſcere. Denique, Eſto, Deus voluerit perpetua quadam ſerie continuari Paſtores, non ſequetur tamen inde, Paſtores iſtos fuiſſe ejuſmodi, qui oves non duxerint in ea paſcua quibus cicuta & aconitum naſcatur, ſatis eſt ut duxerint in paſcua quibus etſi inſit virus, tamen ineſt unde oves paſcantur. Iam verò non eſt aliquid planè extraordinarium, ut quod faciunt belluæ, homines facere poſſint, præſertim Chriſtiani qui Spiritu Dei ducuntur; atqui belluæ non attingunt; aut leviter attingunt ea quæ pugnant cum natura ſua. Quis igitur miretur, ſi oves Chriſti à Paſtoribus ductæ in ea paſcua, in quibus multa bona erant admixta, multa item lurida, abſtinuerint à noxijs, quæ bona erant attigerint, atque ſic uſæ ſint nihilominus Paſtoribus ſuis; Nam *uti paſtore* idipſum hic eſt quod Chriſtus docet, quum ait, *Sedent in cathedra Moſis*. Nam eo loco agit Chriſtus de Paſtoribus qui oves ducebant ad paſcua venenata, attamen quibus inerant ſalubria; unde nos jubet cavere à fermento Scribarum & Phariſęorum, & ſimul ea facere quæ ſedentes in cathedra Moſis jubent nos facere.

℣. 26. ὀργίζεσθε, ϗ μὴ ἁμαρτάνετε.] Videtur Apoſtolus iracundiæ (in quam optimi quique ferè proni ſunt) aliquid dare: ſed id fit eâ figurâ quam *Conceſſionem* dicunt; occurrunt nempe interdum in Scriptura (ut ne mandati ſpecie decipiamur) quæ per conceſſionem dicuntur, cùm non probetur tamen quod conceditur. Nam laudabilem iram Apoſtolus hîc non intellexit, ſequitur enim, *Ne Sol occidat ſuper iram veſtram.* Neque item legenda ſunt iſta cum interrogationis nota, ut Doctiſſimus Interpres arbitratus eſt, non enim dixit Apoſtolus, *Iraſcimini? ne etiam peccetis*, q. d. ſi tanta eſt infirmitas etiam in regenitis ut prorumpant in iram; iraſcantur ſanè, at ne excandeſcant uſque adeò ut aliquid

vel dicant vel faciant quod eos peccatoribus & irregenitis faciat pares, id est, ne utantur verbis, & multo magis abstineant factis, quæ testentur animum immanem & ferum.

In EPST. ad EPHES. Cap. V. ℣. 32.

ἐγὼ δὲ λέγω εἰς χριστὸν, &c.] Hoc vult Apostolus, in conjunctione maris & fœminæ, atque conditione illius conjunctionis elucere imaginem conjunctionis Christi cum Ecclesia. Certè Iudæi (teste Munstero) fatentur creationem fœminæ ex costa viri factam esse לרמוז לבת זוג האדם העליון יתברך hoc est, *ad significandum* (sive *notandum*) *conjugium viri superni qui benedictus est.* Id quod illi haud dubiè à Majoribus suis acceperunt, ab ipsis tamen perperam intellectum, nam ignorant planè quæ sit Messiæ & Ecclesiæ conjunctio. Porrò similitudo illa quæ intercedit inter, ut viri & uxoris, sic Christi & Ecclesiæ conjunctionem, in his duobus potissimum spectari potest. Ac primò quidem in eo quod mulieris caput virum esse docet Apostolus, tum hoc capite ℣. 23. tum 1. Cor. 11. ita ut eandem habeat rationem vir ad mulierem, quam caput habet ad corpus, nempe caput & corpus *unum* quidem constituunt, sed hoc tamen inter se discrimine, ut à capite sit motus animalis & sensus, cujus facultas per totum corpus diffunditur: unde fit ut uxorem viro subditam esse oporteat. Quod si contingit ut vir qui est, non iis præditus sit dotibus quas conditio capitis requirit, ut in vita usu venit quamvis rarius, id non à primigenia naturæ conditione, sed à peccato est ortum. Vt igitur mulier à viro omnia accipit, nisi naturæ ordo perturbetur, nihil verò dat, sic planè Ecclesia à Christo omnia accipit, Christo nihil dat præter amorem & reverentiam, quæ duo sola, non perturbato ordine naturæ, uxor viro exhibere potest. Deinde, apud neminem viri preceptum & exemplum valere tantum debet, aut potest, quàm apud uxorem, nisi turbetur ordo naturæ, unde efficitur ut vir uxorem sibi reddat quàm simillimam, (inde veteri proverbio dictum est, *uxorem esse viri speculum*) Sic Christus Ecclesiam suam sibi similem facit tum secundùm animam, tum etiam secundùm corpus. In quo tamen elucet duplex discrimen atque disparitas, ac primò quidem illud, quod vir hanc uxoris conformitatem non potest aliter efficere quàm præcepto & exemplo, quorum utrumque solùm si Christus præstaret nihil fieret, sed Christus facit ut exemplum & præceptum, quod exhibet, sit efficax, nam mentem illuminat & cor flectit. Deinde, non est situm in mariti arbitrio corporis dotes cum uxore communicare, ut sit firma valetudine, &c. At Christus hoc facit, etenim transformat corpus hoc vile nostrum, ut reddat conforme corpori suo glorioso. Et in hoc item disparitas quædam est, quod ut ait Apostolus 1. Cor. 11. *mulier propter virum est*, interpretatur nempe illud *faciamus homini auxilium*: At unionis nostræ cum Christo ratio diversa, neque enim nos

adjuncti sumus Christo ut Christus auxilium habeat, neque unio nostri cum Christo ulterius tendit, nam in Christo unimur Deo, quæ hominis felicitas est summa.

Alterum in quo ratio similitudinis inter utramque conjunctionem spectatur, in eo est quod Deus fœminam sic condidit ut eam ex viri costa effinxerit. Sic enim Ecclesia ex Christo condita est, quod ita accipiendum est. Christus primum exemplar & archetypus est Ecclesiæ, nam dicitur Ecclesia σύμφυτοι γεγόναμεν τῷ Χριστῷ, Rom. 6. 5. ideò quod qualis fuit Christus, talis redditur Ecclesia per Christum. Igitur Christus origo hujus conformitatis est atque exemplar: Deinde à Christo, quicquid in nobis inest hujus conformitatis, profectum est, enimverò *ex ejus plenitudine hausimus omnes:* denique per Christum ad nos pervenit benedictio. Itaque ut Adam primò conditus est, tum deinde veluti appendix Adami condita est Eva, sic planè Christus veluti fundamentum substratum est Ecclesiæ, unde & dicitur Ecclesiæ fundamentum, & Ecclesia Christo superædificata, quò referendum est quod mulier dicitur exædificata ex viri costâ. Id quod non sine mysterio significatum est illâ lateris Christi pertusione, quæ non fuit frustrà, sed certo consilio notata, qua pertusione factum est ut efflueret sanguis & aqua, sanguis ad expiationem, aqua ad sanctificationem. Atque in ista similitudine conjunctionis utriusque situm est mysterium illud magnum, de quo hoc loco loquitur Apostolus, *Mysterium hoc magnum est, dico autem de Christo & de Ecclesia.* Nam μυστήριον dicitur in Scriptura quicquid est obscurum & latet. *Res* verò latet, vel *signum* rei. Matrimonium autem Adami & Evæ *mysterium* dicitur, quia signum fuit & typus matrimonij Christi cum Ecclesia. Nam certè prima creatio typus fuit & signum secundæ creationis, unde & Apostolus primum Adamum & secundum inter se confert, Rom. 5. & 1. Cor. 15. Signa autem *mysteria* etiam appellantur, vel quia rem latentem significant, vel quia non facile est & obvium divinare, quæ sit signi significatio, ut apud Danielem cap. 2. 28. Deus dicitur *revelator mysteriorum*, hoc est, arcanorum signorum. Cęterùm quicquid signum est & typus, non est continuò Sacramentum, terra nempe Chanaan typus fuit, sacramentum tamen minimè fuit. Neque verò Sacramenti ratio in eo potissimum sita est ut signum sit, sed ut sit sigillum & obsignet atque confirmet. Sed quæri potest, *Fuerit-ne hac creandi mulierem ex viri costa instituta à Deo ratio ut significaretur conjunctio Christi cum Ecclesia.* Et verò si dicamus, consequens esse videtur, ut prius cogitarit veluti Deus de Christo & de Ecclesia quàm de creatione: Id quod non videtur convenire, nam Christi conjunctio cum Ecclesia peccatum præsupponit. ℞. Typi duorum sunt generum, sunt enim typi qui instituto tantùm significant, quales sunt Typi *legales* (cujusmodi typus non est hæc mulieris ex viri costa creandæ

ratio) Sunt & Typi qui ob similitudinem *Typi* dicuntur, quales sunt typi, ut ita dicam, *naturales:* nam in operibus Dei etiam diversi generis est similitudo quædam; verbi gratiâ, Deus hominem creavit ex terræ pulvere, materia informi, jussit lucem splendescere è tenebris, haud dubiè typus est & similitudo (quam etiam Apostolus notavit 2. Cor. 4. 6.) novæ creationis. Hujus generis typus est mulieris ex Adami costa efformatio. Nec inde propterea sequitur, Deum prius de Christo dando, & Ecclesia redimenda, quàm de homine creando cogitasse, consiliumve cepisse, quemadmodum ex eo quod lux primigenia, splendescens Dei jussu in creatione è tenebris, typus est novæ illius lucis qua in regeneratione tenebræ nostræ illuminantur, non sequitur Deum prius cogitasse de spirituali ista luce nobis conferenda quàm de prima illa luce creanda.

IN EPISTOLAM

AD PHILIPPENSES.

CAPUT PRIMUM, ℣. 29.

OΥ μόνον τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, ἀλλὰ καὶ.] Hinc probare se posse putant Pontificij, *Charitatem posse sejungi à fide.* Sic enim colligunt, Potest quis in Christum credere etiamsi non patiatur pro Christo; Itaq; fieri potest ut quis credat in Christum etiamsi Christum non amet. Antecedens putant sequi ex verbis Apostoli: Nam si cuicumque datur credere in Christum, eidem daretur pati pro eo, frustrà, imò nugatoriè (quod absit) dictum esset ab Apostolo, *Datum est vobis non modò credere in Christum, sed & pati pro eo.* ℞. Etiamsi detur fieri posse ut quis credat in Christum, cùm tamen idem non patiatur pro Christo, non sequi tamen continuò veram fidem posse esse sine charitate, fieri enim potest ut is amet Christum qui pro Christo nihil unquam passus est, ut ij qui nunquam ad hoc vocati sunt à Deo, ut patiantur persecutionem ob nomen Christi, quod est apud Apostolum, *pati pro Christo.* Nec obstat quod Apostolus id numerat inter dona Dei, cùm Apostoli flagris cæsi ob nomen Christi gratias agant Deo, *quod digni habiti essent qui Christi causâ affligerentur.* Act. 5. 41. Hæc itaque est mens Apostoli, *Non modò vobis datum est credere in Christum, sed etiam hoc vos honore affecit Deus peculiari, ut pro Christo patiamini.* Sed esto, Aposto-

lus aliud voluerit, nempe datum esse Philippensibus non modò ut credant, sed etiam ut æquo animo tolerent res adversas, non sequetur tamen alterum ab altero posse sejungi. Nam & Apostolus Roman. 5. 3. 3. affirmat, fide justificatos gloriari in spe gloriæ Dei, *neque id solùm*, inquit, *verùm etiam gloriamur in afflictionibus*. Num quod Apostolus sic locutus est, vel pronuntiabimus Apostolum nugatoriè locutum, vel fieri posse ut qui gloriantur in spe gloriæ Dei, iidem non glorientur in afflictionibus? Nam quod aiunt committi ἀδολεσχίαν, si fides à patientia non possit sejungi, id ipsum de spe vera & glorificatione Filiorum Dei, quam Apostolus docet etiam vigere in afflictionibus, dici posset. Cæterùm dona quæ sunt distincta inter se non continuò divisa sunt, & separata: Certè aliud est *credere*, aliud *ferre res adversas patienter*, at fieri non potest ut qui credit ἀνυποκρίτως, idem non ferat patienter crucem.

In EPIST. ad PHILIPP. Cap. II. ℣. 6.

οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, &c. Phrasis est sumpta ab eo quod tum fieri solebat; Victores nempe hostium spolia detracta atque erepta in trophæum erigebant. Itaque optimè ista sic Gallicè vertas, *il ne fit point de triomphe* (ou *trophée*) *de ce qu'il étoit égal à Dieu*, hoc est, non jactavit, non visus est gloriari & insolescere. Hortatur nempe fideles Apostolus ad humilitatem, argumento ab exemplo Christi ducto, qui cùm Deus esset, non ut Deum se gessit, non id palam patefecit, ab ostentatione & gloria alienus, sed servi formam assumpsit.

℣. 12. μετὰ φόβου καὶ τρόμου.] His verbis non metum & trepidationem ex dubitatione ortam, sed humilitatem duntaxat, atque summam animi demissionem significat Apostolus, idque ex usu Scripturæ, quæ nunquam alio sensu hæc verba simul juncta usurpat. Quod ut liqueat, observandum est quinquies tantum in sacris Literis hanc locutionem occurrere, eadem semper mente: primus locus est Psal. 2. 11. secundus 1. Cor. 2. 3. tertius 2. Cor. 7. 15. quartus Eph. 6. 5. tum postremò hic locus, in quo μετὰ φόβου καὶ τρόμου idem quod illis locis significat. Quod si nihil aliud esset, antecedentia & consequentia id evincunt. Etenim hæc hortatio Apostoli ducta est à Christi exemplo, *Christus nempe verus Deus assumptâ servi formâ summam humilitatem testatus, atque ita decurso vitæ stadio coronam adeptus est: itaque & vos conficite salutem vestram in timore & tremore*. Profectò, si hoc loco *timor & tremor* aliud preter humilitatem significant, ista minimè cohærent. Tum quæ sequuntur id ipsum arguunt, *Deus enim facit in vobis tum velle tum perficere*. Atqui si Deus facit horum utrumque, nulla metus causa subest, humilitatis subest maxima. Quocirca alibi Apostolus verbum φοβεῖσθαι *metuere* τῷ ὑψηλοφρονεῖν opposuit, μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. Rom. 11. 20. Atqui causa nulla est cur metus propriè dictus superbiæ

opponatur, cum Diabolo (quo nihil est superbius) & impijs & conscceleratis nihil sit magis meticulosum. Itaque eo loco φόβῳ planè ταπεινοφρονεῖν est, *demissè de se sentire*. Quæ non ideò dicimus ut omnem metum à pijs excutiamus. Est enim metus unus quo illi corripiuntur, cùm de periculis, quibus se obsessos & circumdatos vident, sunt solliciti, diffidunt sibi & ad Deum confugiunt, quomodo, qui matris ulnis gestatur infans in præcipiti loco, tanto arctius matrem amplectitur & stringit, quanto casus magis est metuendus: itaque sibi diffisus matri fidit & firmiter adhæreſcit, certus se casurum ni adhæreſcat. Et alter metus est quo pij non corripiuntur, sed ducuntur, estque reverentia divinæ Majestatis, orta à consideratione tum Bonitatis & gloriæ Dei, tum nostri peccati & miseriæ. Bonitas enim Dei (ea præsertim quæ in Christo nobis affulsit) ea est quæ Deum reddit amabilem, gloria reverendum facit, faceret & tremendum nisi cum bonitate quadam immensa & inexhausta esset conjuncta. Denique, peccati & miseriæ nostræ cognitio nos cogit de nobis demissè atque humiliter sentire, quæ omnia ad veram humilitatem animis nostris ingenerandam concurrant necesse est, alioqui nihil fit. Itaque illi nullo verè humilitatis sensu afficiuntur, qui vel de Dei misericordia dubitant, vel viribus arbitrij aliquid tribuunt, quorum vanitatem unicus hic locus mirificè convincit. Etenim ideò Apostolus salutem vult à nobis confici μετὰ φόβου, quod omnia Deo, nobis planè nihil debeamus. Itaque & bonitatis & potentiæ Dei, & nostræ miseriæ nos admonet, nihiloque segnius nos hortatur ad salutem peragendam: quod contemptoribus divinæ gratiæ, Iesuitis, Novatoribusque Semipelagianis perridiculum videtur, Apostolo non videtur, qui nos hortatur strenuè, cum hortationis efficaciam agnoscat non aliunde quàm à Deo proficisci, qui idem facit in nobis velle & perficere.

Ibid. τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν.] Syrus & Arabs σωτηρίαν *vitam* verterunt. Neuter tamen assecutus est emphasin vocis σωτηρία. Est quidem σωτηρία vita, at vita omnis non est continuò σωτηρία. Nam & Deus vivit, & beati Spiritus vivunt, & quidem vitam beatissimam, sed σωτηρία est ea demum vita quæ miseris & deploratæ spei, & denique perditis hominibus obvenit. Itaque Spiritus Sanctus, qui simplicissimè, cautè tamen & sapientissimè loquitur felicitatem fœdere legis promissam, *vitam*, vocat, non *salutem*. Etenim siqui vi legis vivunt (vivit autem vi legis nemo) ijdem non servantur, sed tamen donantur vitâ. Itaque Apostolus in divina illa & admirabili legis cum Evangelio comparatione, cùm de promissionibus legis agit, *vita* semper meminit, quum ad Evangelium perventum est, *salutis*. Porrò salus ista *Dei salus* dicitur, Psal. 70.5. & Psal. 21.2. & sexcentis ejusmodi in locis. *Salus* item *nostra* dicitur, ut hoc loco. Nempe, *salus Dei* dicitur quia à Deo proficiscitur, crebrius au-

tem & potiſſimum *noſtra*, quod ejus nos reddamur per Chriſti gratiam compotes. Hujus locutionis paſſim occurrunt exempla.

Ibid. κατεργάζεσθε.] Apud LXX. Interp. τὸ κατεργάζεσθαι ſignificat *rem expolire rudem & informem;* Itaque vim verborum חרש & כרת ſic expreſſerunt, Exod 35. 33. ubi eſt בחרשת עץ verterunt κατεργάζεσθαι τὰ ξύλα, & 1. Reg. 6. 3. טור כרתות ארזים στίχους κατειργασμένοις κέδρου. Hæc prior hujus vocis ſignificatio huic loco uſquequaque convenire non poteſt. Sequitur altera, ſignificat enim etiam τὸ κατεργάζεσθαι, *rem inchoatam provehere eo uſque donec abſolvatur;* atque hic eſt uſus hujus verbi hoc loco. Quomodo Apoſtolus Rom. 7. 18. τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐχ εὑρίσκω. Omnino κατεργάζεσθαι, eſt *rem effectam dare.* Hortatur itaque Apoſtolus Philippenſes, ut quo curſu cœperant, eodem contendant ad metam. Itaque Interpres Arabs appoſitiſſimè τὸ κατεργάζεσθαι ſic expreſſit, *creſcite*, ſeu, *augeſcite magis in opere in quo eſt vita veſtra.* Et Syrus, *magis operamini opus vitæ veſtræ.* hoc eſt, *magis magiſque.* Non enim continuò inchoatur & abſolvitur ſalus, quemadmodum nec mundus ſtatim ac condi cœpit, abſolutus eſt. Sicut igitur in creatione prima quidam admirandi illius operis veluti gradus & intervalla fuere, ſic item & in nova iſta Eccleſiæ reparatione, (quæ *nova terra & cœlum novum* dicitur Eſa. 65. 17.) Deus opus ſuum non abſolvit ſtatim, ſed ſenſim & paulatim promovet, donec ad beatum illum Sabbathiſmum perducamur. Heb. 4. 9. Porrò hoc loco abutuntur Pontificij, & Novatores Semipelagiani ad ſtabiliendum impium dogma, quo Gratiæ *monendi & excitandi*, atque (ut illi loquuntur) *juvandi* tantùm vim tribuunt, & naturæ humanæ, voluntati, ac libero hominis arbitrio *annuendi efficiendique* ut Gratia ſit efficax, vires aſſignant. Quorſum enim, inquiunt, tam gravis & ſeria hortatio, *Conficite ſalutem veſtram*, niſi & nos aliquid poſſemus? ℞. Hortatur ſanè nos Apoſtolus *ad conficiendam ſalutem noſtram*, quin & alibi Apoſtolus Timotheum ſic hortatur, ut moneat fore ut ſi officium faciat, *ſe primùm, tum alios etiam, ſit ſervaturus*, 1. Tim. 4. 16. Quid ergo, dicet aliquis, nos miſeri & perditi, & deplorati, ſervatores noſtri ſumus? Non erit hęc Chriſti ſolius laus, *Ieſu* noſtri, *præter quod nomen nullum aliud eſt ſub cœlo quod datum ſit inter homines, per quod oporteat nos ſervari?* Act. 4. 12. Sed aliud eſt *ſalutem jure meritóque acquirere*, aliud *in partæ ſalutis poſſeſſionem mitti:* prius illud ſoli Chriſto convenit; poſterius hoc ſoli etiam Chriſto convenit, ut *cauſa primaria*, ſed nobis etiam tribuitur ut *inſtrumentis*, quibus ad hanc rem Deus utitur: quibus inſtrumentis tamen nulla penitus ineſt vis, quæ ab illo fonte inexhauſto omnis boni in nos non derivetur. Itaque nec Servatores noſtri ſumus, nec dici poſſumus, ſed tamen *conficere* hactenus *ſalutem noſtram* in Scriptura dicimur, quatenus fide, pœnitentia, perſeverantiâ ſalus à

Chriſto

Christo nobis parta aditur, quomodo intelligendum est illud Augustini, *Qui te creavit sine te, non te servabit sine te.* Quanquam vox ipsa σωτηρία satis indicat, posse quidem adiri à nobis possessionem salutis, non posse tamen acquiri. Etenim quibus obvenit *salus σωτηρία*, eos esse mortis reos necesse est, itaque veniâ & remissione peccatorum egent vel maximè: (quæ præcipua salus est) ideóque Paulus in remissione peccatorum hominis felicitatem collocavit, Roman. 4. ℣. 6.7. Iam verò qui rei sunt mortis, quorum beatitudo sita est in venia & peccati expiatione, eos ne credibile est alio jure ad salutem posse niti, quàm illo quod sanguine Filij Dei, atque ejus absolutissimâ numeris omnibus obedientiâ, partum est? Itaque non pugnant ista, *Christus solus nos servavit, & nos nihilominus salutem nostram conficimus.* Solus nempe Christus jus adipiscendæ salutis nobis impetravit, nos autem instinctu Spiritus Christi juris illius reddimur participes.

℣. 13. ὁ ἐνεργῶν.] Hac voce significatur actio conjuncta cum efficacia, & quidem summa, quæ prohiberi nullo modo possit, idque ex usu Scripturæ, in qua sola rectè quæri & inveniri vocabulorum, quibus utitur, significatio & potest & debet. Quod Hebraicè est Esa. 41. 4. מי פעל ועשה *quis operatus est & fecit? vocans sæcula ab initio, ego Dominus.* LXX. sic verterunt, τίς ἐνήργησε καὶ ἐποίησε ταῦτα. Atqui eo loco actio efficacissima, & quæ omne obstaculum perrumpat & tollat, significatur. Satis enim liquet eo loco agi de creatione & conservatione mundi. Et Apostolus Eph. 1. 2. eâdem utitur voce quum agit de executione decreti & consilij divini, quod irritum fieri aut mutari non potest, κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Porrò & Diabolus dicitur ἐνεργεῖν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, Eph. 2. 2. ad notandam potentiam & imperij vim quod in reprobos obtinet. Nam cùm improbi naturâ proclives sint in peccatum, alieni autem à Deo, fieri non potest ut, accedente Satanæ astu & tentatione, non ruant in omne scelus veluti effusis habenis. Quod ille (quantumvis callidus veterator) nequaquam obtineret, nisi ij in quibus ἐνεργεῖ, sponte animi arcem proderent: manet enim illud firmum, *Nemo læditur nisi à semetipso.* In quo apparet insigne discrimen inter ἐνεργείαν Dei, in ijs qui vocantur ad salutem efficaciter, & eam quam Satanas exercet in suis. Etsi enim tam hæc quàm illa tam efficax sit, ut eventus ita sequatur, ut non possit non sequi, tamen Diabolus nullis machinis, nisi quis assentiatur, quidpiam efficere potest: cujus rei luculentissimum documentum Christus nobis exhibuit, qui tentatus à Satana Satanam repulit, *illisos fluctus rupes ut vasta refundit.* At Deus ἐνεργῶν *efficit* etiam, non *impetrat* modò assensum. Nec Diabolus in nobis malum *efficit*, sed proclivitatem & propensionem in malum *proritat*, & *excitat* consopitam, at *Deus est qui* ἐνεργεῖ *efficaciter operatur in suis velle & per-*

ficere. Quid enim ſcilicet inveniat Deus in nobis præter meras tenebras, & animi voluntatíſque malignitatem quandam, donec illuceſcat nobis Spiritus Sanctus, jubeátque (quod olim in prima creatione fecit) uti *lux è tenebris emicet.* 2. Cor. 4.6. auferátque *cor lapideum*, détque aliud *cor carneum?*

ỳ. 13. ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας.] Non eſt quod quis miretur inſolentiam particulæ ὑπὲρ quæ hîc pro κατὰ poſita eſt. Nam quod hoc loco Apoſtolus ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας dicit, alibi κατὰ τὴν εὐδοκίαν dixit, Eph. 1. 9. Nempe nihil eſt iſtis præpoſitionum Enallagis frequentius. Sic 2. Theſſ. 2. 1. *Rogamus vos*, inquit Apoſtolus, ὑπὲρ τῆς παρουσίας, pro διὰ τῆς παρουσίας. Porrò hunc locum Interpretes Syrus & Arabs, , imprudentes quidem illi, ſed tamen corruperunt: Sic enim ille reddidit, *Deus eſt qui efficit in vobis velle & perficere illud quod vos vultis.* Arabs autem ſic, *quoniam Deus eſt qui inſpirat vobis ſtudium*, (ſeu *efficaciam*) *ut velitis & faciatis id quod vultis*, ſeu *deſideratis.* Volunt nempe hîc intelligi humanam non divinam εὐδοκίαν, quæ manifeſta eſt corruptela. Nam in ijs quibus jam ineſt εὐδοκία quid opus eſt *efficere velle & perficere*: Etenim nihil opus eſt, in ijs qui jam volunt, efficere τὸ *velle.* Deinde, εὐδοκία κατ' ἐξοχὴν in Scriptura nihil aliud eſt quàm quod in Scholis vocatur *Dei beneplacitum*, quodque Paulus alibi vocat εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, Eph. 1. 5. Hæc eſt eadem illa εὐδοκία cujus meminit Chriſtus Matth. 2. 25. ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Vnde liquet nullam aliam eſſe cauſam cur Deus in his efficiat *velle & perficere*, (quod in alijs non facit) præter Dei εὐδοκίαν.

ỳ. 13. τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν.] His verbis id ipſum exprimitur quod Apoſtolus Rom. 7. 18. dixit, θέλειν καὶ κατεργάζεσθαι *velle & perficere.* Nempe, duo ſunt voluntatis motus, quorum prior inchoatus eſt tantùm: eum barbarè quidem, ſed ſignificanter tamen, in Scholis *velleitatem* vocant: Non eſt enim voluntas certa & conſtans, ſed tantùm inclinatio quædam, & levis atque evanida animi commotio, qualis eorum eſt qui *virtutem vident, intabeſcuntque relictâ.* Qui *vident meliora, probantque, ſequuntur verò deteriora:* qui vellent, ut dictitant, eſſe viri boni, nolunt tamen eſſe reverâ viri boni. Alter animi motus qui ſolis ineſt verè pijs (neque tamen ijs ineſt ſemper, ob reliquias carnis & peccati inſitas) eſt plena & conſtans atque immota voluntas vel in bono, vel in bonum, Ea hîc ἐνεργεῖν, & Rom. 7. κατεργάζεσθαι dicitur. Itaque agit hoc loco Paulus de Dei efficacia in pijs, ijs ſcilicet qui non modò afficiuntur perfunctoriè pietatis ſtudio, ſed ducuntur etiam & rapiuntur. Iam verò cùm nec animo cogitari poſſit tertius motus, Deus autem utrumque iſtum efficiat, & quidem ἐνεργεῖν, ſequitur nil eſſe in humana voluntate boni quod authori Deo non ſit referendum in ſolidum.

In EPIST. ad PHILIPPENSES. Cap. III. ℣. 6.

κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ.] Hæc est illa justitia Pharisæorum, quam dicit eam esse *quæ est in Lege*, ubi *in*, eo loco idem est quod *per*; justitia ergo quæ est *in Lege*, justitia est quę est *per Legem*. Atqui ista differunt, nam justitia quæ est *in Lege*, justitia est Lege præscripta à Deo, justitia quæ est *per Legem* justitia est illa quam Lex jubendo potest ab homine impetrare, quæ justitia vera non est.

In EPIST. ad PHILIPP. Cap. IV. ℣. 7.

εἰρήνη Θεοῦ ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν.] Quæritur, quomodo pax illa dicatur *superare omnem intellectum*. Nempe pax illa hujusmodi est, primò ut qui eam sensit, priusquàm eam sensit, non potuerit fingere animo quid tandem illud sit; deinde, postquàm ea pax percepta est, fieri nullomodo potest ut quis ejus vim pro rei dignitate & excellentia possit explicare. Nam quod nonnullis videtur Apostolus aliquid significare, quod præter intellectum, & sine ejus interventu, voluntatem afficit, vel hinc refelluntur, quod eadem pax hîc dicitur *custodire intellectus nostros* τὰ νοήματα ἡμῶν, *in Christo Iesu*; Et Apoc. 2. 17. calculus albus qui fidelibus datur (quo pax ista significatur) ejusmodi esse dicitur, quem nemo novit præter eum qui accepit illum. Ergo, qui accepit calculum novit quis sit iste calculus. Non est autem novum in Scriptura, ut ea dicantur superare omnem intellectum, quę humanus intellectus non potest ita distinctè concipere, ut eadem possit explicare, sic enim Ephes 3. 19. *charitas Dei* dicitur ὑπερβάλλουσα τῆς γνώσεως *supereminentior esse omni cognitione*, quia ita eam capit animus humanus ut rapiatur in admirationem, vidétque semper aliquid superesse quod persentiscere quidem potest, attamen non ita percipere ut possit explicare totum.

IN EPISTOLAM

AD COLOSSENSES.

CAPUT PRIMUM, ℣. 10.

ΠΕριπατῆσαι ὑμᾶς ἀξίως τοῦ Κυρίου.] Hunc locum adfert Bellarminus, ut probet meritum condigni. Sed frustrà. Nam est-ne quisquam mortalium qui sit dignus Deo (quomodo vocem *dignè* accepit Bellarminus) cùm tantus sit Deus ut nemo possit Deum demereri? Quid ergo significat *incedere dignè Deo?* Sane, incedere prout decet Dei fi-

lios. At in hoc tantùm abest ut sit meritum, ut potius sit debitum, tenemur enim sanctè vivere.

℣. 15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως.] Hîc quærunt hæretici Photiniani, cur Christus dicatur *primogenitus omnis creaturæ*. Nam, inquiunt, primogenitus ejusdem est naturæ, seu essentiæ, cum ijs quorum est primogenitus, estque vox quæ ὁμοουσίαν indicat, Ergo, inquiunt, Christus est creatura. Nonnulli respondent, Christum ideò dici *primogenitum omnis creaturæ*, quòd sit genitus ante omnes creaturas, sed hoc nodum istum non solvit, imò verò id est ipsum petere principium. Nec responsio illa quadrat verbis Apostoli, qui dicit hîc Christum ideò esse primogenitum omnis creaturæ, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, &c. *quia per eum omnia facta sunt*. Respondemus itaque, *Primogenitum* dici duobus modis, primò, *propriè*, pro eo qui ante alios omnes sui similes natus est; atque hoc respectu Christus non est primogenitus omnis creaturæ, sic enim ipse esset creatura, ante omnes alias creaturas à Deo creatus, quod Arriani volunt. Secundò, *Primogenitus*, metonymiâ antecedentis pro consequente, ille dicitur qui est Dominus & Hæres omnium bonorum paternorum, unde Phrasi Scripturæ familiari is primogenitus dicitur qui est reliquorum Dominus, Princeps, Primarius. Sic Psal. 89. 27. David dicitur *primogenitus Regum*, hoc est, præcipuus & primarius inter Reges, Regum omnium gloriosissimus & famosissimus. Et Esai. 34. 31. *primogeniti pauperum* dicuntur qui pauperrimi & miserrimi sunt, q. d. pauperum & mendicorum primarios veluti duces. Et Iob. 18. 13. *primogenitus mortis* dicitur Princeps & quasi Angelus mortis, morti præfectus. Ita & hoc ipso loco, in quo Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, dicitur etiam πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, *primogenitus mortuorum*, (℣. 18.) hoc est, Caput & Princeps seu Dominus mortuorum in beata resurrectione excitandorum. Eodem modo dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, quia dominium habet in omnes creaturas, omnium est Princeps quia omnia condidit. Eodem sensu dicitur Christus Heb. 1.2. *Constitutus hæres omnium, per quem*, inquit Apostolus, *& sæcula fecit*. *Hæres* ibi est Caput, Dominus, Princeps Nam בכור *primogenitus* apud Hebræos erat fratrum suorum dominus, & familiæ veluti princeps. Quin & Latinis *Hæres* pro Domino accipitur Instit. Iustin lib. 2. Tit. 19. de Hæred. qualit. & differ. §. ult. *Pro hærede gerere, est pro Domino gerere, Heredes enim veteres pro dominis appellabant*.

℣. 14. εἴτε θρόνοι, &c.] Omissis nugis Pseudo-Dionysij de distinctione horum Ordinum, simplicissimum est, ut dicamus Paulum, dum vult ostendere esse inter Angelos ordinem quendam, id voluisse significare nominibus earum rerum quæ in oculos nostros incurrunt quotidie. Nempe, in politia humana sunt *Throni*, quales sunt Regum & Monarcharum, & sunt κυριότητες, quales sunt Regulorum, & sunt deinde ἀρχαὶ,

quales ſunt qui à Regibus, & Regulis, præficiuntur provincijs & urbibus, & ſunt ἐξουσίαι *Poteſtates*, quales ſunt Magiſtratus infimo loco conſtituti; & certè linguâ Latinâ *Poteſtas* id videtur ſignificare, apud Iuven. Sat. 11.

Cujus qui trahitur prætextam ſumere malis,
Quàm Fidenarum aut Gabiorum eſſe Poteſtas.

unde etiamnum hodie ejuſmodi Magiſtratus ab Italis dicuntur, *il Podeſta*, Ergo videtur voluiſſe Paulus ſimpliciter ſignificare Ordines eſſe, aut potius ordinem inter Angelos, attamen an ſint quatuor, an verò pauciores, aut plures, id verò ex verbis Pauli definiri nequit. Paulus, inquam, nominibus quibus humanæ res appellantur, Angelos diſtinguit, non quidem ut oſtendat accuratè quod ſint inter Angelos diſcrimina, ſed ut rem tantam nobis adumbret. Certè cap. 1. ad Epheſ. meminit ἀρχῆς *Principatus*, ἐξουσίας *Poteſtatum*, δυνάμεως *Virtutum*, & κυριότητος *Dominationum*, quo in loco neglexit ordinem quem hîc ad Coloſſenſes ſequitur, imò verò & nomen *Throni* omiſit, & nomen δυνάμεως adhibuit, quod non adhibuerat, ut nobis conſtet Paulum noluiſſe hîc philoſophari. Quin & cap. 6. ejuſdem Epiſtolæ ad Epheſ. ℣. 12. Cacodæmonas vocat ἀρχὰς, ἐξουσίας, κοσμοκράτορας, [nempe ut doceat quantum poſſint] nominibus quibus illi ornantur quæ in ſæculo multum poſſunt.

℣. 20. εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.] Apoſtolus hîc per τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς eadem intelligit quæ paulo ante ℣. 16. ubi nomine *eorum quæ ſunt in cælis* Angelos deſignat. Reconciliatio ergo hîc Angelis tribuitur ab Apoſtolo, at non reconciliatio Angelorum cum Deo, boni enim Angeli nunquam fuerunt à Deo alieni. Itaque iſta *reconciliatio*, ut & *recapitulatio* ἀνακεφαλαιώσεως, cujus meminit idem Apoſtolus Epheſ. 1. 10. non eſt Angelorum cum Deo, ſed Angelorum & hominum, quæ quomodo ſit accipienda diximus ad illum locum. Itaque nullo Scripturæ teſtimonio nititur eorum ſententia, qui ex illo [Epheſ. 1. 10.] loco colligunt beneficium redemptionis etiam ad Angelos pertinere, nihil enim eſt aliud ἀνακεφαλαιώσασθαι eo loco, quàm ἀποκαταλλάξαι & εἰρηνοποιῆσαι hoc loco. Et certè videtur diſconvenire ut Angeli boni Mediatorem habeant, non una de cauſa. Nam primò, Mediatoris hæc conditio eſt ut debeat particeps eſſe utriuſque naturæ; Iam verò Dominus noſter Ieſus Chriſtus non fuit particeps Angelicæ, ſed humanæ naturæ. Deinde, non eſt Mediator qui idem non eſt duorum Mediator, & quidem duorum qui inter ſe diſſident.

In EPIST. ad COLOS. Cap. II. ℣. 22.

ἅ ἐστι πάντα, &c.] Quæritur quid ſibi velit illud *Ne tange*, &c. *quæ omnia pereunt ipſo uſu*. ℟. Paulum intelligere res ipſas circa quas tactus, guſtus, contrectatio verſatur, quæ cum ſint obnoxia interitui, fieri

non potest ut ulla pietas sit in harum rerum abstinentia, aut verò impietas in earum tactu aut gustu: nempe quomodo Christus dicit; *Nihil eorum quæ in os ingrediuntur polluere hominem*, & ipse Paulus alibi, *Regnum Dei non esse in cibo & potu*, Rom. 14. 17.

℣. 23. ἅτινά ἐστι λόγον ἔχοντα, &c.] Quæritur, an ἅτινα eodem referatur, & de iisdem accipiatur, atque ἅπαντα versu præcedente. ℟. referri ἅτινα ad ἐντάλματα, quod proximè præcedit, ut sit sensus, Præcepta & doctrinas illas hominum de abstinentia habere quidem speciem sapientiæ, primò, quia illis præscribitur cultus voluntarius, qui cultus ille est quem Pontificij vocant *bonæ intentionis*, qui homini maximè arridet, & ideò maximè illi probatur quia voluntarius est, unde fit ut ejusmodi opera vocent *Supererogationis* opera, quibus sibi volunt multò plus deberi, quod ea non sint à Deo præcepta, videtur autem omnino alludi ad id quod Iud. 21. 25. & alibi non semel dicitur, איש הישר בעיניו יעשה. Cui opponitur εὐσέβεια 1. Tim. 6. 11. hoc est, quod 2. Reg. 15. 34. dicitur הישר בעיני יהוה. Secundò, quia illa sunt ἐν ταπεινοφροσύνῃ, versantur nempe circa ea quibus humana natura redditur sordida veluti & contempta, ut Monachus qui quo sordidior est & panniosior eo sanctior videtur, unde in Evangelio scriptum est, Pharisæos solitos esse ἀφανίζειν τὰ πρόσωπα. Tertiò, quia illa sunt, ἐν ἀφειδίᾳ σώματος, hoc est, quia hac ratione cruciatur corpus.

Ibid. οὐκ ἐν τιμῇ τινί.] Quæritur quid sit illud οὐκ ἐν τιμῇ τινί. ℟. primò, hæc verba includenda esse per Parenthesin, nam series sermonis id requirit ut hæc conjungantur, ἐν ἀφειδίᾳ σώματος πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός, hoc est, *illis corpori non parcitur quantum ad carnis expletionem attinet.* Secundò, si velimus scire quid Paulus hîc per τιμὴν intelligat, consulendus est ipse 1. Thess. 4. 4. *Vt unusquisque vestrûm sciat possidere vas suum* ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ. Nam est quædam ἀφειδία σώματος quæ est ἐν τιμῇ, ut quum quis non indulget libidini carnis, unde fit ut non polluat carnem suam. Itaque versu præcedente Apostolus istam τιμὴν explicavit, *Hæc est*, inquit, *voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis à scortationibus.* Huic τιμῇ opponitur ἀτιμία, ἀσχημοσύνη, ἀκαθαρσία, Rom. 1. 24. contrà τίμιος ὁ γάμος dicitur, Heb. 13. At ista superstitiosorum abstinentia, seu σώματος ἀφειδία, non est ἐν τιμῇ τινί, nam corpus eâ veluti dehonestatur & fœdatur: quin & sententiam illam quæ non admittit, nec probat abstinentiam nisi ea sit ἐν τιμῇ, rejicit Bellarminus. Nempe, quia improbo homini nihil æquè gratum est, quàm ut quum offensus est ab aliquo, cruciatu sibi ab eo satisfiat. Dei ingenium ex suo ipsius ingenio homo metitur.

In EPIST. ad COLOS. Cap. III. ℣. 5.

ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία.] Apostolus avaritiam vocat *idololatriam*, non quod velit [ut vulgò accipitur] avaritiam esse idololatriam, sed quia

nihil erat execrabilius omnium Iudæorum judicio quàm idololatria. Nam hoc solemne est Hebræis magna peccata notare nominibus quæ significant peccata vulgo detestanda, ut quum rebellio adversus Deum dicitur in Scriptura *divinatio*, *incantatio*, *&* *idololatria*, 1.Sam. 15 23. non quod rebellio sit divinatio, sed sic loquitur Spiritus, ut notet quàm sit execrabilis præfracta apud Deum animi obstinatio. Sic hodiéque Germani Iudæi quoties aliquid detestantur, [etiam dum Germanicè loquuntur] vocant illud פסול à פסל quod *sculptile*, *idolum* significat: Et in scriptis Rabbinorum nihil est frequentius quàm res abominandas appellare פסולים.

IN I. EPISTOLAM AD THESSALONICENSES.

CAPUT TERTIUM. ℣. 5.

Ὁ πειράζων.] Diabolus in Scriptura *πειράζων* dicitur המנסה, & quidem *πειράζων*, tanquam nomine appellativo, nam participium nominascit. Itaque Latinus Interpres Matth. 4. 3. rectè vertit *Tentator*, quod non itidem fecit hoc loco, ubi notandus est ejus lapsus, nam & hîc vertendum erat *πειράζων* *Tentator*, videtur enim omnino hæc locutio habere redundantiam, *ne fortè tentaverit vos is qui tentat*, quod Syrus Interpres cavit, reddidit enim participium ac si nomen esset, מנסינא hoc est, *Tentator*.

In EPIST. I. ad THESS. Cap. V. ℣. 19.

τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε.] Duo sunt actus Spiritus Dei in opere regenerationis nostræ, *præcedaneus* unus, *succedaneus* alter. Actus *præcedaneus* non pendet à nobis, sed à Deo per Spiritum suum nos regenerante, & ille actus est initium illuminationis. Actus *succedaneus* pendet à nobis ut à causa subordinata, & iste est continuatio illuminationis jam receptæ. Dicimur *extinguere Spiritum gratiæ* actu succedaneo, non præcedaneo. Porrò *ablatio* & *exstinctio* Spiritus non sunt idem, sed diversa planè, nam *ablatio* est actûs Dei, *exstinctio* est actûs nostri.

IN II. EPISTOLAM AD
THESSALONICENSES

CAPVT SECVNDVM, ℣. 1.

KAὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν.] Ἐπισυναγωγὴ Eccleſiam hîc non ſignificat (uti nonnulli falsò exiſtimant) ſed ***aggregationem fidelium ad Chriſtum*** quæ fiet ultimo die, nempe ante illud tempus nunquam conjungimur omnes ad Chriſtum. Quod ſi ἐπισυναγωγὴ Eccleſiam eo loco ſignificaret, oratio neque aliquid ſignificaret, neque cohæreret; quid enim ſibi velint hæc verba, ***oro vos per adventum Chriſti, & per Eccleſiam?*** Sanè non facilè eſt aſſequi quid ſibi velit qui ſic loquitur. Tum etiam cur adventus Chriſti primò meminerit, tum Eccleſiæ, ſi ἐπισυναγωγὴ aliud eo loco ſignificat quàm collectionem omnium fidelium, collectionem, inquam, quæ fiet tum quum animâ & corpore ſimul unâ conveniemus ad Chriſti tribunal, atque unâ cum Chriſto regnabimus?

℣. 3. ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον.] ***Apoſtaſia*** ſignificat haud dubiè aliquid magnum & inſigne, ſed magnum & inſigne malum. Sunt qui hac voce intelligi volunt defectionem ad Gentiliſmum, verùm ijs temporibus, quibus Apoſtolus hæc ſcripſit, Gentiliſmus obtinebat, abolendúſque erat paulatim per prædicationem Evangelij, Pontificij defectionem intelligunt ab Imperio Romano, in eo ſecuti nonnullorum Patrum authoritatem. Sed ſi defectio ab Imperio Romano hoc loco ſigificetur, cùm jam pridem Romanum Imperium defecerit, ſequetur multò ante ſæcula noſtra Apoſtaſiam hanc contigiſſe, & quidem in Eccleſia Romana quæ ſubduxit ſe Imperatori Romano, præſertim verò Papa, caput Eccleſiæ Romanæ qui, reliquis Principibus præbuit exemplum hujus rebellionis, atque adeò illis fuit author. ***Apoſtaſia*** certè non ſignificat hîc Apoſtolo defectionem ad Gentiliſmum, neque item à legitimo Magiſtratu, ſed idipſum planè eſt quod Propheta Ieremias cap. 29. 32. (quum agit de falſis Prophetis eorúmque vaticinijs) vocat סרה hoc eſt (ut verterunt LXX. Interpr. & res ipſa poſcit) ἀποστασίαν, ***declinationem***, ſeu ***receſſum***, non quemcumque, ſed eum cui prætexitur authoritas verbi Dei. Nam quum eo loco Ieremias objicit Scemahiæ Pſeudoprophetæ ***Apoſtaſiam***, non intellexit idololatriam Gentilium, ſed adulterationem verbi Dei. Similiter Paulus 1. Tim. 4. 1. ***Spiritus***, (inquit) ***diſertè dicit fore ut ultimis temporibus nonnulli*** ἀποστήσονται, ***diſcedant à fide***, non hoc vult,

vult fore ut nonnulli deficiant ad Paganismum, sed potius hoc vult, fore ut nonnulli Doctoribus profitentibus religionem Christianam, sed eam adulterantibus, aures prębeant nimis faciles & pronas. Et Actorum cap. 21. Fratres Ierosolymitani, dum admonent Paulum periculi in quo versabatur Ierosolymis, aiunt percrebuisse rumorem de Paulo, ac si doceret *Apostasiam*; ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις ἀπὸ Μωσέως, ℣. 11. Non quod Paulo unquam ab ullo esset objectum, quod defecisset ad Gentes, quod negaret Messiam, aut verò etiam Legem & Prophetas, sed quod obtentu nominis Messiæ, Legis & Prophetarum contaminaret puritatem doctrinæ. Est autem hæc Apostasia antonomasticè sic à Paulo dicta ἡ ἀποστασία, primò, quia ea fuit quæ non genitura esset in Ecclesia manifestum Schisma: nam admittenda fuit à successoribus verorum & piorum Episcoporum, & quidem à successoribus veri & pij gregis, cùm reliquæ Apostasiæ, quæ etiam Apostolicis temporibus obtinuerunt, conjunctæ fuerint cum Schismate. Hujus generis Apostasiæ imaginem habemus in Ecleclia Iudaica, qualis fuit à Prophetarum temporibus ad Christi usque adventum: nam labes illa, seu lues potius, ipsos occuparat successores piorum Doctorum, cùm pij interim gemerent & suspirarent. Deinde, reliquæ Apostasiæ statim eruperunt, itaque in ijs nullum fuit mysterium; at hæc Apostasia quę Christianam Ecclesiam penè obruit, cœpit ab exiguis initijs, crevit tempore, cum interim non exstincta fuerint priora, sed prioribus aliquid singulis ætatibus adjectum Nam corruptelæ in doctrina initio leves fuere, itaque vel non fuerunt perceptæ, vel negligebantur etiam à viris bonis, qui nisi urgeat rei gravitas, nullo modo possunt excitari ad ea palam profitenda, quorum professio turbas excitare possit in Ecclesia, etiamsi sint verissima, tantùm eunt obviam malo cùm perniciosum est.

℣. 4. ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ καθίσαι.] Sunt nonnulli ex Ecclesię Romanæ asseclis, qui hinc ultro scientes prudentes fucum ipsi sibi faciunt, manendo in ea Ecclesia, quasi jure id ab ipsis fiat, quòd eam ideo putent esse veram Dei Ecclesiam, qùia Antichristus in ea sedem suam habet. Sed sanè frustrà sunt. Nam sic nullo unquam tempore pijs liceret ab eorum cœtu discedere, qui Tyrannum illum Ecclesiæ sęvissimum colunt & sectantur, quod est vehementer absurdum. Tùm non considerant, an ab Ecclesia, an verò potius adversus Dei Ecclesiam exerceatur, exercendáque fuerit ab illo perditionis filio ejusmodi, quam usurpavit, tyrannica potestas: utrum ab ea probetur, an verò improbetur, Tyrannis illa. Atque hinc est quod August. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 59. verba illa εἰς τὸν ναὸν non *in Templo*, sed *adversus Templum* interpretatus sit, quasi sensus & mens Apostoli sit, Antichristum non in Ecclesia Dei sessurum atque dominaturum, sed contrà, insurrecturum eum adversus veram Dei Ecclesiam.

Verùm ut ne huc confugiamus, licet hîc εἰς τὸν ναὸν pro ἐν τῷ ναῷ positum esse ab Apostolo concedamus, negamus tamen hinc aliud quidquam confici posse, preter hoc, eum nempe cœtum qui Antichristum colit, reveretur, eique per omnia obsequitur, nomine & titulo tenus duntaxat esse Ecclesiam. Est nempe ille in Ecclesia ut in corpore carcinoma, ut in Republica Tyrannus. Atque hæc videtur omnino esse causa, cur Apostolus certo consilio hîc non *Ecclesiæ* nomine, sed *Templi Dei* usus sit. Voluit nimirum alludere ad Hierosolymitanum templum, sic olim κατ' ἐξοχὴν *Templum Dei* dictum, atque hoc obiter innuere & significare: Quomodo olim Templum illud Ierosolymitanum locus aliquando fuit à Deo cultûs sui externi celebrationi dicatus, sed qui postmodum hominum improbitate & scelere in lustrum & speluncam latronum est commutatus: veterem tamen *Templi Dei* appellationem nihilominus aliquandiu retinuit, propter primum illum & verum ejus usum. Pari ratione Ecclesiam Romanam jam hîc *Templum Dei* dici, quod olim Dei veluti manu plantata & exculta quasi fuerit, Deóque & Christo Domino Iesu dicata per Baptismum, & fidei Christianæ professionem [quod ipsa etiamnum hodie quoad externam formam retinet] sed quæ jam longè à prima illa sua origine discessit, multiplicibúsq; erroribus & sceleribus primam illam sui veluti consecrationem polluit, atque profanavit, falsique jam revincit quam nunc obtendit fidei professionem. Qua in re eadem est planè ejus ratio quæ est subditorum rebellium, qui in Regem suum insurrexerunt, hi enim, utut rebelles, aliquatenus tamen & aliquandiu dicuntur *Regis subditi*, factionisque illius Caput & Princeps dici vulgo solet *subditis Regis imperare atq; dominari.* Sic adultera aliquãdiu *uxoris* nomen retinet. Hoc pacto illi *Templum Dei* dici possunt qui revera facti sunt spelunca latronũ, inter quos nõ Antiochus, sed Antichrist° collocavit abominationem desolationis suę.

Præterea, ut illis etiam concedamus, *Templum* illud *Dei* in quo sessurus est Antichristus, veram esse Dei Ecclesiam, non tamen inde continuò sequitur Ecclesiam Romanam hodiernam esse veram illam Ecclesiam: Hoc tantum indè confici poterit, Fideles qui & olim, & etiamnum fortè hodiè, in Ecclesia Romana delitescunt, & captivi detinentur, (quomodo Iudæi olim in Ægypto & Babylone) esse *Templum* illud *Dei.* His olim insedit, hodiéque insidet, eorúmque veluti cervicibus inequitat Pontifex Romanus, atq; eo respectu etiam κατ' ἀκριβολογίαν dici potest *sedere in Templo Dei.* Interim illi nunquam fuerunt, neque verò sunt in Ecclesia Romana, licet sint & fuerint in Ecclesia Rom. quomodo nimirum triticum est in palea: quomodo item pauci interdum inveniuntur sinceri & incorrupti in Collegio & cœtu corruptissimorum Iudicum; quomodo denique pauci sani in magna peste laborantium turba, quorum tamen ipsi pars non sunt.

Denique, ut illis hominibus omne undecunque eripiatur effugium, Pontifex Romanus dici potest *sedere in Templo Dei:* habito respectu ad jus illud quod ipse sibi arrogat in universos Christianos, etiam in eos qui ab ipso secesserunt, quatenus iniquis suis Censuris (quasi legitimus esset eorum Iudex) conatur eos vexare, Principésque & Reges hujus sæculi in eos armat, concitat & sævire cogit.

℣. 7. *τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας.*] Sunt qui per *mysterium* istud *iniquitatis* intelligunt hæreses, & corruptelas morum vulgares, quæ jam tum grassabantur in Ecclesia, at hoc non est tanti ut *mysterium* dici debeat; *mysterium* enim aliquid magnum est & latens. Itaque *mysterium iniquitatis* dicitur quemadmodum 1. Timoth. 3.16. *mysterium pietatis*, quod cœpit statim à lapsu hominis, & tandem adeptum est complementum certo quodam & statuto tempore; sic & hoc *iniquitatis mysterium* cœpit Pauli tempore, promovendum postmodum per gradus. Itaq; non intelligit hîc Apostolus Hæreses quæ statim evanescunt, succedentibus novis hæresibus pugnantibus sæpenumerò, sed aliquod malum quod serpere debuit per omnia sæcula, & serpendo capere incrementum ut pilæ niveæ quas per ludum pueri per hyemem conficiunt, nam initio sunt admodum exiguæ, sed dum subinde volvuntur crescunt ferè in montem; præsertim siqui sint qui indesinenter & valida manu eas huc & illuc impellant atque versent. Sed quæritur, quodnam fuerit tandem hoc mysterium, quod ab exiguis initijs eousque pervenerit. Responsio autem [adsit modò candor & integritas] est facilis: Nempe hoc mysterium *Papatus est*, cujus fundamenta etiam Apostolicis temporibus sunt jacta. Qum dicimus *Papatus fundamenta*, intelligimus *Primatum* in Ecclesia, non *ordinis* modò, sed *Iurisdictionis* & *authoritatis*. Primatum autem illum cœpisse temporibus Apostolicis, liquet manifesto ex Epist. ad Galat. cap. 1. & 2. Nam eo loco omni ope Apostolus incumbit in hanc rem, ut se æquet ijs qui tum *Columnæ* habebantur in Ecclesia. Vbi hoc imprimis est observandum, quod Zebedæi filios, Iacobum & Ioannem, sejungit & in medio Petrum collocat; nempe his tribus Christus singulare privilegium indulserat, [quod quale fuerit alibi est à nobis explicatum] unde orta est nimia eorum in Ecclesia æstimatio. Observandum, inquam, Apostolum non collocasse Petrum in primo loco, quum agitur de columnis, neque item ultimo loco, sed medio, ut ordinem illum disturbaret, nam si conjunxisset duos fratres, eodem *Boanergis* nomine appellatos, visus fuisset detulisse illis Primatum: Si Petrum primo loco collocasset, detraxisset quidem fratribus Primatum, sed tribuisset Petro. Itaque quod sapientiæ Apostolicæ fuit, Petrum in medio locavit.

Sed objiciet hîc aliquis, nos sic facere Petrum Antichristi decessorem. Sed si pondus habet aliquod hæc objectio, pari ratione quis cavillari

posset. Ieremiam habitum fuisse idolum Hieronymo, qui scripsit, ea ætate qua vixit, Ægyptios solitos ad sepulchrum Ieremiæ ea facere quæ faciunt idololatræ; vel ut exemplo utamur quo animus afficiatur vehementius, Serpens æreus qui Dei jussu erectus est in deserto, Idolum tum fuit quum adorari cœptum est. Sed *Idolum* est duplex, alterum genus Idoli est (liceat enim sic loqui) *activè* idolum; quale idolum est Antichristus, vult enim se haberi pro Principe Ecclesiæ, & eo respectu adorari. Alterum idoli genus est quod est *passivè* idolum: idque duobus modis, nam idolum *passivè* est quod neque admittere, neque verò respuere potest idololatriam, ut sunt res inanimes, seu aliquando fuerint animâ præditæ, seu nunquam, ut qui hac vita sunt defuncti, & ligna & lapides; & est idolum *passivè* cui defertur honor quem respuit; hujus generis idola fuerunt Paulus & Barnabas, quum eorum alter pro Iove, alter pro Mercurio habitus est, Act. 14. 12. Sic fundamenta Antichristianismi fuerunt in Petro, non *activè* sed *passivè*, hoc est, Petro perperam contra jus & fas deferebatur Primatus. Iam verò norunt omnes, etiam pueri, hodiéque Papatus privilegia adscribi, & accepta ferri authoritati Petri, & qui vel primoribus labris attigit historiam Ecclesiæ, deprehendet magnum honorem semper habitum sedi Petri. Nam *mysterium iniquitatis* effecit ut Romæ sedes Petri haberetur. Neque tamen statim hoc malum adeò magnum fuit, nam quæ existunt derepentè ea evanida sunt, at quæ exigua habent initia, ea verò excrescunt aliquando in molem immensam. Certè cùm Christus primus sit, Antichristianismus Primatus erit; quid enim aliud sit Antichristianismus quàm usurpatio dignitatis Christi? Porrò Christi dignitas in tribus est sita, ut sit idem Propheta, Sacerdos, & Rex Ecclesiæ suæ, docendo, offerendo sacrificium, & regendo Ecclesiam. Iam proclive est non modò divinare, sed indicare digito, quis hæc sibi tribuat, apud quos ea anthoritas obtineat: non enim latet quis sibi arrogat jus in conscientiam, in regna, in ea quæ spectant ad hanc vitam & ad futuram: qui novum instituit sacrificium, abstulit sacrificium verè novum, atque ita facit re quod Anthiochus Epiphanes typicè fecit, abstulit juge sacrificium, nostrum enim juge sacrificium est Christus crucifixus, qui postquàm *invenit*, (id est, exhibuit) *æternam redemptionem, consedit ad dextram Dei in cœlo.* Initio sanè res fuit tenuis admodum, Petrus primùm cœpit haberi pro primo Apostolorum, in quo modus ille Primatus, qui Petro ex instituto Christi conveniebat, non est observatus; Deinde, in tenebris nascentis Ecclesiæ (porrò *tenebras* vocamus Scriptorum statim post Apostolorum tempora inopiam) obtinuit fama Petrum constituisse, Romæ præsertim, successorem. Cùm huic rei lenocinium aliquod veluti conciliaret Vrbis splendor & dignitas, Episcopus Romanus habitus est pro Petri successore. Et cùm ad res magnas ge-

rendas ea urbs esset admodum opportuna tum ob situm, tum ob authoritatem politicam, hinc factum est ut sensim, nullo penè animadvertente, *Mysterium* illud ad summum tandem productum sit.

In II. EPIST. ad THESS. Cap. III. ℣. 2.

οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις.] Novatorum quidam his verbis hunc sensum tribuunt, ut ideò negent fidem dari protervis istis, quia protervi fuere. Nempe quod huic plus, illi minus, vel etiam nihil detur, aut etiam quod habet auferatur, causam nolunt esse quærendam in decreto præcisæ Vocationis, sed in discrimine hominum, quorum alij quod offertur cum gaudio excipiunt, alij protervè respuunt. Sed primò, non hoc quæritur cur Deus deneget fidem aliquibus, in confesso enim est denegationis *absolutè* consideratæ causam esse in nobis. Demus igitur Apostolum hoc velle denegatam esse protervis istis fidem, quod essent protervi, nihil voluerit quod faciat pro Novatorum sententia. Deinde, non est ea mens Apostoli eo loco quam illi putant, sed planè diversa: Duo isthic à Thessalonicensibus exigit Apostolus, primùm ut orent pro successu Evangelij, *Orate ut sermo Domini currat & glorificetur, sicut & apud vos.* Porrò successus Evangelij non est gratia quædam *communis*, sed communis gratiæ *efficacia*, quæ *specialis* cujusdam gratiæ est effectum, unde nempe prioris illius communis gratiæ efficacia proficiscitur. Apostolus igitur non hortatur simpliciter Thessalonicenses ut Deum rogent ut communem velit gratiam largiri, sed specialem, quando communi illâ (nisi accedat hæc) gratiâ nihil promovetur. Itaque signanter Apostolus, *ut*, inquit, *glorificetur sicut & apud vos.* Non autem glorificatur ubi contemnitur, contemnitur autem ubi non impetrat obsequium. Iubet igitur Apostolus orari Deum ut obsequium impetret Evangelium; id verò non est commune pijs cum impijs. Ergo jubet orari pro eo quod est peculiare pijs; frustrà, nisi hoc *quod est peculiare tam sit à Deo* quam illud commune. Alterum quod exigit hoc est, ut orent ut liberetur à protervis hominibus. Sed quoniam pugnantia exigere videbatur Apostolus, nempe ut oretur pro successu Evangelij, & oretur itidem pro liberatione ab impijs, cùm si Evangelium currat & glorificetur, hoc est, sit efficax, nulli impij sint futuri, subjungit, *non omnium esse fidem*, hoc est, ita orandum esse pro successu Evangelij monet, ut interim meminerimus Deum non exauditurum preces nostras respectu omnium hominum promiscuè, sed eorum tantùm respectu quibus in æterno suo consilio decrevit fidem dare.

IN I. EPISTOLAM
AD TIMOTHEVM.

CAPVT SECVNDVM, ℣. 1.

ΔΕήσεις, προσευχαὶ, ἐντεύξεις.] Vna eadémque res diversis nominibus significatur. Neq; tamen hęc vocabulorum, eandem rem significantium, accumulatio pro tautologia est habenda: Etsi enim idem significatur, tamen non eodem modo significatur, id quod ad constituendam tautologiam necessariò requiritur. Cęterùm idem bis significatur sine tautologia duobus modis, vel quum proprio vocabulo figuratum adjungitur, vel quum plura vocabula junguntur, sive propria sive figurata. Id quod fit rursus duobus modis, vel enim notius vocabulum jungitur obscuriori, vel in significandi modo diversitas quędam est: ut verbi gratiâ, preces Paulo dicuntur δεήσεις, quia precibus testamur apud Deum egestatem nostram, (nam δέεσθαι *indigere* est) eędem preces προσευχαὶ dicuntur, quia precibus nostris animi nostri vota Deo aperimus: eędem dicuntur ἐντεύξεις, propterea quod non timidè & diffidenter, sed penè familiariter, Deus adiri se ab orantibus patitur.

℣. 4. ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι.] Sunt qui ex hoc loco evincere se posse putant, Christum non aliter pro his quàm pro illis esse mortuum. sed pro omnibus & singulis æqualiter, quia scilicet Deus omnium & singulorum hominum (teste Apostolo) pariter salutem cupit & vult. Nam quod excipi vulgò solet, πάντας, non *singula generum*, (uti loquuntur) sed *genera singulorum* hîc significare, sic refellunt, ut dicant, eorum omnium Deum velle salutem pro quibus vult nos ad ipsum preces fundere: (hoc enim versu habetur αἰτιολογία præcepti antecedentis de concipiendis precibus pro omnibus hominibus.) Atqui oportet nos preces fundere ad Deum non pro generibus duntaxat hominum in commune, sed pro individuis & singularibus etiam hominibus, quorum nimirum tenemur exoptare & à Deo rogare salutem. Sed hæc ratio sic refellitur. Quas preces pro aliorum salute concipimus, eæ vel sunt *absolutæ*, ut quum Ecclesiam, electósve Deo commendamus, aut contrà quum juratos Dei hostes devovemus; vel sunt *hypotheticæ*, ut quum de hujus vel illius conversione ad fidem, vel confirmatione in fide, Deum interpellamus. Iam, quomodo pro singulis est orandum,

eodem modo singulorum salutem vult Deus: At pro singulis est orandum cum conditione, Ergo *cum conditione* singulorum salutem volt Deus, (quod verissimum est) non verò *absolutè*; Quomodo ergo pro singulis non possumus orare cum fide *absolutè* (cùm de singulorum salute nulla sit in Scripturis promissio, fides autem sine promissione nulla est) sic nec Deus omnium pariter salutem vult *absolutè*, & sine ulla conditione. Si enim absolutè id vellet, id effectum proculdubiò daret, non est enim impotens, ut id non possit efficere quod maximè vult absolutè & sine conditione. Vult ergo omnium & singulorum hominum salutem, at non absolutè, sed sub fidei conditione, juxta illud Christi, *Sic Deus dilexit mundum, ut dederit unigenitum suum, ut quicumque crediderit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Nimirum Scriptura amorem Dei antecedentem sic nobis describit, ut in eo gradus quosdam inesse doceat, quorum primus hic est, quod Christus tum Gentibus tum Iudæis (hoc enim Scriptura *omnis creaturæ, omnis carnis, Mundi* nomine intelligit, *πρὸς ἀντιδιαστολὴν* Ecclesiæ Iudaicæ, quæ non erat *καθολική*) datus est, sed hac cum conditione *si in illum credant*; *Sic Deus dilexit Mundum*, &c. Hujus gradus respectu Deus dicitur *Christum dedisse pro vita Mundi, velle omnium salutem*, quatenus nimirum omnes vocat ad pœnitentiam, alios lege naturæ; hos Lege scripta, alios Evangelij prædicatione: Ergo Deus, qua vocans, omnes dicitur velle ad cognitionem veritatis venire, sed quia eos invitat, sic vult omnes piè vivere, quia illud imperat. A secundo gradu antecedentis amoris est quod Deus fidem dat, quod ostenditur loco non minus celebri, *Nemo potest ad me venire nisi Pater traxerit eum.* Respectu hujus posterioris gradus Christus dicitur datus pro Electis tantùm, eosq; tantùm velle servare. Ita videtur Scriptura idem de Deo affirmare & negare, cum nimirum velle & nolle omnes servare. Neque propterea revera in Deo pugna est, sed infinitas [ut ita loquar] Dei facit ut quæ nobis videntur pugnare, in Deo tamen non pugnent: Nos enim homunculi, quia quæ in Deo sunt capere non possumus, sub earum rerum figura studemus comprehendere quæ nobis cognitæ sunt, ea verò figura quoniam finita est, particulas tantùm divinæ naturæ nobis repræsentat, idque obscurè, atque inde illud *ἐναντιοφανὲς* in Deo. Ut si humani corporis partes duntaxat singulę oculis nostris paterent obscurius, omnis illa harmonia videretur nobis *ἀνάρμοστος*, conscij tamen imbecillitatis oculorum nostrorum, apud nos statueremus, ita quidem videri, cæterùm non esse.

ỷ. 5. *εἷς καὶ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων.*] Socinus ita torquet hunc locum, ut velit Christum dici Mediatorem hominum eorum qui nati sunt post ejus adventum in carnem. Sed nisi intelligantur omnes omnino homines qui fuerunt, qui sunt, aut erunt, aliter haud dubiè loquutus

fuiſſet Apoſtolus, nulla enim lingua eſt qua vox *homines* non ſignificet totum genus humanum. Deinde, eodem modo dicitur unus Mediator, quomodo Deus dicitur unus. Itaque vel Patres ante Chriſtum non habuerunt Mediatorem, vel Chriſtus eorum Mediator fuit. Neque Socinum juvat, quod dicit Chriſtum dici Mediatorem ideò quod fuit internuntius, fuerit enim Chriſtus hac ratione hominum internuntius, proindéque & Patrum, hoc eſt, [ut ne cavillemur] internuntius apud homines, Dei, inquam, apud Patres.

In EPIST. I. ad TIMOT. Cap. III. ℣. 15.

στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.] Propius intuenti ſeriem orationis Apoſtoli planum eſt, verba iſta non pendere à pręcedentibus, ſed eſſe conjungenda cum ſequentibus, hoc modo, *Columna & fundamentum veritatis, & ſine controverſia magnum eſt pietatis myſterium*, &c. ſenſu aperto & plano: nam idem vocat Apoſtolus *myſterium pietatis* [ſummam nempe Evangelij] & *columnam ac fundamentum veritatis*. Atque ita ſe rem habere hinc probari poteſt, quod alioqui erit oratio Apoſtoli hiulca & ſuſpenſa, ſi ſic legamus, *Vt ſcias quomodo ſit tibi verſandum in Eccleſia quæ eſt domus Dei, columna & fundamentum veritatis, & ſine controverſia*, &c. Eſt ἀσύνδετον, non cohęrent iſta. Deinde non ſolet Apoſtolus novi argumenti tractationem inchoare à conjunctione *&*: Itaque illud, *& ſine controverſia magnum eſt pietatis myſterium*, neceſſariò cùm pręcedentibus cohęret, nempe cum *columna & fundamentum veritatis*. Tertiò, hęc eſt uſitatiſſima formula inter Iudęos, quum quis profitetur ſe traditurum præcipua dogmata religionis, ut illud pręmuniat; *columnam eſſe & fundamentum veritatis, vel ſapientiæ*, id quod traditurus eſt: Nam, exempli gratiâ, celeberrimus ille R. Moſes Ben Maimon, ſtatim initio nobiliſſimi operis quod *Miſna* dicitur, ſeu יד ſic habet יסוד היסוד ועמוד החכמות hoc eſt, *fundamentum fundamenti & columna Sapientiæ hæc eſt, ut ſciamus quod ſit Ens primum*, &c. nempe ſolent Apoſtoli uti phraſibus receptis in Eccleſia Iudaica, ſed accommodatis ad rem quam agunt, quæ ratio docendi accommodata eſt imprimis, nam religio ſtudet ſimplicitati, non eſt anxia & ſuperſtitioſa. Itaque Apoſtolus more ſuo formulam hanc, qua Iudęi utuntur, adhibuit huic loco, cui propriè convenit. Fruſtra ſunt igitur Pontificij qui hinc evincere putant, Eccleſiam non poſſe errare; non enim hîc dicitur Eccleſia *columna & firmamentum veritatis*, ſed ſumma doctrinæ Chriſtianæ [quam ſequenti verſu proponit Apoſtolus] hoc elogio *columnæ & firmamenti* ornatur ab ipſo. Et ſanè durum eſt admodum, ut Eccleſia potius dicatur *firmamentum & columna veritatis*, quàm Veritas *columna & firmamentum Eccleſiæ*: nam quod Eccleſia ſtat invicta atque immota, id debet veritati acceptum, quæ vinci & concuti non poteſt. Sed largiamur ſanè illis Eccleſiam hîc dici *columnam & firmamentum*

mentum

mentum veritatis, nihil tamen promovebitur hoc pacto, nam in promptu nobis est respondere; intelligi veram Christi sponsam hoc loco, Electos scilicet ipsius (non verò Ecclesiam quæ humano judicio videtur esse Ecclesia) quam Christi sponsam non negamus à Christo conservari usque adeò, ut etsi nutet & concutiatur, quod etiam columnis & fundamentis sæpè contingit, tamen nunquam penitus evertatur. At de hac Ecclesia nulla nobis est controversia.

In EPIST. I. ad TIMOTH. Cap. IV. ℣. 3.

τοῖς πιστοῖς καὶ ἐπεγνωκόσι τὴν ἀλήθειαν.] Particula καὶ hoc loco est expositiva, idémque valet quod τοῦτ' ἔστιν *id est*, quomodo Gal. 6. 16. εἰρήνη ἐπ' αὐτοὺς καὶ ἔλεος, καὶ ἐπὶ τὸν Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ. Vbi *Israël Dei*, non est quid diversum, sed idem planè cum ijs quos Apostolus notat pronomine αὐτούς.

℣. 8. ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία.] Bellarminus ait, Apostolum eo loci per ***exercitationem corporalem*** intelligere ea quibus exercetur corpus valetudinis gratiâ, ut quum olim ludebatur pilâ, trocho, disco, &c. At verò id planè frigidum est, neque enim credibile est Timotheum eum fuisse qui se in palæstra ludis istiusmodi exerceret, sed pietatem opponit Apostolus exercitijs illis quibus corpus affligebatur, tanquam quæ ad pietatem aliquid conferrent: negat ergo Apostolus multùm prodesse aut conferre ad pietatem exercitia illa: verbi gratiâ, jejunium; Non enim jejunamus ideò ut verum animi dolorem ex peccatorum sensu exorientem excitemus, parvam vim & vires exiguas ad hoc habet jejunium, nam sæpè jejunant impij & hypocritæ, nec tamen dolorem ullum verum animi excitant, necesse est enim ut prius animus affligatur & dejiciatur, quàm corpus.

℣. 13. πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει.] Non commendat Apostolus Timotheo lectionem scriptorum sæcularium, sed sacræ Scripturæ, quæ מקרא *lectio*, ἀνάγνωσις dicitur, vocabulo in Ecclesia Iudaica noto & usitato. Etenim S. Scripturæ ea semper majestas & authoritas fuit, ut exclusis δευτερώσεσιν & traditionibus, (quas Magistri vocant תורה שבעל פה *legem oralem*) sola in Synagogis & sacris conventibus legeretur. Ergo eadem est כתב γραφὴ & מקרא, sed *Scriptorum* respectu γραφὴ; *lectorm*, מקרא appellatur.

℣. 14. μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου.] Πρεσβυτέριον hîc significat ***Collegium Presbyterorum*** qui præerant Ecclesiæ Christianæ. Nam quod vir doctus ***Presbyterium*** eo loco vult significare officium & dignitatem Presbyterij, neque videtur locutioni convenire, neque significationi vocis Presbyterij, nec Apostoli scopo. Nam primò locutio est admodum dura, explicata enim sic habebit, ***impositio manuum dignitatis Presbyteri***, quod durum est valdè. Deinde, sæpius fit mentio in Novo Testamento τοῦ πρεσβυτερίου, at nunquam significat τὸ πρεσβυτέριον, ijs in locis, ***officium***,

ſed *Collegium*, ut Luc. 22. 66. & Act. 22. 5. Et linguâ Græcâ πρεσβυτέριον *dignitatem Presbyteri* ſignificat potiùs quàm πρεσβυτεῖον. Attamen rarò πρεσβυτεῖον ſignificat item *dignitatem Presbyteri*, ſed ijs in locis ubi πρεσβυτέριον legi poſſit. Quicquid ſit, non redolet ſimplicitatem phraſeos Apoſtolicæ ut Presbyterium ſignificet officium Presbyteri. Denique, Timothei authoritas major fuit quàm ut πρεσβυτέριον aut πρεσβυτεῖον, ejus officium dici poſſit. Nam cap. 5. hortatur Apoſtolus Timotheum ut ne accuſationem adverſus Presbyterum admittat, niſi probetur trium, aut ad minimum duorum teſtimonio. Iam verò Presbyter in Presbyterum nullam obtinet authoritatem, par enim in parem non habet imperium. Quid igitur fuit iſta *impoſitio manuum Presbyterij?* Non potuerunt Apoſtoli Timotheum conſtituere eo loco quo fuit in Eccleſia? Omninò. Sed Apoſtoli, conſtituto ordine Eccleſiæ, non faciebant ſemper quantum illis licebat. Sed ut legati ad ordinandam Provinciam juſſu Regis conſtituunt pro arbitrio Iudices, Provinciâ verò ordinatâ committunt adminiſtrationem provinciæ Iudicibus & Legibus, ſecundùm ordinem quem inſtituerunt. Ita planè ſe geſſerunt Apoſtoli in executione muneris ſibi à Deo demandati, non ſemper uſi ſunt extraordinaria poteſtate, ſed rebus jam conſtitutis, ordinariè in Eccleſia rem geri volebant. Itaque nullus eſt dubitandi locus, quin Timotheus à Seniorum collegio electus ſit, qui toti collegio præeſſet, & quidem non ſine authoritate aliqua, ſed quæ modum tamen, & limites ſuos haberet.

In EPIST. I. ad TIMOT. Cap. V. ✝. 8.

τὴν πίστιν ἤρνηται.] Videtur Apoſtolus hoc velle, fidem non poſſe eſſe ſine charitate; At id elicitur potiùs ex rei ipſius natura, quàm ex vi ſermonis, aliud enim vult Apoſtolus. Nempe, ſolemne eſt Hebræis magna peccata notare nominibus quæ ſignificant peccata vulgo deteſtanda: Vt quum rebellio adverſus Deum dicitur in Scriptura *divinatio, incantatio, idololatria*. 1. Sam. 15. 23. non quod rebellio ſit divinatio, ſed ſic loquitur Spiritus ut notet quàm ſit execrabilis præfracta adverſus Deum animi obſtinatio. Sic quia nil erat Iudęis deteſtabilius quàm Apoſtata, quem Iudęi vocant כופר העקר *abnegantem fundamentum*, ideò Apoſtolus, ut oſtendat quàm ſit horrendum peccatum, prætextu pietatis negligere curam familiæ ſuæ, ait eos eſſe inſtar abnegantium fidem, & deteriores infideli.

✝. 9. ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή.] Pontificij *unius uxoris virum* (ſupra cap. 3. 2.) & hic *unius viri uxorem* ſic interpretantur, ut ſit unius uxoris vir qui nonniſi ſemel duxit uxorem, ea verò unius viri uxor quæ ſemel tantùm nupſit: itaque volunt à Paulo in Epiſcopis & Diaconiſſis damnari ſecundas nuptias. Atqui ſecundæ nuptiæ nulla lege, neque divina, neque humana, habitæ ſunt pro vitioſis, imò teſtatur Apoſtolus Rom. 7. 2. diſertis verbis morte diſſolvi matrimonium (κατήργηται, inquit, ἀπὸ τοῦ

νόμου τοῦ ἀνδρός) hoc eſt morte fieri ut liceat ſecundò contrahere matrimonium. Itaque ℣. 3. *vivo marito adultera erit* (inquit) *ſi ſit alteri viro*, hoc eſt, ſi nupſerit alteri viro, *at ſi mortuus fuerit vir, ſoluta eſt lege, ut ne ſit adultera etiamſi alteri viro nubat.* Si in ſecundis nuptijs ullum eſſet vitium, profectò Paulus neque verè hæc dixiſſet, neque quod his dictis petiit foret aſſecutus. Deinde, Apoſtolus hoc loco meminit vitiorum, aut earum rerum quæ vitio affines ſunt. At verò ſecundæ nuptiæ neque vitioſæ ſunt, neque verò etiam vitio affines, niſi quomodo & primæ nuptiæ affines vitio dici poſſint: nam ſi quis temerè matrimonium contrahat, vel eo certè peccat, ſi id non facit temerè, non peccat: Sic & ſecundæ nuptiæ ſi temerariæ ſunt, omnino in ijs peccatur, quod ſi non ſunt temerariæ, eadem lege qua primæ, fiunt legitimè. Sed ut res tota fiat manifeſta tenendum eſt, tres fuiſſe olim ſpecies Polygamiæ (cæterùm Polygamia & Digamia idem ſignificant, quemadmodum linguâ Hebraicâ שנים *duo*, plures, ſeu plura ſignificant, ut quum Eccleſ. 4. 9. dicitur *duo potiores eſſe uno*, hoc eſt, plures. Et Pſal. 62. 12. *ſemel locutus eſt, Dominus, bis audivi*, hoc eſt, ſæpè audivi) Prima ſpecies Polygamiæ eſt ea quæ fuit ſemper legitima, ut quis poſſit ſecundum contrahere matrimonium ſolutus jure divino prioris matrimonij vinculo, hæc eſt illa Polygamia quæ ſola non eſt vitioſa. Secundum genus Polygamiæ eſt qua fiebat ut uno eodemque tempore unus plures haberet uxores, cujus generis, ut nec prioris, non eſt arbitrandum Apoſtolum hîc meminiſſe, nam etſi inter Iudæos & barbaras gentes locum habuit, interdicta tamen fuit Romanis legibus. Sed & fuit Polygamiæ tertium genus legibus permiſſum, ea autem Polygamia fiebat cùm repudiatâ uxore vir alteram ducebat uxorem, vel uxor repudiato priore viro, alteri nubebat. Porrò permiſſam fuiſſe hanc Polygamiam legibus Romanis, conſtat ex Digeſt. lib. 24. Titul. 2. de Divortijs & Repudijs. Nam & fit mentio Divortij quo vir ab uxore, & quo uxor à viro divertebat, ut interim taceamus nihil frequentius occurrere in Veterum ſcriptis. Denique ex Marc. 10. 12. patet uxores ſolitas divortium facere: Si [inquit Chriſtus] *uxor* ἀπολύσῃ *dimittat virum*, &c. Tenemus igitur quid in Epiſcopo requirat Paulus, quid in vidua, item Diaconiſſa. Idem requirere Paulum in reliquis Chriſtianis certum eſt, ſed in Epiſcopis tamen id præcipuè requirit: neque enim quæcunque honeſta & legitima habentur ab hominibus [cujuſmodi ſunt illa quæ legibus humanis permittuntur] continuò reverâ honeſta & legitima ſunt, non enim humanæ leges, ſed divinæ, juſti & recti regula ſunt.

℣. 11. ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ χριστοῦ.] στρῆνος *inſolentiam* ſignificat 2. Reg. 19. 28. & hæc eſt genuina vocis Græcæ ſignificatio. Iam verò inſolentia duo parit, quorum alterum facit ut laborem refugiamus, hoc pertinet ad ſegnitiem, alterum ut putemus indignum nobis eſſe laborem,

aut si nullus suscipitur labor, rem nobis esse indignam : unde fit ut qui ita sunt affecti id prodant in cibis, vestitu, &c. unde στρηνιᾷν interprete Hesychio est *ὑβρίζειν καὶ βαρέως φέρειν, contumeliosum esse & delicatum.* Quod ergo Hebraicè dicitur שאננה loco modò citato, LXX. Interpr. στρῆνος verterunt. Porrò שאנן propriè *quiescere* est, sed quoniam quies & otium insolentiam hanc quam diximus gignit, hinc fit ut שאננים dicantur *insolentes, superbi & arrogantes*, ut Psal. 123. 4. *Satiata est anima nostra* הלעג השאננים ὀνείδους εὐθηνούντων, quod mox explicatur per הבוז לגאיונים ἐξουδενώσεως τῶν ὑπερηφάνων. Καταστρηνιᾷν igitur est non tantùm *lascivire*, sed *insolescere, sese efferre cum contemptu.* Itaque Syrus hunc Apostoli locum vertit, מצריא להם על משיחא. Nam צרא Chaldaicè & Syriacè significat primò *disrumpere, discindere*, quoniam verò quæ supra modum inflantur ea necesse est crepare, hinc fit ut tumor is & superbia quæ se prodit cum contemptu, hac voce significetur, ut Prov. 30. 17. עין תלעג לאב *oculus subsannans patrem*, hoc est, oculus prodens patris contemptum, Chald. vertit עינא דמצריא לאב quasi diceres Grecè, ὀφθαλμὸς ὑβρίζων τὸν πατέρα. Non itaque tam notatur hîc ab Apostolo lascivia seu luxuria viduarum, quàm fastidium laboris, & aspernatio [ut illis quidem videbatur] tam vilis ministerij, nam de ijs viduis agit Paulus quæ se Ecclesiæ ministerio addixerant, ad ea munia erga pauperes & alios obeunda quæ sexui conveniunt. Porrò quia quicquid impenditur pauperibus, Christo impenditur, quibus illa ministeria in speciem vilia videntur, ij adversus Christum καταστρηνιᾷν *sese efferre, & insolescere*, verè dici possunt.

Ibid. γαμεῖν θέλουσι.] Pontificijs Paulus hîc videtur probare continentiæ votum, tum etiam improbare si voto quis se solvat, nam quorsum referri queant Apostoli verba nisi id statuamus? Quid ergo hîc statuendum? Dabimúsne viduas voto se obstrinxisse? Minimè verò. Quid igitur erat? Nempe de illis viduis agit Paulus quæ [uti modò diximus] se Ecclesiæ ministerio addixerant, ad ea munia obeunda quæ illi sexui conveniunt. Iam verò addictis huic ministerio nulla alia idonea causa fuit defugiendi quod susceperant munus, præter consilium nubendi: postquam igitur cœpit displicere ministerium illud vel ob laborem, vel etiam ob vilitatem, prętexebatur pigritiæ & fastui consilium nubendi. Non reprehendit igitur Apostolus viduas quod nubant, nam *Iuniores* (inquit ỳ. 14.) *volo nubere*, sed quod nubant ita ut nuptias obtendant tantùm, ne pateret quod non audebant profiteri vitium, segnities scilicet, & fastus, id verò est quod Apostolus reprehendit. Itaque eas accusat primò καταστρηνιάσεως, hoc est, (uti explicuimus) *insolentiæ, fastus, & superbiæ.* Vbi observanda est Apostoli prudentia, qui ne videretur eas nuptias damnare simpliciter, exponit in quo peccatum sit, nempe non eo quod viduæ nupserint, sed quod insolentiæ & fastidio suo nu-

bendi necessitatem prætexuerunt; quod eo pacto justa & idonea ratio, se eo munere abdicandi quod obibant, occurrebat; fieri enim nequibat ut quæ sui juris non erat, ea Diaconissæ munere fungi posset, illis (inquam) temporibus.

ẏ. 12. ἔχουσαι κρῖμα.] κρῖμα non videtur hîc significare *pœnam* aut *condemnationem*, nam est phrasis duriuscula *habere condemnationem*, quamquam κρῖμα sæpè ponitur pro κατάκριμα. Itaque satius videtur ut κρῖμα accipiamus pro *culpa*, sed pro culpa quatenus σχέσιν habet ad pœnam, hoc est pro reatu: quomodo Rom. 5. 16. *ex uno* (inquit Apostolus) *est* κρῖμα εἰς κατάκριμα, absurdè si idem esset κρῖμα & κατάκριμα. Sed κρῖμα ut eo loco significat culpam cum σχέσει ad pœnam, sic hoc loco pariter peccatum significat quo contrahitur reatus.

Ibid. ὅτι ἠθέτησαν τὴν πρώτην πίστιν.] Illud πρώτην referri debet ad fidem quam Ecclesiæ dederant, cum inter Diaconissas nomen suum profiterentur, quæ *fides prima* dicta videtur, ratione fidei qua se novo marito obstrinxerunt. Sunt qui hîc fidem Christianam ab Apostolo significari volunt, quasi Apostolus hîc viduas reprehendat, non quod nubant, sed quod ea lege nubant ut Christo renuncient, vel abnegent fidem Christianam. Sed videtur hęc interpretatio admodum dura, nam uno verbo hoc dici potuisset, si hæc fuisset mens Apostoli. Deinde, quorsum attinebat meminisse illius καταστρηνιάσωσι? Nam si eo nomine luxus & impudicitia significetur, quid prohibebat eas scortari clanculum? Metus (inquiunt) censuræ Ecclesiasticæ. Atqui multò gravior censura metuenda fuit nubentibus ea lege ut abnegaretur Christus: deinde potest clancularia scortatio latêre, aperta à Christo defectio latêre non potest. Denique, quid opus fuit eas Ethnicis nubere, non potuerunt nubere Christianis, si secundæ nuptiæ legitimæ sunt, neque voto prohiberi possunt? siquidem in omni promissione necessitas contrahendi matrimonij tacita conditione excipitur. Vt interim illud taceamus quod tamen magni momenti est, non dici viduas abnegasse fidem, sed abnegasse *primam fidem*. Quorsum attinebat adjicere illud *primam?* nam profectò non est adjectum otiosè, suprà enim ẏ. 8. *si quis* (inquit) *suorum maximè autem domesticorum, curam non gerit, fidem abnegavit*, non dicit *primam fidem*. Si ergo Apostolus notare hîc voluisset defectionem à fide Christi, abnegationem, inquam, religionis Christianæ, certè πίστιν simpliciter, non autem πρώτην πίστιν dixisset. Neque enim hîc πρώτη πίστις potest accipi ut Apoc. 2. 4. πρώτη ἀγάπη, nam *prima charitas* dicitur ratione charitatis posterioris sed quæ deterior fuit, ut constat ex eo loco: atque ita certè quis posset dici *deseruisse primam fidem*, quando non jam incrementum sed decrementum cepit fides; at qui fidem totaliter (ut loquuntur) abnegavit, is ex usu Scripturæ dicitur simpliciter *abnegasse fidem*, vix dici possit *abnegasse primam fidem*. Sed nec ullum moveat quod πίστις *fides* hoc lo-

co ea dicitur fides quæ cernitur in promissione præstanda, nam Matth. 23. 23. Dominus noster queritur, Pharisæos neglexisse, *judicium*, *misericordiam*, *fidem* denique; judicium, hoc est, non reddidisse cuique jus suum, *misericordiam*, hoc est, quod non fuerint affecti sensu alienæ miseriæ, denique πίστιν vocat fidem in pactis & conventis: unde πιστὸς δοῦλος dicitur qui, quantum ipsius conditio exigit, tantùm studuit ex animo persolvere. Itaque, etiamsi Pontificijs detur non agi hîc de defectione à fide Christiana, frustra tamen laborant illi ut ex hoc Apostoli loco probent *continentiæ* votum, Apostolus enim hîc damnat viduas Diaconissas, non quod nuberent, sed quæ tædio suscepti muneris affectæ necessitatem nubendi caussarentur, cùm nulla alia honesta ratio occurreret.

IN II. EPISTOLAM
AD TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM, ℣. 8.

MH ἐπαισχυνθῇς τὸ μαρτύριον τοῦ Κυρίου ἡμῶν.] Evangelium hoc loco [inquit Stapletonus] dicitur *Testimonium* μαρτύριον, & quidem ideò quia Ecclesia, cujus ministerio & operâ Evangelium prædicatur, testatur ea esse vera quæ in Evangelio continentur. Unde vult concludere, fidem nostram qua credimus Evangelio, niti authoritate Ecclesiæ tanquam testis, ut non aliunde credamus ea esse vera, quàm quia Ecclesia testimonium illis perhibet. At verò *Testimonium* illud [de quo hîc Apostolus] Christi est testimonium, non est Ecclesiæ testimonium, hoc est, non est de Christo, sed à Christo profectum; non dicitur hoc testimonium *Christi*, tanquam de Christo, quamvis de Christo est, sed tanquam à Christo profectum, ut sit [nam detur quæso verbis venia] testimonium illud, si Ecclesiæ ratio habeatur, *materiale*, si Christi, *formale*, hoc est, quod testimonium est illud debet Christo, res verò testata etiam ab Ecclesia traditur, ut in foro recitantur testimonia etiam eorum qui testes non sunt, sed quæ tamen à testibus profecta sunt. Certè [quandoquidem cogimur grammaticari] genetivus casus non magis effecti subjectum quam efficientem causam notat. Atque ita se rem habere hoc loco, inde satis liquet, quod idem Apostolus ad eundem scribens Timotheum, prioris Epist. cap. 6. 12. *Apprehende*, inquit, *vitam æternam*, *ad*

quam vocatus es: deinde paulo post, *denuncio tibi coram Deo qui omnia vivificat, & Domino Iesu, qui testatus est coram Iudice Pontio Pilato præclaram confessionem*, nempe se esse filium Dei, quibus verbis summa continetur Evangelij.

IN EPISTOLAM

AD TITVM.

CAPVT TERTIVM. ℣. 10.

Αἱρετικὸν ἄνθρωπον παραιτοῦ.] *Hæreticus* hoc loco non eum simpliciter significat qui erroneas & falsas tuetur opiniones, sed eum notat cui id volupe est: Ea enim est nominum Græcorum in *ικὸς* desinentium proprietas, ut ad qualitatem designandam non adhibeantur, modò, sed etiam ad innuendam delectationem, quam in ea capit cui illa qualitas inest. Et sanè quod Paulus Timotheo minimè præcipit ut ejusmodi hominem leniter doceat, sed tantùm ut post unam atque alteram admonitionem, sive redargutionem, devitet, argumentum est lascivia & petulantia ingenia à Paulo intelligi; alios enim cum omni mansuetudine edoceri vult. Vnde efficitur, non eum continuò qui hæretico errore imbutus est, esse *hæreticum* & pro *hæretico* habendum.

IN EPISTOLAM

AD HEBRÆOS.

CAPVT PRIMVM, ℣. 1.

Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, &c.] Vti distincta fuerunt tempora Ecclesiæ, decebat etiam divinam sapientiam [cujus est omnia facere lege quadam, quæ sapiat authorem suum] diversis temporibus, sive diversis ætatibus Ecclesiæ, diversimodè etiam cum Ecclesia agere, quò respexisse hic videtur omnino Apostolus. Πολυμερῶς Latinè reddi possit, quasi diceres *multis partibus*; hoc est, per gradus & momenta, non si-

mul & ſemel, ita ut τὸ πολυμερὲς nihil aliud iſthic ſit quàm diverſitas graduum intentionis & remiſſionis in revelatione. Πολυτρόπως verò eſt *varijs modis*. Nam ut aliud eſt μέρος, aliud verò τρόπος, ſic aliud eſt πολυμερὲς, aliud πολύτροπον: Deus enim modò nudè & apertè, veluti veſte detracta veritatem ſuam proponit intuendam, modò verò eam veluti veſte adoperit, neque perſpicuam exhibet niſi per involucrum: hinc eſt illud Apoſtoli πολυτρόπως. Tum etiam Deus modò per Angelos, interdum afflatu quodam Spiritûs ſui, interdum per ſomnia, modò per viſiones ſeſe revelat, & voluntatem ſuam patefacit; hoc etiam pertinet ad illud πολύτροπον. Iam diſcrimen temporum, ſive ætatis Eccleſiæ, id requirebat.

ψ. 2. ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων.] Reſpexit hîc author Epiſtolę ad illud Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo Gentes hereditatem tuam.* Quo loco dominium Chriſti in omnes creaturas, quod ei traditum eſt à Patre vocatur *hereditas*; dominium, inquam, quod habet propter munus Mediatorium. Etenim duplex eſt Chriſti dominium in creaturas, alterum *eſſentiale*, quod ab æterno habet commune cum Patre & Spiritu Sancto, nimirum quatenus eſt Deus, alterum verò veluti *Vicarium*, quatenus eſt Mediator. De priore illo Dominio vox illa κληρονόμος non eſt hîc intelligenda: primò, quia Imperium illud, quod habet quatenus eſt Deus, quandoquidem naturale eſt, non poteſt dici θέσει, quomodo hîc Chriſtus dicitur *conſtitutus heres*, alioqui pari ratione poſſet dici à Deo *conſtitutus Deus*, quod abſurdum eſt. Deinde, *hereditas* ei tribuitur, quomodo *heredis* nomen; *Heres* autem dicitur quia Dominium illud, quod obtinet in creaturas, id commune habet cum hæreditate, quod quemadmodum is qui hęreditatem adit in locum alterius ſuccedit, ſic (quod ad Imperium illud attinet) Chriſtus Mediator veluti ſucceſſit in locum Patris, ut ſit ejus Vicarius. Iam quod habet Filius à Patre quatenus eſt Deus, id non habet ut Vicarius, & ſuccedens in alienum locum, ſed naturali & eſſentiali communicatione. Dominium igitur de quo hoc loco agitur eſt jus aliquod (ut ita dicam) Vicarium, quod pendet à Munere. *Heres* ergo hîc eſt Caput, Dominus, Princeps: Nam בכור *primogenitus* apud Hebræos (qui idem erat propriè hæres) erat fratrum ſuorum Dominus, & familiæ veluti Princeps. Quin & Latinis *Heres* pro Domino accipitur, Inſtit. Iuris Civ. lib. 2. Tit. 19. de Hæredum qualitate & differentia. §. ult. *Pro herede gerere, eſt pro Domino gerere, Veteres enim Heredes pro dominis appellabant.* Hinc Ierem. 30. 3. וִירִשׁוּהָ LXX. Interpretes reddunt κατακληρονομήσουσιν αὐτῆς.

Ibid. τοὺς αἰῶνας.] Hac voce Apoſtolus non *Eccleſiam* (ut nonnulli volunt) ſed *Mundum* ſignificat, ſic enim eodem ſenſu infrà cap. 11. 3. uſurpatur ab eo vox iſta αἰῶνες, πίστει νοοῦμεν [inquit] κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ, neque verò uſquam alibi ea voce uſus eſt ad ſignificandam Eccleſiam. Deinde, vox iſta uſitata fuit eo ſenſu tum temporis in Eccleſia Iudaica;

Iudaica; Nam in Liturgia Iudæorum Deus paſſim רב העולמים *Dominus mundi* vocatur. Faciunt nempe illi triplicem עולם ſeu *mundum*, primus eſt עולם השפל *mundus inferior*, hoc eſt, Regio iſta elementaris, ſecundus eſt, עולם התיכין *mundus medius*, orbes ſcilicet cœleſtes, quos alio vocabulo vocant גלגלים hoc eſt, *rotas, orbes*. Tertius eſt עולם העליון *mundus ſuperior*, illud nempe quod Apoſtolus vocat *tertium cœlum*, 2. Cor. 12. 2.

℣. 3. ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης.] Δεξιὰ μεγαλωσύνης eſt δεξιὰ Θεοῦ: quod verò μεγαλωσύνην pro Deo poſuit, id videtur feciſſe pro conſuetudine Eccleſiæ Iudaicæ, in qua vox הגבורה *potentia, robur*, Dei nomenclatura fuit. Sic apud Petrum 1. Cath. 4. 14. *Spiritus gloriæ* Spiritus Dei dicitur, nam & כבוד *gloria* ipſum Deum Iudęis ſignificabat: poteſt tamen *Spiritus gloriæ* שכינת הכבוד pro *ſpiritu glorioſo* accipi, at non perinde δεξιὰ μεγαλωσύνης pro δεξιὰ μεγάλη.

℣. 4. κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων] Quæri poſſit, quomodo Chriſtus factus hîc dicatur κρείττων τῶν ἀγγέλων, cùm totius perſonæ ratione, non ſolùm ſecundùm naturam Divinam, infinitis partibus excellentior Angelis fuerit. Sed primò reſpondetur, γίνεσθαι in Scriptura referri ſæpè ad rei quæ jam eſt manifeſtationem; verbi gratiâ Rom. 3. 4. γινέσθω, inquit Apoſtolus, ὁ Θεὸς ἀληθής, πᾶς δὲ ἄνθρωπος ψεύστης. Et Iacob. 1. 12. *Beatus vir*, inquit Apoſtolus, *qui tolerat tentationem, quia* δόκιμος γενόμενος *cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, ubi δόκιμος γενόμενος non dicitur is qui cùm ante eſſet ἀδόκιμος factus eſt δόκιμος, quin potius is qui ſe δόκιμον probavit. Sic Dominus Ieſus, *Si vos mutuò ametis eritis Diſcipuli mei, Eritis*, hoc eſt, probabitis vos eſſe. Deinde, Chriſtus haud incommodè poſſit videri dici revera hoc loco *factus Angelis præſtantior*, quomodo infrà cap. 2. 9. dicitur *gloriâ & honore coronatus, qui pauliſper fuit inferior Angelis factus propter mortis perpeſſionem*, ut ſit antitheſis inter Chriſti ſtatum ſedentis ad dextram Patris, & expiantis in cruce peccata noſtra: nempe pręceſſit illud καθαρισμὸν ποιησάμενος, tota igitur ſententia huc redibit, *Chriſtus conſedit glorioſus ad dextram Dei Patris, jam tandem præſtantior Angelis factus, cùm antea in terris, opere redemptionis nondum peracto, Angelis eſſet factus ad tempus quodammodo inferior.*

Ibid. κεκληρονόμηκεν ὄνομα.] Quęritur quî *hæreditaſſe*, hoc eſt, jure hęreditario conſequutus eſſe, *nomen filij* dicatur hic Chriſtus, cùm id nomen ſit ei naturale. Quod ut expediatur diſtinguenda eſt res à nomine, nam res naturâ poteſt ineſſe, quæ nomen conveniens non continuò adipiſcitur. Nomen enim hoc loco eſt quo res hominibus & Angelis innoteſcit, nam Deus nominibus non eget ad res cognoſcendas, id imbecillitatis eſt humanæ. Iam verò quia Propheta verbis illis, *Filius meus es tu, Ego hodie genui te*, pręconium edidit quo Chriſti pręſtantia, poſt-

quàm jam resurrexit à mortuis & in cœlum ascendit, celebrata est, ideò dicitur non quidem *rem* jure hæreditario adijsse, sed *rei nomen*, hoc est, id quo res illa Angelis & hominibus innotuit, Christi nempe sessione ad dextram Patris maximè patefactum est, omnibúsque clarè innotuit, Christum esse verum Dei filium.

℣. 6. ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ, &c.] Sunt qui primum Christi adventum, potius quàm secundum, his verbis denotari volunt, & qui sunt in ista sententia trajiciunt particulam πάλιν, ac si scriptum esset πάλιν δὲ ὅταν εἰσαγάγῃ. Sed ista trajectio usque adeò dura est ut careat exemplo. Trajectiones autem tum solummodò sunt admittendæ quum sunt necessariæ: At nulla est hoc loco trajectionis illius necessitas. Fortè illud eos movit quod Angeli Christum natum adorarunt: Ego verò nullus dubito quin Angeli Christum semper adorent, at verò adstitisse Angelos Christo nato, & specie humanis sensibus obvià Christum adorasse, ut Magi hoc vero jam probari non potest ex Scriptura: Cecinerunt quidem illi hymnum Deo, atque ita sanè Christum adoraverint, sed hic de solemni quadam & Christo (ut ita dicam) appropriata adoratione agitur. Fortè an & id eos traxit in hanc sententiam, quod Christus hoc loco dicitur introducendus in mundum, atqui in secundo adventu judicabit de cœlis, nec descendet in terram. Sed hoc levissimum est, nam contrà dixerim, Christum, cum primùm nasceretur, non fuisse productum εἰς τὴν οἰκουμένην quamvis tum ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον, nam *introduci in mundum* est exhiberi spectandum, tanquam in Theatro, τῇ οἰκουμένῃ, id quod Christo statim nato non contigit, continget vero in secundo adventu, quum veniet judicaturus vivos & mortuuos. Quanto firmiora videntur ista? quod εἰσαγάγῃ rem futuram significat, deinde vero etiam quod jungitur cum πάλιν: illud vero jam refelli nullo modo potest, quod totus Psalmus, unde locus hic desumptus est, describit Majestatem Christi regnantis, & in hostes quidem severè animadvertentis, suos autem magnificè & plenè liberantis, id quod ad Christi nativitatem, quæ abjecta & humilis fuit, referri non potest.

Ibid. πάντες ἄγγελοι θεοῦ.] In Hebræo est אלהים *Dij*, atque illud *Dij* videtur tam ad Gentium Deos, quàm ad Angelos posse accommodari. Sed illud primo hoc loco observandum est, quod LXX. Interpr. hanc ambiguitatem sustulerunt, nam nomen אלהים *Angelos verterunt*. Cùm igitur LXX. Interpretum authoritas apud Iudæos summa esset, non erat verendum Apostolo, ne Iudæis videretur locum illum Scripturæ in alienum sensum detorsisse. Adde, quod hic adoratio præscribitur, & quidem ut cultus voluntarius, quod Dijs Gentium non convenit, qui pleriq; omnes figmenta fuerunt cerebri humani, potiùs quàm personæ. Deinde vel rarò, vel nunquam, nomen illud אלהים; cùm solum ponitur, adhibetur ad significanda Gentium idola, quin id fit semper cum adjectione aliqua

ut *Dij Gentium, Dij Moab*, &c. Tum etiam, cur potiùs Idola quàm Idololatras hortaretur ad Deum adorandum? Atqui Idololatris imprecatur, eos verò haud quaquam hortatur ad hunc cultum Christo exhibendum, quod omnino fecisset si de honore, quem nolentes volentes coguntur impij Deo habere, hoc loco ageretur, ac non multo potiùs de cultu voluntario quem nec impij, nec Dęmones, exhibent Deo. Huc etiam illud accedit, quod Gentium Dij hoc loco אלילים dicuntur. Atqui non est verisimile eos, quos אלילים contemptim vocavit Spiritus Sanctus statim magnifico nomine אלהים vocari, eo maximè loco ubi agitur de ignominiâ & dedecore, quo Idololatræ afficiendi sunt; videtur enim habere speciem aliquam excusationis, si Dij potuerant videri quos coluerant: Adde, quod quibus verbis agit Spiritus Sanctus de Idololatris & Idolis, verbum adhibet futuri temporis יבשו, at cùm de adoratione facit mentionem, utitur imperativo השתחוו, cujus mutationis nulla pòtior ratio reddi potest, quàm quod illic de eventu, hîc de officio agatur. Nec illud prætermittendum est, quod toto Psalmo describitur gratulatio quædam omnium creaturarum, cœli, terræ, hominum, quidni etiam & Angelorum, soli excipiuntur ex hoc numero Idololatræ, nempe quorum extremo interitu Christus regnaturus est.

℣. 9. διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε, &c.] Subjectum hujus unctionis persona est Mediatoris, *unctio* verò constitutio hujus personæ in officio Mediatoris: quæ iterum duobus modis potest intelligi, vel ut *unctio* significet realem, (ut ita loquar) constitutionem, vel hujus realis constitutionis publicam & solemnem declarationem. Hinc facile est intelligere quid significet διὰ τοῦτο. Nam si ἔχρισε accipiatur de reali constitutione in munere Mediatorio certum est διὰ τοῦτο convenientiam notare, solus nempe is inventus est dignus tanto munere, ob personæ, secundum utramque naturam spectatæ, sanctitatem. Quod si nomine *unctionis* intelligamus solemnem declarationem istius unctionis, quæ tum demum facta est quum Christus consedit ad dextram Patris, (id quod Petrus significantissimè expressit his verbis τοῦτον ἐποίησε ὁ θεὸς χριστὸν καὶ Κύριον, Act. 2. 36. quid enim aliud est ἐποίησεν χριστὸν quàm ἔχρισεν? cùm tamen non tum demum Dominus noster *Christus & Dominus factus sit*, verùm multò antè, sed quia tum demum Christus ingressus est in gloriam suam: perinde loquitur Petrus, ac si tum demum Filius Dei *Christus* ac *Dominus* fuisset factus.) Hoc, inquam, si intelligatur *unctionis* voce, διὰ τοῦτο convenientiam pariter significabit, æquum enim fuit, & verò justum, ut qui obeundi muneris sui causâ tot mala, támque indigna perpessus est, is summam gloriam adipisceretur. Et quidem convenientia justitiæ hîc intelligi debet, secundùm quam justitiæ conveniens est ut qui Legem servavit idem sit beatus, scilicet ut bonum physicum sequatur bonum ethicum.

Ibid. παρὰ τοὺς μετόχους σου.] In Christo licet considerare *personam* & *officium*: in personâ duas naturas, *humanam* & *divinam.* Ac quod ad officium quidem attinet Christus nullos habet μετόχους, solus est mediator, quod verò ad personam attinet, ne hactenus quidem sunt vel in cœlo, vel in terra, qui se Christi μετόχους esse ausint gloriari. Sed cùm in persona sit natura divina & humana, creata & increata, juxta naturam humanam Christus μετόχους habet omnes omninò homines. Deinde verò, quia natura humana in Christo condita est ad Dei imaginem, & hactenus item μετόχους habet omnes fideles, quos ideo pro fratribus agnoscit ipse primogenitus inter multos fratres.

℣. 11. αὐτοὶ ἀπολοῦνται.] Sunt qui existimant hoc universum ita interiturum ut eò omnia recidant unde orta sunt, id est, in nihilum, atq; eò urgent vocem hanc ἀπολοῦνται. Sed hæc sententia cum Sancta Scriptura ex diametro pugnat, etiam cum analogia fidei pugnare videtur. Et cum Scriptura quidem, nam Apostolus ad Rom. 8. non jam ambiguè & obscurè, sed disertissimis verbis (quæ nullo interpretamento obscurari & depravari possunt) docet mundum (quem *creaturam* vocat ℣. 20. 21. 22.) innovatum iri, utpote qui & ipse particeps futurus sit gloriæ filiorum Dei. Atqui quod in nihilum redigitur, perit quidem id funditus, non innovatur, & quod omnino non est, nullo decore exornari potest. Cum analogia fidei verò pugnare hanc sententiam, vel hinc liquet, quod quibus argumentis ea nititur, iisdem argumentis evertitur dogma de resurrectione mortuorum. Deinde, quid fidei convenientius est quàm ut existimemus gloriam filiorum Dei longè maximam fore? Atqui ea non est futura longè maxima, nisi non modo in ipsis, verùm etiam in creatura exstet hujus gloriæ quædam imago, ad eundem scilicet modum, quomodo in hac vita non modo in semetipsis, verùm etiam in hac mundi machina, vident argumenta miseriæ in quam delapsi sunt. Ergo hîc interitus cœlorum nihil aliud est quàm cœlorum mutatio, quæ qualis sit futura non est sobriæ & piæ mentis vel anxiè quærere, vel temerè definire. Illud tenendum est arctè, mutationem hanc non fore in deteriorem, sed in meliorem statum.

In EPIST. ad HEBR. Cap. II. ℣. 1.

μήποτε παραῤῥυῶμεν.] Παραῤῥυῆναι Græcè ea dicuntur quæ excidunt animo, estque hæc locutio non modo apud prophanos authores qui Græcè elegantissimè scripserunt, usitata, sed in sacris etiam libris usurpata, ut Prov. 3. 21. μὴ παραῤῥυῇ *ne excidant*, ubi in Heb. est אל ילוזו *ne deflectant à te, ne recedant*, sed videntur legisse אל ילו. Sed sic hæc locutio refertur ad res, metaphorâ ductâ ab aqua, quæ nisi quodam conceptaculo contineatur facilè diffluit. Sed & de personis, non modo de rebus eadem locutio venustissimè item usurpatur. Enimverò solent Latini scriptores eleganter hominis animum vasi assimilare.

Lucretius lib. 6. ſtatim initio:

> *Intellexit ibi vitium vas efficere ipſum,*
> *Omniaque illius vitio corrumpier intus*
> *Quæ collata foris, & commoda cumque venirent:*
> *Partim quod fluxum* (h. e. παραῤῥυὲν) *pertusúmque eſſe videbat,*
> *Vt nulla poſſet ratione explerier unquam.*

Etiam Dominus noſter Ieſus Chriſtus hominis mentem vaſi ſimilem fecit: *Nemo*, inquit, *infundit novum vinum in utres veteres, ne rumpantur, & diffluant*, μὴ παραῤῥυῶσι. Et hîc operæ pretium eſt metaphoræ concinnitatem obſervare. Non enim confertur hominis animus cum vaſe, ideo tantùm quod debeat retinere viſa, audita, meditata, ſed quod debeat eſſe inſtar theſauri & pyxidis, unde audita, dicta, viſa, meditata depromantur, quando uſus poſtulat. *Homo bonus* (inquit Chriſtus) *ex bono theſauro cordis ſui*, &c. Quemadmodum igitur & liquor *diffluere* dicitur quum non continetur, ſic vaſa item dicuntur *diffluere*, omnibus ferè linguis, quum non continent. Et non eſt prætereunda vis præpoſitionis παρὰ, nam ἐκρυῆναι aliud eſt, & ἐκρυῆναι *effluere* vas ſæpe expedit, ut quem vitiorum, & earum rerum, quarum recordatio nocet magis quàm prodeſt, memoriam ex animo delemus; vel etiam ea nobis alia cogitantibus ultro delentur, quod accidit bonis viris. Sed hoc nihil minus eſt quàm παραῤῥυῆναι *diffluere*, id quod ijs tantùm contingit qui ea, quæ omni ſtudio memoriæ ſemel mandata debuerunt retineri, paſſi ſunt elabi.

ψ. 2. δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος.] Quæri hîc poſſit, *An is qui in monte Sinai allocutus eſt Moſem & populum, fuerit ipſe Deus, an verò Angelus aliquis*, & dubitandi ratio eſt manifeſta: Nam ſi fuit Deus, quomodo eo deprimit hîc Legem Apoſtolus, quod ſit doctrina ſeu λόγος λαληθεὶς δι' ἀγγέλων, quaſi in hoc doctrinâ Evangelicâ inferior eſſet, quæ ſcilicet non fuerit λαληθεῖσα δι' ἀγγέλων, ſed ἐκ τοῦ υἱοῦ, non enim Filius Patre præſtantior eſt. Sin Angelos dicamus eos qui decem illa verba Legis protulerunt quomodo Angelo ea oratio poterit convenire, *Ego ſum Deus tuus*, &c. Nam frigidum eſt quod nonnulli adferunt, Angelum tanquam Dei Legatum nomen Dei uſurpare. Sanè patroni clientum perſonas ſæpè induunt. At ne fando quidem unquam auditum eſt, ullum Legatum, quum Principis ſui mandata proponit, aliter loqui quàm in tertia perſona, *Princeps meus hæc dicit*, cujus rei illuſtre teſtimonium habemus apud Prophetas, apud quos nimirum ſolemnis formula eſt, *dicit Dominus*; Imo in viſionibus Angeli profitentur ſe miſſos. Quid igitur ſtatuendum eſt? quomodo Lex dicenda eſt λαληθεῖσα δι' ἀγγέλων? Nempe, Verborum illorum, quibus concepta fuit Lex, in aëre ſonus Angelorum opera fuit efformatus, (quomodo Amanuenſes pingunt in charta ſymbola earum notionum quæ ſunt in heri mente, &, ſi res poſ-

cit in heri persona :) Id quod Angelorum vires non superat, nam certè tantum possunt quantum Cacodęmones, qui in hoc genere tantumdem præstant. Nec est quod quis quærat, potuerit-ne Deus solo nutu sine Angelorum operâ vocem illam effingere; nam omnino sane potuit, sed libuit Deo uti in hoc genere Angelorum operâ. Potuit solo nutu Sodomam perdere, exercitum Sancheribi delere, non fecit tamen. At verò, dicet aliquis, si solo Dei nutu id fuisset effectum, annon visa fuisset ea vox potius dicenda *Dei vox?* Minimè verò, neque enim Deus utitur voce, hoc imperfectionis est, sed tamen *vox Dei* dicitur quæ, extraordinaria quadam ratione, ad mentem Dei exprimendam in aëre fit. Sic tonitru dicitur *vox Dei*, quamquàm certum sit tonitru non proficisci à Deo immediatè. Sic Iobum dicitur Dominus allocutus è turbine, quod Angeli operâ productum tonitru atque articulatum mentem Dei exprimeret. Itaque lex dicitur λαληθεῖσα δι' ἀγγέλων, quia Angelorum operâ factum est ut repræsentata fuerit quædam λαλιὰ Israëlitis, nempe tonitru & procellâ Lex data est, & quidem tonitru faciente vocis verborum Legis materiam, ad quam accedere necesse fuit, quam vocant articulationem Angelorum operâ.

ṽ. 3. ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι.] Duo hic possunt Lectorem habere sollicitum, primum, quod videtur author hujus Epistolæ prædicationem salutis inchoare à Christi temporibus. Deinde verò, quod videtur innuere inchoatam illam prædicationem à Christo, ab eodem non fuisse absolutam. Prius illud facilè solvitur : Etsi enim Moses & Prophetæ de salute & vita æterna locuti sint, tamen id fecêre obscurè, & pro illorum temporum ratione. Deinde, salutis prædicatio ea propriè appellanda est, quæ & partæ salutis rationem explicat, & ea nunciat gesta esse quibus salus parta est. Non enim Evangelium dici potest nisi earum rerum quarum est ἀγγελία, atqui jam præteritarum solummodo rerum est ἀγγελία: Itaque præteritarum tantùm est Evangelium. Ergo salus ante Christum exhibitum prędicata quidem est, sed non ita ut ea prędicatio *Evangelium* dici propriè possit. A Christo verò hactenus inchoata salutis prædicatio dici possit, quatenus consideratur Christus agens in terris; Nam si Christum spectemus etiam sedentem ad dextram Dei Patris, indéque mittentem Spiritum Sanctum hoc pacto tum inchoata, tum perfecta etiam dici possit à Christo Evangelij prędicatio. Sed hic mentio fit τοῦ λαλεῖσθαι, *locutionis Christi?* Itaque agitur de Christi prædicatione in terris, cùm dicatur salus cœpisse λαλεῖσθαι διὰ κυρίου. Dicitur autem cœpta tantùm à Christo in terris salutis prædicatio: cùm enim Evangelij prędicatio duabus in rebus sita sit, primùm, ut res præteritæ narrentur, quî potuit Christus in terris agens mortem suam, resurrectionem, ascensum in cœlos, sessionem ad dextram Dei, vocationem Gentium, &c. prædicare. Deinde, cùm hæ res ita debeant narrari, ut remoto velo &

& omni involucro proponantur, futurarum verò rerum in hoc genere ea est conditio, ut quandiu sunt futuræ, obscurior debeat esse earum notitia, oportuit res istas à Christo tradi obscuriùs, quia non debuerunt proponi apertiùs.

Ibid. τῷ ποιήσαντι αὐτόν.] עשה *facere* linguâ Hebraicâ est etiam *ornare*, ut Esth. 6.6. מה לעשות באיש *quid faciendum est homini cujus honore Rex delectatur*, hîc *quid faciendum* idem est quod *quo honore, quo ornatu, & decore vel magnificentiâ afficiendus est?* Quoniam verò munus dignitatem affert & ornamentum, hinc fit ut vocare ad munus sit etiam עשה: Sic Deus dicitur *fecisse Mosem & Aaronem*, hoc est, ornasse munere & honore illo quo functi sunt erga Israëlitas. 1. Sam. 12. 6. Ergo, τῷ ποιήσαντι αὐτὸν est, *ei qui vocavit eum ad munus Mediatorium*, Deo nempe à quo constitutus est in eo munere, eo honore ornatus fuit, uti dicitur infrà cap. 5. ỽ. 4. 5. *Nemo sibi sumit hunc honorem, sed qui vocatur à Deo ut Aaron. Ita & Christus non sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed is qui dixit ei, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Similis est isti illud quod habetur Act. 2. 36. ubi Petrus ait de Christo, *Certò sciat tota domus Israël hunc factum esse à Deo Dominum & Christum.*

ỽ. 4. σημείοις τε καὶ τέρασι, καὶ ποικίλαις δυνάμεσι.] Σημεῖα Hebraicè אותות τέρατα מופתים, & δυνάμεις הגבורות unum idemque sunt, quemadmodum 1. Tim. 2. 1. δεήσεις προσευχαὶ, ἐντεύξεις, unam eandemque rem diversis nominibus significant. Neque verò hæc vocabulorum accumulatio pro ταυτολογίᾳ est habenda. Etsi enim idem significatur, tamen non eodem modo significatur. Nam miracula dicuntur σημεῖα, quia signa sunt præsentiæ divinæ, atque eorum proprius usus est ut confirmetur fides nostra: τέρατα verò quod homines dent in stuporem, non modò rapiant in admirationem, terrorem enim incutiunt; nam τέρας dicitur quasi τρέας, ἀπὸ τοῦ τρεῖν quod est *tremere, pavere, terreri*, δυνάμεις verò quia in eis elucet Dei potentia, ut certè vera miracula sine vi infinita patrari nequeunt.

Ibid. πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς.] Μερισμοὶ πνεύματος sunt varia illa dona Spiritus Sancti, quæ & χαρίσματα vocantur, de quibus Apostolus fusè 1. Cor. 12. 4. Et μερισμοὶ quidem, quod nemini uni indulgentur omnia, sed unicuique suum peculiare donum: deinde verò quod eadem dona non eâdem copiâ singulis tribuebantur: πνεύματος verò μερισμοὶ, quòd, ut docet Apostolus eodem illo loco, Spiritus hæc dona pro arbitrio impertiebatur.

ỽ. 5. οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν.] status Ecclesiæ Christianæ hîc ab Apostolo οἰκουμένη propterea vocatur, quod verba Psalmi, quæ mox Apostolus interpretaturus est ab Adversariis potuerunt intelligi de mundo hoc, quatenus habitabilis est & cultus, quomodo Hebræi תבל dicunt, idque

opponunt τῷ מדבר *deserto*, quasi *οἰκουμένην ἐρήμῳ* opponeres, hinc factum est ut *οἰκουμένης* vocabulum usurparit Apostolus *οἰκουμένη* verò *μέλλουσα* vocatur, quia non agit hoc loco Apostolus de statu Ecclesiæ qualis est in hac vita, nam ne hactenus quidem est *οἰκουμένη*, mundus enim Ecclesiæ desertum est, *οἰκουμένη* Ecclesię est in cœlo, sicuti Israëlitarum in terra Canaan. Dicitur autem *mundus* ille *futurus non esse Angelis subjectus*, quia opponitur hic ab Apostolo mundus ille futurus huic mundo, qui Angelis tum bonis tum malis est subjectus, quamvis diversissima ratione, his ut tortoribus, grassatoribus, prædatoribus; illis ut Dei Ministris. At futurus mundus soli Christo subjectus est, quem hoc nomine Angelis præfert.

℣. 6. *τί ἐστιν ἄνθρωπος*.] Cùm Psalmus, ex quo ista desumpta sunt, prima fronte nihil aliud continere videatur quàm deprædicationem summæ Dei erga hominem bonitatis, quæ se prodidit in excellentia hominis, quâ Deus eum in prima creatione ornavit, quum eum constituit Dominum universi hujus orbis terrarum, cui tota hæc mundi machina veluti ministrat, cujus dominij, & pręstantiæ hominis supra reliquas omnes creaturas, conspicienda se prębent etiamnum hodie vestigia quędam, licet obscura valdè ob peccati labem, mirum non immeritò videri alicui possit, quàm aptè quæ sic de homine, in naturali illo suo statu considerato, à Propheta dicta videntur, ea Christo singulariter applicentur, quasi de eo primò & propriè dicta essent. Itaque ut hic scrupulus eximatur, utque ne Apostolus abuti videatur hoc Prophetæ testimonio, ostendendum est, totum illum Psalmum non esse de prima hominis creatione intelligendum, neque de hodierno hominis naturali post peccatum statu, sed de Christo, & fidelium per Christum restauratione, accipiendum esse necessariò. Multa igitur sunt quæ obstant quominus hic Psalmus referri possit ad primam creationem. Illud primùm quod continet gratiarum actionem: Atqui non est verissimile Ecclesiam gratias Deo agere ob creationem, tacito redemptionis opere. Deinde, quibus beneficijs pij exciderunt, ea quoties commemorant cum gratiarum actione, toties agnoscunt miseriam in quam suâ culpâ delapsi sunt, simul etiam petunt ut in locum unde dejecti sunt restituantur, quorum nihil hoc Psalmo fit. Huc & illud accedit, quod Deus dicitur hoc Psalmo propagasse usquequaque totâ terrâ, gloriam nominis sui, id quod nonnisi ad Ecclesiam Iudęorum & Gentium pertinet: Nam prima creatione gloria nominis Dei non latius patuit quàm Paradisus, nondum enim erant alibi qui nominis Dei laudem celebrarent. Adde, quod non quadrant primæ creationi illa verba, *ex ore infantium & lactentium*, &c. hæc verò multò minus, *propter eos qui tibi adversantur, ad compescendum hostem*. Sed & illa ותחסרהו *ἠλάττωσας αὐτὸν*, ad primam creationem nequeunt referri, notant enim (si eorum propriam vim æstimemus)

æstimemus) conditionis mutationem in pejus. Vnde & apparet quàm rectè LXX. Interpr. מעט verterint βραχύ τι, & מאלהים παρ' ἀγγέλους, illud. quoniam מעט ad tempus etiam refertur, Hose. 1. 4. hoc verò, quia tota sententia frigida foret & inepta, si אלהים *Deum* significaret, quis enim putet Prophetam voluisse hominem, vel in prima creatione, fuisse summo Deo paulò inferiorem. Deinde, manifesta antithesis quæ huc redit, *Ad exiguum tempus eum Angelis reddidisti defectiorem, at postea gloriâ & magnificentiâ coronasti eum.* Objici posset, hominis dignitatem sic describi ut illi subjiciantur boves & oves, quod non videtur quadrare restaurationi Ecclesiæ per Christum. Imò verò, inquam, si hic ageretur de prima creatione, minima hæc foret pars tantæ dignitatis: sed sic solent Prophetę gloriam regni Messiæ describere verbis res terrenas significantibus, ut Psal. 72. 16. *frumentum det fragorem in vertice montium*, &c. Sic ergo ostensum est, Psaltem eo Psalmo non agere de hominis creatione & donis per creationem homini collatis; sequitur ergo ut de Ecclesiæ redemptione, déque donis quæ fidelibus per Christum, & redemptionis gratiam, collata sunt, isthic agatur. Quod ut fiat manifestius, tenendum est quæ sit hoc capite Apostoli mens, hæc nempe, Christum supra Angęlos evehere, eumque illis longè superiorem probare, idquod facit hoc argumento, Deus non Angelis sed Christo subjecit τὴν μέλλουσαν οἰκουμένην *futurum sæculum*, ℣. 5. Ergo Christus est Angelis superior. Antecedens illud quoad priorem ejus partem, nempe, *Deum non subjecisse Angelis futurum sæculum*, sic probat, *Deus homini subjecit futurum sæculum, Ergo non Angelis.* Probat autem homini à Deo subjectum esse futurum sęculum, adducto Davidis ex Psal. 8. ℣. 6. 7. 8. testimonio, hoc modo, Omnia, teste Davide, à Deo homini sunt subjecta, ℣. 8. Iam verò subjectio illa non est accipienda de subjectione rerum quæ concessa est homini à Deo in prima creatione, hoc est, de potestate quam tum accepit à Deo in omnia manuum ipsius opera, cujus Moses meminit Genes. 1. 18. Ergo, intelligendum est illud Davidis dictum de subjectione τῆς μελλούσης οἰκουμένης, *futuri sæculi.* Probat autem dictum illud Davidis non debere accipi de subjectione hujus sęculi homini à Deo in creatione facta, inde quia scilicet non videmus illud Davidis dictum compleri in hac vita, in hoc sęculo, *Non enim videmus nunc omnia pedibus hominis esse subjecta.* Imò verò tantum abest ut homo omnibus creaturis dominetur, ut contrà eas habeat & experiatur sępissimè inimicissimas. Quandoquidem ergo in hac vita, & hoc sęculo, non videmus omnia esse homini subjecta, & Scriptura solvi non potest, necesse est ut illud Davidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus ejus*, non de subjectione rerum in hac vita intelligatur, sed de ea quæ futura est in venturo sęculo, in quo verè omnia & plenè homini subjicientur. Sic probat Apostolus non Angelis, sed homini, subjectum esse à Deo futurum

sæculum. Sed præterea probat idem Apostolus, Christo subjectum esse futurum sæculum, déque eo intelligendum esse illud Davidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus ejus*, & quidem hoc pacto id probat, *Illi subjectum est futurum sæculum*, sive *Illum honore & gloria coronavit Deus* (sunt enim ista duo Apostolo hîc ἰσοδυναμοῦντα) *quem prius Deus ἠλάττωσε παρ' ἀγγέλους*, ✠. 7. *Sed Iesus Christus is est quem Deus ἠλάττωσε βραχύ τι παρ' ἀγγέλους*. Ergo, *Christus is est cui futurum sæculum à Deo subjectum est*, sive, *quem Deus honore & gloria coronavit*. Vbi observandum est, βραχύ τι isthic non significare *paulò infrà*, uti vulgò redditur, sed *ad breve tempus*, quod ab ipso Apostolo explicatur ✠. 6. verbis istis, *διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου*, hoc est, *per illud tempus quo passus est mortem*. Atque hinc liquet verba Psaltis propriè & primò de Christo esse accipienda, qui *ad breve tempus* (passionis nempe suæ tempore) factus est respectu naturæ suæ humanæ Angelis inferior, non verò de humano genere, cui illud βραχύ τι, *breve tempus*, non potest accommodari. Agitur ergo eo Psalmo de dominio quod Christus accepit in omnes omnino Dei creaturas (nullis exceptis) etiam in Angelos, (nam *in eo quod Deus illi subjecit omnia, nihil omisit quod non sit ei subjectum*) sive de gloria & honore illo quo Deus Christum post mortis passionem, resurrectionem, in cœlum ascensionem, coronavit, quum eum evexit & collocavit in cœlo à dextris suis, supra omne nomen tam in cœlo quàm in terra. Nam *hodie videmus Iesum gloriâ & honore coronatum, qui* (paulò antè) *ad breve tempus, propter mortis perpessionem, factus fuerat Angelis inferior*, ✠. 9. Vbi observanda est oppositio, quam isthic facit Apostolus, inter Christum, qui gloriâ & honore coronatus est, cujusque pedibus omnia subjecta sunt, & hominem cui (✠. 8.) negat omnia esse subjecta. Sic enim demonstrat Apostolus, Davidis dictum non posse [uti loquuntur in Scholis] verificari de homine, sed de solo Christo.

Sic itaq; breviter disputat Apostolus, Scriptura solvi non potest, sed necesse est ut complementum suum sortiatur, illa autem testatur, omnia hominis pedibus à Deo esse subjecta, quod cùm non videamus jam fieri in hoc sæculo, necesse est ut tandem aliquando, nempe in futuro, id verum comperiatur, quum scilicet fideles per Christum miserijs omnibus hujus vitæ soluti, in cœlum transferentur & supra omnes creaturas evehentur. Hæc autem gloria fidelibus non primò & per se, sed propter Mediatorem Christum competit, adeóque eorum capiti primariò convenit, qui homo factus, cùm morte sua hominem redemisset; post passiones suas cum summa gloria in cœlum evectus est, & supra omnes creaturas constitutus, de quo solo propterea & propriè verificatur [ut ita dicam] Davidis dictum, *Omnia subjecisti pedibus ejus*, de fidelibus autem in futura vita nonnisi secundariò, & per participationem, seu communionem, quam habent cum capite suo Christo.

✠. 10. *διὰ παθημάτων, τελειῶσαι.*] Vox τέλειος ut plurimùm quidem &

primò ad cognitionem in Pauli ſcriptis, ſed etiam non rarò ad mores refertur. Nempe duplex eſt cognitio, eſt enim cognitio quædam quæ ſita eſt in nuda perceptione rerum, & eſt quæ ſita eſt in experimentis; & quomodo ſecundùm priorem illam cognitionis ſpeciem τέλειοι à Paulo dicuntur qui ſummum, hoc eſt, maximum cognitionis myſteriorum divinorum gradum aſſecuti ſunt, quantum ſcilicet in hac vitæ iſtius caducæ infirmitate aſſequi poſſumus, ita ſecundùm poſteriorem iſtam cognitionis ſpeciem τέλειοι dicuntur, qui docent reapſe & factis ſe verè didiciſſe quod ſe didiciſſe profitentur. Vnde Iacobus cap. 3. 2. τέλειον vocat eum qui poteſt continere linguam; & Chriſtus Matth. 5. 45. τελείους vocat eos qui patientes ſunt. Eſt nempe quoddam *diſcere experimentale*, ut ita loquamur, ſecundùm quod Chriſtus dicitur *didiciſſe obedientiam ex ijs quæ paſſus eſt*, Heb. 5. ✝ 8. Atque hoc reſpectu dicitur hîc τελειωθεὶς διὰ παθημάτων, metaphorâ ductâ ab humana infirmitate, Chriſtus nempe veluti initiatus eſt, & tandem perfectus omni virtutis experimento, & documento.

✝. 11. ἐξ ἑνὸς πάντες.] ἐξ ἑνὸς nec Deum Patrem, nec Adamum, neque verò etiam naturam humanam ſignificare videtur. Nam ſi vel ad Deum, vel Adamum refertur, ratio conformitatis noſtræ cum Chriſto non eſſet manifeſta, nam etiam Angeli ſunt ex Deo, & impij homines ex Adamo. Atqui certum eſt Apoſtolum rationem reddere cur Chriſtum nobis, nos Chriſto conformes eſſe oporteat, idque juxta eam conformitatis rationem quæ Angelorum cum Chriſto conformitati non competit. Cæterùm inter impios & Chriſtum nulla conformitas eſt, ut hîc Chriſtus non ſit ut homo ſimpliciter conſiderandus, ſed ut homo ſanctus. Quid igitur ſtatuendum eſt? Nempe videtur Apoſtolus hac locutione ἐξ ἑνὸς deſignare paritatem conditionis, ſpiritualis, inquam: quaſi juxta noſtrum conſiderandi modum Deus mente concepiſſet Eccleſiæ ſuæ Ideam quandam, quæ in uno aliquo eſſet per omnia ſibi ſimilis: deinde verò voluerit caput & ſanctificatorem Eccleſiæ Chriſtum ejuſdem eſſe conditionis cujus eſt Eccleſia tota. Fortaſſe etiam alluſerit ad id quod jure Levitico factitari ſolitum eſt, quo jure delibatæ ex acervo primitiæ acervum ſanctificabant, cùm eſſent primitiæ & acervus ἐξ ἑνὸς, hoc eſt, *ex eadem maſſa*. Quod ſiquis quærat quid ſit id tandem, reſpondebimus id eſſe quod Paulus vocat *imaginem Dei*, item *novam creaturam*, quod 2. Petr. 1. 4. dicitur θεία φύσις; præterea verò conditio quę Dei imaginem ſequitur, nempe afflictionum communio. Vno verbo ἐξ ἑνὸς eſt *ejuſdem naturæ & conditionis ſpiritualis*.

✝. 13. ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ.] Mirum videri poſſit quî faciat iſte locus ad Apoſtoli propoſitum. Nempe docuerat Apoſtolus ✝. 11. Chriſtum ſanctificatorem, & fideles ſanctificatos, eſſe ἐξ ἑνὸς, hoc eſt, ejuſdem conditionis & naturæ ſpiritualis. Id verò inde probat quod &

Christus in diebus carnis suæ in Deo spem suam collocavit, id quod non est Dei, sed nec illius creaturæ quæ non angitur & conflictatur rebus adversis. Ex quo patet eo quod etiam Christus Deo confidit, utrumque Christo convenisse, ut homo esset, sed qui spiritu Dei ageretur, sine quo nulla in Deo confidentia est, idémque homo ærumnosus, non enim Angelis, neque beatis spiritibus, convenit illud, *Ego confidam in ipso,* cujus rei hæc ratio est quod hæc confidentia spem habet & expectationem, cui nullus locus esse potest postquam datum est frui summo Bono. Itaque in Sanctæ Scriptura etsi pijs hæc oratio tribuitur, attamen ijs nunquam tribuitur nisi tum cùm in maximis animi angoribus versantur.

Ibid. ϗ πάλιν, ἰδοὺ, &c.] Cùm hæc verba ἰδοὺ ἐγὼ, &c. immediatè apud Esaiam sequantur præcedentia illa ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ, mirum videri possit cur Apostolus inter ea interserat ista ϗ πάλιν. Crediderim ideò id factum quod diversum sit quod instituit probare, itaq; illud ϗ πάλιν non respicit verba quæ profert ex Propheta, sed scopum disputationis. Nam duo erant Apostolo probanda authoritate Scripturæ, primùm conditionem Christi eandem debuisse esse quæ nostra, hoc jam probavit ex illo loco ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ: deinde verò conformitatem naturæ spiritualis nobiscum, id etiam verbis illis jam probavit, sed obscurius. Itaque idipsum instituit apertè & directè probare istis verbis, *Ecce ego & pueri quos mihi dedisti.* Potest etiam & illa afferri ratio, quod verba illa ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ pars versiculi sunt, & quidem ultima, unde factum sit ut cùm Hebræorum more sequens versus disterminatus sit à præcedente per *Soph passuc* quem vocant, eum versum Apostolus citaverit acsi nova esset sententia, & longo distaret intervallo: quomodo (verbi gratiâ) qui prudenter distinctionem librorum sacrorum in certa quædam capita, quia usu jam recepta est, observant, etiamsi cohæreat initium capitis cum fine præcedentis, attamen in citationibus non continuò utrumque versum jungunt.

Ibid. ϗ τὰ παιδία, &c.] Cum Christi fratres passim dicamur in Novo Testamento mirum videatur, quomodo hîc παιδία ejus dicamur. Sed nihil necesse est ut sic verba Prophetæ accipiamus ac si diceremur παιδία Christi, nam verborum sensus constabit si dicamur *liberi* respectu Dei, sed quos Deus eò *liberos suos* fecit, quòd eos Christo tradidit, juxta illud, *Nemo venit ad me nisi Pater trahat illum,* & illud etiam, *quos dedisti mihi ego custodivi,* &c. Sed & illud παιδία ita licet interpretari ut etiam Christi respectu παιδία dicamur, sed quomodo Prophetæ de Christo loquuntur. Nam apud Esaiam cap. 53. 10. posteritas illi tribuitur, & dubium non est quin eodem spectet illud apud eundem, *generationem ejus quis enarrabit?* Ibid. ✝. 8. Et Psal. 110. 3. *ros juventutis tuæ* haud dubiè ponitur pro multitudine הילדים παιδίων, quanta est guttarum roris.

℣. 14. Παραπλησίως.] Παραπλησίως, ὁμοίως, τὸν αὐτὸν τρόπον, eadem sunt apud bonos authores; nempe usurpantur aliquando de rebus numero diversis at specie ijsdem. Fortè etiam Apostolus eò spectavit ut notaret differentiam, simul & convenientiam humanæ naturæ in Christo & in nobis, quæ multiplex est. Primùm enim in nobis humana natura non modò est σὰρξ καὶ αἷμα, verùm etiam ἐκ σαρκὸς καὶ αἵματος. At in Christo est quidem illa, quod ad substantiam attinet, σὰρξ καὶ αἷμα, sed ἐκ πνεύματος ἁγίου. Deinde verò etiam in dotibus animi naturalibus, quas vocant, Christus infinitis partibus nobis antecelluit. Tertiò, Omnes ejus affectus pravis & vitiosis perturbationibus vacarunt. Denique humana natura non sola seorsim in eo existebat, quod *subsistere* vocant, sed conjuncta cum natura divina.

℣. 16. οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, &c.] Doctissimi Interpretes, unanimi consensu, verbum ἐπιλαμβάνεσθαι ad naturæ assumptionem, in personæ unitatem, retulerunt. Sed primò hæc non est vis verbi ἐπιλαμβάνεσθαι, ut significet *assumere in unionem personæ;* quin ἐπιλαμβάνεσθαι propriè est *apprehendere:* unde factum est ut etiam *opitulari* significet, Syracid. cap. 4.12. καὶ ἐπιλαμβάνεται (Sapientia nimirum) τῶν ζητούντων αὐτήν, *opitulatur quærentibus ipsam.* Nam qui in summo discrimine versantur, vel qui se jam ultrò in perniciem conjecerunt, eos si fieri potest injecta manu asserimus, juxta illud Iudæ, ℣. 23. οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες. Ergo, non sine elegantia quadam, traductum est hoc verbum ad id significandum quod sub finem versus præcedentis ἀπάλλαξιν vocavit. Deinde, quemadmodum dura nimis locutio foret, *Filius Dei assumpsit homines*, dum id volumus tantùm significatum, *Filius Dei assumpsit naturam humanam*, ad eundem modum & hæc itidem locutio, *Filius Dei assumpsit Angelos*, ad significandum Filium Dei assumpsisse naturam Angelicam, pariter dura videri possit. Tum etiam, vix dicimus Filium Dei *assumpsisse hominem*, quamquam *hominem factum* tradat Scriptura, qui ergo Angelicam negatur assumpsisse naturam, cur non negatur potius *factus Angelus* quàm *Angelos assumpsisse.* Denique, omninò Apostolus ostendit ℣. 17. Christum oportuisse per omnia nobis esse similem, hac ratione, quod *non assumpsit Angelos, sed semen Abrahæ*, Atque si ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος Ἀβραὰμ est *assumere naturam humanam*, idem videbitur probasse per idem, nam *fieri nobis per omnia similem* & *assumere naturam nostram* non videntur re, sed verbis tantum differre. Quod si ἐπιλαμβάνεται pro ἀντιλαμβάνεται ponitur omnia quadrant, ut hæc sit mens Apostoli, Christus non venit redempturus Angelos sed homines. Itaque oportuit Christum hominibus esse similem, fratribus nimirum suis, nam *semen Abrahæ* hîc sunt credentes, porrò soli fideles sunt Christi fratres. Sic supra collegit, quoniam παιδία κεκοινώνηκε αἵματος καὶ σαρκός, ipse similiter eorum particeps factus est. Ergo,

παιδία, ἀδελφοὶ, σπέρμα Ἀβραὰμ, ἁγιαζόμενοι, ijdem sunt, *credentes* nempe. Adde quod assumptionis naturæ humanæ in unitatem personæ actio momentanea, non continua, fuit. Itaque eam Apostolus paulo superius verbo præteriti temporis μετέσχε significavit, cujus hæc est vis ut duarum naturarum unionem aptè designet, non enim merus homo μετέχειν naturæ humanæ propriè dici possit (itaque Apostolus dum meminit τῶν παιδίων, non dixit eos μετέχειν, sed κοινωνεῖν, αἵματος καὶ σαρκός.) At opitulandi actio Christi continua est, cæterùm actio continua nullo tempore convenientius, quàm præsenti, repræsentari potest: nam sicut in linea fingunt puncti productionem, sic in temporis continuatione fingimus promotionem quandam præsentis, quod quale sit præter id quod νῦν vocant, animo capi non potest. Hæc igitur causa est cur ἐπιλαμβάνεται dixerit Apostolus, non verò ἐπελάβετο. Objiciunt nonnulli, Christum opitulatum esse Angelis, quatenus per eum confirmati sunt in bono, itaque fore ut Apostolus negarit quod res est, si ἐπιλαμβάνεσθαι significat *opitulari*. Sed quemadmodum non omne Christi beneficium σωτηρία *salus* dicitur, sed salus ea demum est quæ perditis obtingit, sic non quævis opitulatio verbo ἐπιλαμβάνεσθαι designatur, sed ea tantummodo quæ fit injecta manu, qualem Iudas describit, *alios servate ex flamma rapientes*, qui sic opitulatur ἐπιλαμβάνεται. Vno verbo ἐπιλαμβάνεσθαι est eorum qui ceciderunt, & qui manu prehensi erigendi sunt ex lapsu, quod Angelis in bono confirmatis non convenit.

Ibid. σπέρματος Ἀβραάμ.] Hoc nominè ij quos Christus redemit hîc vocantur, fideles nempe cujus si quis quærat rationem, eam expedit Paulus Epist. ad Rom. qui duplex statuit Abrahami σπέρμα, in quorum altero etiam Gentes censentur, nempe qui ex Gentibus credunt. Atque hac locutione eo lubentius est usus hujus Epistolæ author, quod ad Hebræos scribit, qui se Abrahami filios gloriabantur. Pertinet nimirum ad laudem Abrahami quod *Pater* dicitur *omnium credentium*, sive Iudæi sint sive Gentiles.

ỽ. 18. πέπονθεν αὐτὸς πειρασθείς.] Tentatio cùm dicatur multis modis, hoc loco tamen intelligenda est ita, ut nihil aliud significet quàm luctam animæ Christi adversus omnis generis dolores & ærumnas, quę lucta *Tentatio* dicitur vel respectu Dei (quò referenda sunt illa Davidis toties repetita, *Proba me*, & *probasti me*, sunt enim magnificentiora quàm ut ulli mortalium propriè conveniant) vel respectu Diaboli qui Christo studuit omnibus modis esse molestus, quò illud pertinet, *Princeps hujus Mundi venit, sed nihil in me invenit.* Ioh. 14. 30. Ergo quum dicit Apostolus πέπονθε notat *materiale* tentationum Christi, quod fuit dolor corporis & animi, non inordinatus ille qui est à peccato diffidentiæ, vehementissimus tamen, *formale* verò notatur illo πειρασθείς, nam quod perpessiones sunt tentationes pendet id non à patiente, sed ab inferen-

te dolorem. Atqui dolorum Christi duo fuerunt distinctissima genera, alterum quod immediatè à Deo proficiscebatur, sine ullius creaturæ interventu, cruciatus nimirum animæ Christi, hactenus Christus à Deo tentatus fuit immediatè. Alterum genus dolorum Christi ejusmodi, fuit ut à creaturis proficisci potuerit, & hactenus item Christus à Deo tentatus dici possit, haud immediatè tamen. Cæterùm creaturæ quæ Christo molestiam exhibuerunt, vel spiritu Satanæ instigati, vel Angeli ipsi Satanæ fuerunt. Harum tentationum respectu Christus à Diabolo, non modò à Deo, quamquàm diversissimo consilio, tentatus dici possit.

In EPIST. ad HEBR. Cap. III. ℣. 1.

ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν.] Quoniam Politia Iudæorum censetur Mose & Aarone, ut 1. Sam. 12. 6. *Dominus qui fecit Mosem & Aaronem.* Et in Psal. 96. 21. & 99. 6. Moses autem Dei Apostolus fuit, hoc est, missus à Deo (ut ipse Exod. 3. 15. testatur) ad liberandum populum, Aaron verò ἀρχιερεὺς *summus Sacerdos* fuit, & in Christiana Politia, hoc est, in Ecclesia nos oportuit utrumque habere, Apostolum & summum Sacerdotem: hoc tamen discrimine, quod in Politia Iudaica ista non fuerunt semper in una eademque persona conjuncta, sed divisa, ut Moses propriè fuerit Apostolus, Aaron summus Sacerdos, quamvis ante Legem datam utrumque Mosi competebat. *Apostoli* autem nomen hìc generale est, ne quis fortè putet Christum vocari Apostolum ob munus Propheticum simpliciter; sanè Christus est missus ad liberandum populum suum, *Quemadmodum*, inquit, *misit me Pater, sic ego vos mitto.* En se Apostolum vocat: Quod verò dicitur *Apostolus* καὶ ἀρχιερεὺς *nostræ confessionis*, eo nihil aliud significatur quàm Christum eum esse ἀπόστολον & ἀρχιερέα quem nos confitemur, nos, inquam, qui in eum per eum credimus.

℣. 2. τῷ ποιήσαντι αὐτόν.] Hinc novi Arriani effici contendunt Christum habuisse *factorem*, proindéque esse creaturam. Quod si respondeas Christum fuisse factum secundùm naturam humanam, poterunt urgere, sic sibi non satisfieri. Itaque respondemus Christum fuisse factum ratione muneris, hoc est, constitutum esse à Deo in munere Mediatoris. Quæ locutio non debet ideò videri dura, quia vel explicata est, vel usitata in alijs Scripturæ locis, & explicata quidem à Petro Act. 11. 36. Κύριον καὶ χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε, hoc est, *constituit*. Sic 1. Sam. 12. 6. Deus dicitur *fecisse Mosem & Aaronem*, hoc est, vocasse ad munus, quo functi sunt.

℣. 3. ὁ κατασκευάσας αὐτόν.] Ecclesia eadem Dei domus est & Christi, Deus enim Christi operâ eam condidit, quemadmodum Mundus item Dei & Christi opificium est, quandoquidem Deus per Filium suum Mundum condidit; cæterùm operis & opificij diversa ratione. Nam

ſolo Dei nutu per Filium omnia ſunt creata, verùm Eccleſiæ ſtructura majoris fuit moliminis; oportuit enim Dei Filium naturam humanam aſſumere, atque in ea peccata noſtra expiare, Dei voluntatem non modò patefacere extrinſecus, ſed mittere Spiritum Sanctum qui intrinſecus ſuos erudiret, quo potiſſimum reſpectu domum illam Chriſtus hîc dicitur κατασκευάσαι. Nam ad externam prædicationem quod attinet, & quicquid illius ſolâ vi præſtari poteſt, nihil opus eſt alio quàm Moſe & Prophetis, hoc eſt, meris hominibus. Cæterùm Eccleſia *Dei & Chriſti domus* dicitur, quia Deus per Verbum & Spiritum ſuum in ea habitat, eam regit & gubernat.

℣. 4. ὁ δὲ τὰ πάντα κατασκευάσας Θεός.] τὰ πάντα eadem hîc ſunt quæ Eph. 3. 9. τῷ τὰ πάντα κτίσαντι διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, & 2. Cor. 5. 17. τὰ ἀρχαῖα παρῆλθεν, ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα, τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, &c. Conſtructio enim Eccleſiæ Chriſtianæ, poſtquàm Chriſtus aſcendit in cœlum, faciem orbis terrarum renovavit. Etſi autem hujus operis ἀποτέλεσμα unicum fuit, tamen quia eò perventum eſt multis & maximis rebus patratis, & commoto veluti cœlo terráque, ut eſt apud Prophetam Aggæum cap. 2. 7. τὰ πάντα, *multa* illa, & magna dicuntur, ut ſit hęc Apoſtoli mens, quicquid in conſtructione Eccleſiæ factum eſt, id ejuſmodi fuit ut ab eo ſolo qui Deus ſit proficiſci potuerit. Ergo *qui omnia illa magna fecit Deus eſt*, hoc eſt, (ut ego quidem arbitror) Deum eſſe neceſſe eſt. Hæc itaque verba non videntur ad Mundi creationem referenda eſſe, ſed de Eccleſiæ conſtructione, à Chriſto factâ, intelligenda.

℣. 5. καὶ Μωσῆς μὲν πιστὸς, &c.] Immane quantum eſt diſcrimen inter Moſis & Chriſti Mediationem, ut interim de perſonis nihil dicamus: hoc verò diſcrimen Apoſtolus pauciſſimis quidem his verbis, ſed ſignificantiſſimè, notavit. Vbi obſervandum eſt, Apoſtolum agere non tam de Chriſti perſona quàm de officio, quod eâ vult eſſe cum dignitate conjunctum ut nullus eo fungi poſſit qui idem non ſit Dei Filius; cùm contrà Moſis miniſterium, etſi fuit excellentiſſimum, haud dubiè tamen non erat hujuſmodi ut ſuperaret naturæ humanæ modum. Vnde facilè ſolvi poteſt quæſtio haudquaquam contemnenda, etenim Apoſtolus negat Chriſtum pręfuiſſe domo Dei ut ſervum, at verò ab Eſaia *Servus* vocatur Chriſtus, & quidem ubi de Iuſtificatione agitur, *Servus meus Iuſtus cognitione ſui multos juſtificabit*, quæ videntur inter ſe pugnare. Neque verò quæſtio diſſolvitur, ſi Chriſtum dicas ſervum Dei reſpectu naturæ humanæ, quandoquidem Chriſtus *ſervus Dei* eo loci dicitur ob miniſterium quod obivit, cujus etiam meminit, profeſſus ſe *veniſſe non qui miniſterium admitteret aliorum, ſed qui miniſtraret ipſe*. Deinde verò cùm Moſes dicitur *ſervus Dei* non notatur Moſis perſona, ſed miniſterium, cujus ſi ratio habeatur Moſes ſervus fuit, ſed hæc ſervitus dignitas ſumma fuit, ut Regum ſervi Nobiles ſunt. Nos igitur ſic reſpondemus,

demus duo esse genera Ministerij, unum eorum est quod à nemine possit obiri ob dignitatem qui non sit idem filius: Omnes nempe Ministerij Christi partes sunt ejusmodi, ut requirant potentiam infinitam, nam & Christi officium Propheticum, Sacerdotale, & Regium ejusmodi sunt ut nisi qui Deus sit nemo possit ijs defungi. At est aliud genus Ministerij, quod ejusmodi est ut qui non sit Deus eo defungi possit. Hoc Ministerio qui functi sunt *servi Dei* dicuntur simpliciter & omni modo: Moses verò, quia hujus generis officio functus est, quod excellentissimum fuit, dicitur antonomasticè *Dei servus*. Non igitur pugnant ista, ut Moses dicatur præfuisse ut servus, Christus verò ut filius, quamquam etiam servus fuit, nam filium nihil vetat quadam ratione servum dici, dummodò ejus Ministerium non sit adeò vile ut non deceat filium. Sed & aliud est, nam servit aliquis vel secundùm dispensationem, (ut loquuntur) vel quia aliter servire nefas est. At Christi servitus œconomica fuit, nam cùm servi formam assumeret erat in forma Dei: non fuit ejusmodi servitus Mosaïca.

Ibid. εἰς μαρτυρίαν τῶν λαληθησομένων] Existimarim Apostolum hac ratione Mosis Ministerium à Christi munere distinguere: Nam Moses testis erat tantùm voluntatis divinę, non item divini operis effector & patrator. At Christus non testis modò divinæ voluntatis, sed etiam author redemptionis nostræ fuit. Deinde, Moses nullo vero sacrificio oblato peccata populi expiavit, tantùm institutis, jussu Dei, externis & carnalibus sacrificijs, Christi spirituale & divinum sacrificium, quo justitiæ Dei cumulatissimè satisfactum est, pręfiguravit, eóque Christi Evangelio testimonium perhibuit: Atque ita τὰ λαληθησόμενα significarit *ea quæ à Christo, ejusque Apostolis, erant annuntianda.*

℣. 6. παῤῥησίαν καὶ καύχημα τῆς ἐλπίδος.] Παῤῥησία & καύχημα ἐλπίδος est *Spes quæ gignit* παῤῥησίαν & καύχημα; παῤῥησίαν quidem apud Deum, καύχημα adversus ea omnia quæ terrorem nobis possunt incutere, *Iustificati* (inquit Apostolus Rom. 5. 1.) *ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem etiam hunc habemus aditum in gratiam per quam stamus,* (hęc est παῤῥησία *libertas*) *& gloriamur sub spe gloriæ Dei*, hoc est καύχημα illud. Vtriusque exemplum illustre habemus Rom. 8. ℣. 28. & 31. & seqq.

℣. 10. ἀεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ.] Omnes homines aliquid appetunt per se, id quoties non est bonum, sed malum, in eo graviter errant, nam boni vice malum appetunt, nec alia peccati ratio est; Deinde error omnis mentis est, sed tamen pertinet etiam ad voluntatem, cùm nempe versatur circa ea quæ vel expetenda, sunt vel fugienda; Ergo καρδία hîc mens est, ut alibi passim, & hoc est, πλανᾶσθαι τῇ καρδίᾳ, *errarè mente.*

Ibid. οὐκ ἔγνωσαν τὰς ὁδούς μου.] *Dei via* est quem dicimus vulgò *modum agendi*, quem Deus probat: & duobus modis sumitur in Scri-

ptura, primùm pro eo agendi modo quem Deus ipse sequitur, ut quum dicitur, *Viæ Domini non sunt sicut viæ vestræ.* Deinde pro eo agendi modo quem vult nos sequi, tum via Domini est quam Deus jubet & probat. *Viæ Domini* ergo hoc loco sunt præcepta Dominica. *Ignorari* autem dicuntur eadem ratione quâ Stoici (etiam Aristoteles) aiunt improbos ignorare ὧν δεῖ ἀπέχειν, καὶ ὧν δεῖ ἐφίεσθαι: neque verò ideò excusandi sunt qui sic peccant, non enim peccant ignorantiâ mediorum, sed finis, quæ ignorantia, teste conscientiâ, nullam habet excusationem: Itaque omnes Philosophi eam exagitant ut αἰτίαν μοχθηρίας, eámque detestantur, tantùm abest ut excusent.

℣. 13. [σκληρυνθῇ τις ἀπάτῃ ἁμαρτίας.] *Fraus peccati* dicitur (ut supra παῤῥησία τῆς ἐλπίδος) peccatum quod decipit. Dicitur autem *decipere* peccatum quod sit apparens bonum (alioqui non appeteretur) reverâ cùm sit malum, unde etiam *ἁμαρτία aberratio* dicitur. Ratio autem hujus indurationis hæc est, Evangelium pollicetur res æternas, Dei favorem, consolationem Spiritus Sancti. Sed hæc invisibilia sunt & futura; contra, quæ in peccato sunt, præsentia sunt, & quia speciem habent utilis & jucundi, etiam honesti, sed convenientem pravitati judicij, facit ut contemnamus Evangelium, quemadmodum Esavus primogenituram. Hic contemptus induratio est.

℣. 14. μέτοχοι γεγόναμεν τοῦ χριστοῦ.] Hæc verba ita sunt hoc loco accipienda atque illa Christi, *Si vosmet invicem amaveritis, verè Discipuli mei eritis*, non *formaliter* (ut loquuntur in Scholis) sed *interpretativè* seu *declarativè*, hoc est, ut non intelligatur tum demum fore ut Christi compotes reddamur postquam perseveraverimus, sed id tum demum ipsâ experientiâ & factis comprobatum iri. Nam cùm sine Christo nil possimus, & multò maximum sit, proindéque & difficillimum, opus perseverare, absurdum foret putare à quoquam id præstari posse qui Christo non fuerit prius insitus, palmes scilicet veræ viti. Christi autem participatio duabus potissimum in rebus sita est, ut jus veluti in Christum habeamus, deinde ut fruamur Christo; quorum prius fide obtinetur, posterius communicatione naturæ Christi. *Naturam* voco ingenium veluti Christi, quod fit renovatâ naturâ nostrâ per Spiritum Sanctum, deinde etiam *naturam Christi* voco beatam & gloriosam immortalitatem, quæ per eundem Spiritum nobis inhabitantem obtingit, teste Apostolo Rom. 8.

Ibid. ἐάνπερ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως, &c.] ὑπόστασις vocabulum est quo LXX. Interpr. reddiderunt Hebraicum תוחלת quæ vox *expectationem, spem, fiduciam* significat. Nam ὑφίστασθαι est *subsistere*, non trepidare, non commoveri, sustinere impetum, aut impressionem, statu immoto & inconcusso: Sic Latini dicunt *subsistere aprum*, Græcè ὑφίστασθαι κάπρον, & ὑφίστασθαι πολέμιον. In quo duo requiruntur; primùm, intentio oculo-

rum, quod pertinet ad expectationem, deinde status firmus & immobilis: nempe ne ingruentia & adversa nos occupent & dejiciant, & ut optata ne preterire sinamus, sed amplectamur avidè, illud interim dantes operam, ut ne præcipites impatientiâ constitutum tempus acceleremus, irrito & infelici conatu, sed (ut docet Scriptura) *possideamus animas nostras in patientia*, & ad Prophetæ exemplum, expectantes Dominum, ut in specula vigiles & exploratores, stemus. Hæc est ὑπόστασις fidelium, Ἀρχὴ autem ὑποστάσεως dicitur (quemadmodum καύχημα τῆς ἐλπίδος, & infrà cap. 6. 1. λόγος τῆς ἀρχῆς) nempe est ὑπόστασις ἣν ἤρξατο ἔχειν, vel ἣν εἶχε ἐν ἀρχῇ. Iohannes in Apocalypsi similem notionem aliter expressit, *Fac*, inquit, *prima opera*, quod nihil aliud est, quàm *pergite ut cœpistis*.

℣. 15. ἐν τῷ λέγεσθαι, &c.] Puto ἐν τῷ λέγεσθαι esse quod Hebraicè diceretur בהאמר hoc est, *quandoquidem dictum est*, & cohærere ista cum ℣. 13. Nam illa, *Christi enim facti sumus participes*, &c. interjecta sunt & inclusa parenthesi, ita ut hæc integra sententia fuerit, *Exhortamini alij alios quotidiè, quamdiu appellatur dies hodiernus, nequis ex vobis induretur fraude peccati (Christi enim facti participes sumus) quandoquidem dictum est, Hodie*, &c. Ergo illud ἐν τῷ λέγεσθαι, non referendum est ad tempus, sed simpliciter κατὰ τὸ ῥητὸν accipiendum: Nam tempus illis verbis designatum est satis significanter, *quoad appellatur dies hodiernus*, nihil ut opus fuerit ejusdem rei, & quidem in proximo, tam obscurâ repetitione.

In EPIST. ad HEBR. Cap. IV. ℣. *1.*

καταλειπομένης ἐπαγγελίας.] Dubium esse possit, an καταλείπεσθαι hoc loco sit *deseri*, *derelinqui*, atque ad incredulos referatur & contemptores gratiæ divinæ (quo sensu ἐπαγγελία *promissio* positum foret pro re promissa, quemadmodum *spes* & *fides*, in Scriptura non rarò eas res significant quæ creduntur & sperantur) an verò καταλείπεσθαι hoc loco significet *superesse*, & ad Deum referatur, ut sit totius sententiæ hæc summa, *Cùm reliqua sit, cùm supersit nova quietis promissio, caveamus nequis nostrûm eâ semetipsum frustretur, defraudet.* Et hic posterior sensus verbis & scopo Apostoli convenire videtur. Id enim est quod instituit probare, quodque concludit adeò ℣. 9. *Itaque reliquus est Sabbathismus populo Dei.* Ergo, καταλειπομένης ἐπαγγελίας non est *derelicta* seu *deserta promissione*, sed, *cùm reliqua sit, cùm supersit promissio.* Nam promissioni terræ Canaan, & illius quietis quæ ejus terræ possessionem comitabatur, nullus jam locus est reliquus. Ergo vel nulla quies superest pijs, vel novam oportet superesse promissionem.

℣. 2. καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, καθάπερ κἀκεῖνοι.] Dubium esse possit quomodo Israëlitæ in deserto dicantur fuisse εὐηγγελισμένοι. Sed quemadmodum in Scriptura duplex est ἱλασμὸς *propitiatio*, sic duplex εὐαγγελισμός. Est propitiatio *Typica*, *Ceremonialis*, & propitiatio *Realis*. Illa

peragitur aspersione sanguinis taurorum, hircorum, &c. hæc aspersione sanguinis Christi. Sic duplex Evangelium, *typicum* seu *carnale*, quod nihil aliud fuit quàm promissio terræ Canaan, quam quotquot crediderant, non continuò necesse est crediderint ad salutem in Deum; quemadmodum neque fides Miraculorum salvifica est. Et est Evangelium *spirituale*, seu *reale*, promissio de vita æterna. Iuxta priorem Evangelij rationem Israëlitæ fuere εὐηγγελισμένοι in Ægypto & deserto, ut esset is εὐαγγελισμὸς typus nostri εὐαγγελισμοῦ. Quemadmodum igitur contemptores istius εὐαγγελισμοῦ *typici* exciderunt jure adeundi terram Canaan, sic contemptores *veri* & *realis* Evangelij excluduntur regno cœlesti.

Ibid ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς.] Existimem simpliciter esse idem quod λόγος τοῦ κηρύγματος; neque dubium est quin alluserit ad Præconum consuetudinem; qui præconij initium faciunt solemne illud, ἀκούετε λαοί. Quod & Prophetæ solebant, unde illa, *Audi Israël. Audiat domus David.* Itaque verbum Dei Hebraicè dicitur etiam שמועה Esa. 28. 9. & 53.1. Et hinc ἀκοὴ πίστεως, & λόγος πίστεως, & ῥῆμα τῆς πίστεως, pro eodem sumuntur, Rom 10.

Ibid. μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι.] Complutensis editio habet μὴ συγκεκραμένους, quam lectionem eo repudiavit doctissimus Interp. quasi nullum funderet sensum. Atqui si vera lectio est, sensus apertissimus est, *Non profuit illis promissio terræ Canaan, quod non essent admisti & conjuncti, per ejusdem fidei communionem, cum ijs qui obedierunt;* Nam ἀκούειν in Scriptura non modò est *audire* sed *obedire*. Hoc pacto συγκεκραμένοι hoc loco fuerint quos alibi Scriptura vocat συσσώμους, *qui in idem corpus coaluerunt*, Eph. 3. 6. id quod fit ejusdem promissionis, ejusdémque fidei participatione. Sed recepta lectio retinenda potiùs videtur, pauci enim fuerunt, quibus datum est promissionem, quam amplexi fuerant, firmiter tenere. Itaque superest quærendum, quo sensu λόγος *promissio* non dicatur fuisse συγκεκραμένος *temperata, mista fide.* Cujus Metaphoræ hæc videtur esse ratio. Nisi cibus ita coquatur & condiatur, ut nequeat vel respui, vel non concoqui, non conducit ad alendum: Id verò fit aliquando si aliquid admisceas. Ita planè nisi Verbum Dei ita condiatur ut respui nequeat nullum profert fructum, conditur autem dum Deus adjungit, admiscet donum fidei. Itaque πίστις hoc loco consideratur non cum ea σχέσει quam habet ad homines, quomodo significat actum credendi ab homine profectum, sed ut Dei donum, ut sit sensus idem quem alijs verbis expressit Moses, Deut. 29. *Non dedit vobis Dominus cor intelligens.* Ergo sententia plana est, *Non profuit ijs sermo eo quod non fuit conditus dono fidei.*

℣. 12. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.] Sunt qui putant λόγον τοῦ θεοῦ hîc Christum significare, sic enim Christus à Iohanne antonomasticῶς dicitur: deinde, quod dicitur ℣. 13. nullam rem creatam occultam esse in con-

ſpectu ipſius, quia ad perſonam propriè pertinet, efficere videtur omninò ut ὁ λόγος τοῦ θεοῦ hoc loco perſona ſit, proindéque & Dei Filius Chriſtus. Rurſus, altera ex parte nuſquam dicitur in Scriptura Chriſtus λόγος τοῦ θεοῦ, niſi in ſcriptis Iohannis Apoſtoli, idque perrarò: Non ſic Paulus, non ſic reliqui loquuntur Apoſtoli. Deinde, cur Epiſtolæ hujus author qui *Chriſtum*, qui *Dei Filium* exſertè nominat paſſim, hoc loco vocet λόγον θεοῦ: Denique non videtur perſonæ convenire ut dicatur *efficax penetrantior quovis gladio*, &c. quæ ſi perſonæ maximè tribui poſſent, tribuerentur tamen reſpectu alicujus actionis, atqui in hoc genere actio divina eſt interna verbi prædicatio, primò igitur & proximè iſta Verbo Dei conveniunt. Et ſanè qui hîc expenderit vim conjunctionis γὰρ, ſatis deprehendet λόγον θεοῦ *Verbi prædicationem* non *ipſam Chriſti perſonam* ſignificare. Notat enim haud dubiè conjunctio illa rationem ſubjectam ijs quæ præceſſerunt, atqui præceſſit dehortatio à contemptu Evangelij, cujus hęc ratio inter multas adfertur ab Apoſtolo, hoc & ſeq. verſu, quod qui Evangelium contemnunt, quod ſemel fuerant amplexi, (nam de hujus generis contemptu hoc loco agitur) torqueri ſolent & angi conſcientiâ, nempe ſpreverunt agnitam veritatem. Etſi verò videantur ad tempus quieſcere, quies illa ſtupor potius quàm quies æſtimanda eſt, qualis eſt obrutorum vino & ſomno. Vulgatum autem eſt in Scriptura verbo Dei judicium tribuere, non enim ad nos pertingit ſenſus Iudicij divini niſi interventu Verbi.

Ibid. μερισμοῦ τε ψυχῆς καὶ πνεύματος.] Quia verbum Dei gladio comparavit, & gladij eſt ſecare & dividere in partes, conſequens erat cum omnis Verbi vis in anima exeratur, ut animam ſectilem faceret. Et cùm partes animæ ſint *Mens* & *Affectus*, mentem (quam Philoſophi νοῦν vocant) πνεῦμα appellat, ψυχὴν verò affectus. Ergo Verbum Dei in mentem, in affectus agit potentiſſimè, & hæc actio ideò dicitur *ſectio*, primùm, quia ſectione quæ clauſa fuerant, & involuta, aperiuntur & explicantur, deinde dolor infertur. Præterea Sectio, vel *medela*, vel etiam *vindicta*, causâ adhibetur. Vtrumque convenit Dei Verbo, nam apud humiles, & qui ſunt animo dejecto, ſectio hæc Verbi medela eſt, at apud contumaces, & pręfracto animo homines, ultio & vindicta.

℣. 13. τετραχηλισμένα.] Videtur eſſe Metaphora petita à re palęſtrica: Nam luctatores tum demum adverſarium dicuntur τραχηλίζειν, quum obſtricto collo ita verſant ut objiciant ſpectatorum oculis nudum conſpiciendum, & retectum undiquaque, id quod tum demum maximè fit cùm ejus cervicibus inequitant. Certè apud Heſychium principem Grammaticorum τετραχηλισμένα exponitur γυμνά. Nam altera ſignificatio τραχηλίζειν *demetere cervicem* non convenit huic loco.

Ibid. τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ.] Illud αὐτοῦ referendum eſt, & conjungendum cum eo quod ſequitur, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, hoc pacto, *Verbum Dei eſt*

efficax, &c. *Et is de quo nobis est sermo*, Deus nempe, *omnium rerum conscius est, etiam arcanorum animi.* Non est ergo referendum ad λόγον θεοῦ, quod antecessit.

℣. 15. πεπειρασμένον κατὰ πάντα, καθ' ὁμοιότητα χωρὶς ἁμαρτίας.] Tentationis varia sunt genera, inter quæ est tentatio illa quæ *afflictionis* dicitur, ea per doloris sensum peragitur. Adeò autem verùm est tentationes esse quæ oriuntur ab afflictionibus, ut ipsa afflictio *Tentatio* antonomasticè vocetur, 1. Corinth. 10 13. *Tentatio vos non cepit nisi humana*, &c. Et cap. 2. hujus Epist. Apostolus fidelium afflictiones non dubitavit *tentationes* appellare, siquidem afflictos eosdem *tentatos* dixit ℣. ult, imò & ipsum Christum afflictionibus tentatum prædicat, verba ejus sunt, ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι, tum & hoc loco, πεπειρασμένον κατὰ πάντα, *tentatum* dicit *per omnia* Christum, nempe perpessionibus & doloribus. Illud verò χωρὶς ἁμαρτίας *sine peccato*, duobus modis accipi potest, vel ut χωρὶς *absque* exceptionem notet, ut sit sensus, *Christum omnia genera tentationum expertum præter tentationem carnis, quæ eadem peccatum est.* Atque ita hunc locum interpretatus est Syrus Iterpret. nam illud χωρὶς ἁμαρτίας reddidit סטר מן חטיתא q. d. *seorsum à peccato*, hoc est, excepto peccato; qua significatione particula Græca χωρὶς non semel occurrit, ut Matth. 15. 32. χωρὶς τῶν γυναικῶν, & 2. Cor. 11. 28. χωρὶς τῶν παρεκτὸς *exceptis reliquis.* Vel etiam χωρὶς hoc loco significat *sine*, quomodo doctissimus Interp. accepit hanc vocem, ut sit hęc sententia, Christus in omnibus tentatus est pari ratione ac nos, sine peccato tamen. Nam in hac carnis nostræ infirmitate vix accidit ut afflictionibus tentemur sine peccato, etsi enim non superet afflictio & vincat, facit tamen, primo statim impetu, ut cedamus, etsi non prosternamur, attamen subsidamus & succumbamus veluti. Tentationes ab afflictionibus profectæ, quas Christus expertus est, non fuerunt ejusmodi, Christus enim ne minimum quidem cessit loco: contra nobis idipsum evenit quod ijs qui luctantur, etsi enim non continuò affligantur solo, neque verò prorsus cedant, vacillant tamen & titubant. Atque hæc interpretatio (quamvis & prior commodum habet sensum) eo juvatur, quod postquam Apostolus dixit κατὰ πάντα *in omnibus*, addidit καθ' ὁμοιότητα *pari ratione*: Afflictiones enim & tentationes Christi hujus generis duobus modis cum nostris conferri possunt, primò in materia, (ut ita loquar) ut Christus in eadem incurrerit quæ nos, deinde in vi & efficacia, ut quemadmodum nos afficimur dolore quoties hæc vel illa objiciuntur, Christus pariter acrem senserit dolorem: Prius illud significavit Apostolus dicto κατὰ πάντα, posterius significasse videtur dicto καθ' ὁμοιότητα. Iam verò quia vis afflictionum non modò est in doloris sensu, sed etiam in peccato, in quod impellimur

vi doloris, addendum fuit, in hac similitudine afflictionum Christi & nostri eum modum esse observandum ut ne ullam peccati labem Christo adspergamus. Tentatus fuit igitur Christus *in omnibus*, & quidem, quod ad sensum doloris attinet, *eadem ratione* qua nos *sine peccato* tamen, quod nobis haud contingit, si quando cum rebus adversis confli-ctamur. Nam (utamur enim hoc exemplo) quantumvis aquam puram & limpidam exagites, non fit turbida, sed si aquam puram quidem, ut videtur, sed in cujus ima parte cœnum est vel limus, agitaveris, continuò quæ visa est pura aqua, videtur lutulenta, aut certè turbidula. Porrò quum Christus dicitur *tentatus in omnibus*, ne putemus Christum speciatim & sigillatim perpessum ea omnia quibus miseri mortales obnoxij sunt, ea enim sunt infinita, sed hoc accipiendum est (ut loquuntur in Scholis) latâ significatione.

In EPIST. ad HEBR. Cap. V. ✝. 2.

μετριοπαθεῖν δυνάμενος.] Μετριοπαθεῖν duo in se complectitur, quorum prius significatur voce μέτριος, nempe ἐπιείκεια & συγγνωμοσύνη, unde oritur, vel excusatio, vel, si res poscat, purgatio, quæ virtus plerumque inde proficiscitur quod meminimus & nos esse homines, unde fit ut de alijs non durius quàm de nobismet ipsis statuamus. Alterum verò est συμπάθεια, quum sensu alienæ miseriæ afficimur. Ergo unico verbo ἐμφατικώτατα causa & effectum significantur: Quid est igitur μετριοπαθεῖν ὑπὸ ἐπιεικείας τινὶ συμπάσχειν (nam ἐπιεικὴς idem μέτριος est) *alterius malis affici eo quod non rigidè & severè, sed humaniter & placidè, de alijs judices, tanquam si tua ipsius res ageretur, ut qui te putet eadem conditione.* Ergo inter summum Pontificem legalem & Christum hoc interest, quod, quum agitur de nostris peccatis, Christus συμπάσχει quidem nobis, at non μετριοπαθεῖ; quippe qui ipse peccato neque sit, neque unquam fuerit obnoxius, at in calamitatibus & ærumnis, & rebus adversis quibuscum nobis res est, hîc verò non modò συμπάσχει, sed μετριοπαθεῖ etiam Christus, utpote qui tentatus per omnia fuerit, absque peccato tamen.

Ibid. περίκειται ἀσθένειαν.] Ἀσθένεια hoc loco est proclivitas naturæ ad peccandum, quæ Christo nullo modo convenire potest. Itaque hactenus Christi typus summus Pontifex non fuit. Quod ut observaremus Apostolus monuit his verbis, πᾶς ἀρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος. Nam Apostolus hîc tacitè opponit Sacerdotem qui est ἐξ ἀνθρώπων Sacerdoti qui est κατὰ τάξιν Μελχισεδὲκ, & Dei Filius. Etsi enim & is περίκειται ἀσθένειαν, attamen non est hæc ἀσθένεια unde oritur ignorantia & aberratio, id est peccatum. Et quamvis afficiatur sensu alienæ miseriæ, attamen hoc non eo facit quod & ipse obnoxius sit culpæ cujus miseria pœna est. Et quamvis sacrificium offerat, non tamen id eo facit quod sit peccator ipse. In qua comparatione facile est videre in quibus conveniat, in quibus item disconveniat, Sacerdoti cœlesti cum terreno. Ita-

que Apostolus in redditione non quæcumque in protasi fuerunt Christo accommodat, ut liquet. Quod si etiam ἀσθένειαν Christo tribuit, attamen id facit ita ut ἀσθενείας nomine nil aliud intelligi possit quàm *naturæ infirmitas*, [quam σαρκὸς nomine designat, vers. 7.] pura ab omni peccati labe.

℣. 5. υἱός μου εἶ σύ.] His verbis [inquiunt hodierni Photiniani] indicat Apostolus Patrem hac Christi compellatione, *Tu es Filius meus*, &c. constituisse eum summum Sacerdotem, ac proinde appellationem *Filij Dei* designare munus duntaxat Sacerdotale seu Mediatorium. Sed ℟. primò per βιαῖον, si [ut volunt Hæretici] verbis illis *Tu es Filius meus* Christus est constitutus Mediator, sequitur Christum non fuisse Mediatorem nisi post resurrectionem, cùm teste [Paulo Act. 13. 33.] Pater demum post resurrectionem illi dixerit, *Tu es Filius meus, ego hodie genui te.* At verò, ne ipsi quidem Hæretici ausint dicere, Christum demum post resurrectionem constitutum fuisse Sacerdotem. ℟. secundò. Nihil aliud posse ex dicto Apostoli elici nisi hoc, Christum ab eo vocatum esse ad munus Mediatorium à quo genitus est, & à quo dictum est ei, *Tu es Filius meus*, quod nos non negamus, negamus tantùm verbis illis, *Tu es Filius meus* Christum fuisse constitutum Sacerdotem. Neque etiam his verbis *Ego hodie genui te*, continetur institutio Christi in munere Mediatorio, sed declaratio & patefactio quod filius sit, ac proinde non ultro eum involasse in illud munus quo defunctus est, sed ad id vocatum fuisse à Patre.

℣. 7. εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας.] Εἰσακούειν apud LXX. Interpr. adhibetur ad interpretandam vim verbi הושיע *servare*, Psal. 55. 18. Et certè hoc loco σώζειν & εἰσακούειν pro ijsdem ponuntur: Verba Apostoli sunt, *Obtulit preces & supplicationes ad eum qui poterat ipsum servare*, & mox, *& Exauditus fuit*, quid aliud hoc sit quàm *& servatus fuit?* Iam *servari ex metu* si non dicitur duriusculè, nec *exaudiri ex metu* durius dici videri debet, siquidem in Scriptura pro ijsdem usurpatur utrumque verbum. At verò *exaudiri ex reverentia* pro *exaudiri pro reverentia*, illud verò adeo durum dictu est, ut nullum ejus generis locutionis extet exemplum. Nam quæ adferunt viri docti aliena sunt, ut illud *non potuerunt loqui* ἀπὸ χαρᾶς, nam ἀπὸ eo loco est *præ* & notat causam veluti physicam: Itaque nomen & verbum significant alterum causam, alterum effectum illius causæ in eadem persona, non aliunde sed intrinsecus, idque admodum effecti physici, & consequentis vi naturæ: hîc diversa ratio est, nam qui exaudiuntur propter reverentiam, aliena, nempe Dei, ope exaudiuntur, atque inter reverentiam & exauditionem aliquid intercedit, nempe Dei voluntas, benevolentia, sapientia, unde exauditio seu liberatio est propriè tanquam à causa effectum. Deinde, omnino convenit scòpo Apostoli, ut εὐλάβειαν [quomodo sæpissimè sumitur

mitur

mitur etiam apud prophanos scriptores) *metum* interpretemur, nam præcesserunt illa, *obtulit preces & supplicationes* μῦ κραυγῆς ἰσχυρᾶς. Certè qui nihil metuunt, neque precantur, neque verò inter precandum exclamant, vociferantur. Sed quis fuit ille metus? nempe horror futuri mali, quomodo Chirurgi manum exhorrescit ictum intentantis etiam is qui de exitu nihil dubitat. Quomodo ergo exauditus fuit Christus? nimirum factus confirmatior, cujus rei historia exstat luculenta apud Evangelistas. Causa igitur hujus metus fuit doloris magnitudo, quem natura refugit citra peccatum, modò id fiat sine querela, & obmurmuratione adversus Deum. Id quod à Christo diligenter cautum est illis verbis, primùm *si possibile est*, deinde & illis, *non mea voluntas fiat sed tua.*

ꝟ. 13. ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης.] Quæri potest, quomodo dicantur ἄπειροι λόγου δικαιοσύνης qui tenent στοιχεῖα τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ. Posset unico verbo responderi στοιχεῖα τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ dici *rudimenta religionis Christianæ*, quæ στοιχεῖα dicuntur ductâ Metaphorâ à re Grammaticâ, in qua initium fit ἀπὸ τῶν στοιχείων ab elementis: sunt autem elementa litteræ, & syllabæ. & voces singulares in quæ λόγος resolvitur, primùm in voces; deinde in syllabas, denique in litteras: Consequens igitur fuit ut perseverans in metaphorâ absolutiorem doctrinam λόγον *orationem* vocaret: Sed quoniam hæc non dicuntur continuò, nil necesse est huc devenire, verba enim Apostoli sunt, *qui lactis particeps est, est* ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης, ubi λόγος δικαιοσύνης eodem modo dictum videtur atque alibi *gladius spiritus*: Nam lactentes non utuntur ratione: Ergo quia lactentibus comparantur, (ut concinnior esset metaphora) dicendum erat & eos non uti ratione: At ne quis illud interpretaretur seciùs, cùm iidem sint adulti, adjiciendum erat *justitiæ*, hac mente, *quemadmodum similes sunt lactentibus eo quod rudiori doctrina imbuti sunt, sic item & lactentibus similes sunt, quod in percipiendis principijs Christianæ religionis non ratiocinantur*, non jam dico *carnaliter*, id enim in vitio ponendum est, sed *spiritualiter*: *Volo* (inquit Apostolus) *vos esse pueros malitiâ, non autem sensu*, 1. Cor. 14. 20. &, ὡς φρονίμοις λέγω, νοεῖτε ἃ λέγω; Ergo λόγος δικαιοσύνης hîc est quam σοφίαν Apostolus vocat & γνῶσιν. Quæ duabus in rebus videtur sita esse, primùm in percipienda ratione dogmatum Christianæ religionis deinde in collatione Veteris & Novi Testamenti, mysteriorúmque explicatione. Prius illud vocatur γνωρισμὲς πολυποίκιλος σοφίας Θεοῦ, Eph. 3. 10. Secundum illud διανοίξις, καὶ παράθεσις ἐκ τῶν γραφῶν, Act. 17. 3. quorum utrumque egregiè præstitum est ab Apostolo in hac Epistola, & deinceps præstabitur.

ꝟ. 8. ἔμαθε ἀφ' ὧν ἔπαθε ὑπακοήν.] Duobus modis aliquid discitur, διανοίᾳ & πείρᾳ, *mentis agitatione & experientiâ*. Multa verò tenemus percepta & comprehensa animo, quæ experiundo non didicimus, quam ad cognitionem quum accessit sensus & experientia non intenditur co-

gnitionis modus, ſed nova ſpecies, ſeu cognoſcendi modus adjicitur priori: Verbi gratiâ, Mens pia novit optimè quid ſit *eſſe martyrem*, & verò non detrectat Martyrium, ſed quum Martyrio fungitur tamen diſcit obedientiam nempe, ut dixi, πείρᾳ, *experientiâ*, non quaſi antea ignara fuerit officij. Vnde ſanè ſatis liquet quomodo Chriſto non convenit didiciſſe obedientiam, nimirum διανοίᾳ, qui diſcendi modus à peccato eſt & ignorantiâ, cùm tamen Chriſto optimè conveniat obedientiam didiciſſe experiundo, qui modus diſcendi neque peccatum, neque ignorantiam ullam [ut loquuntur] præſupponit.

℣. 9. καὶ τελειωθεὶς.] Vide quæ de hac voce dicta ſunt ad Luc. 13. 32. in hæc verba, καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι.

In EPIST. ad HEBR. Cap. VI. ℣. 2.

βαπτισμῶν διδαχῆς.] Dictum [niſi conjecturæ locus eſt] videtur βαπτισμῶν in plurali numero quia inter Iudæos frequentes erant Baptiſmi. Hinc fit ut Baptiſmus Chriſti *Baptiſmi* fuerit appellatus: quemadmodum idem hic author Chriſti ſacrificium θυσίας appellat infra cap. 9. 23. Neque verò conſequens eſt ut pari de cauſa dicendum fuerit ἐπιθέσεων χειρῶν. Nam primò id nonniſi duriter admodum dici poteſt. Deinde verò, non fuit creber uſus ἐπιθέσεως χειρῶν, ut Baptiſmorum apud Iudęos, nam ἐπιθέσει χειρῶν [quam illi vocant סמיכת ידים] vix utebantur niſi in dedicatione & conſecratione perſonæ.

℣. 4. ἀδύνατον γάρ.] Videntur hæc cohærere non cum ijs quæ immediatè præcedunt, ſed cum initio ſive ℣. 1. cap. 4. ita ut Apoſtolus hîc redeat unde fuerat digreſſus.

℣. 5. γευσαμένους τῆς δωρεᾶς ἐπουρανίου.] Videtur hoc elogio idipſum intelligi quod Chriſtus *donum Dei* vocat Ioh. 4. 10. *ſi ſcires*, inquit Samaritanæ, *donum illud Dei*. Et Rom. 5. 15. vocatur δωρεὰ ſimpliciter, deinde ℣. 17. δωρεὰ τῆς δικαιοσύνης: nempe Dei gratia in Chriſto offerentis remiſſionem peccatorum, lętitiam ſpiritualem, ſânctitatem, & ſpem beatæ immortalitatis, denique veram fœlicitatem, quam ſoli Electi verè & ad ſalutem amplectuntur.

Ibid δυνάμεις τοῦ μέλλοντος αἰῶνος.] *Virtutes futuri ſæculi* ſunt meo quidem judicio, quæ Actor. 2. 11. vocantur μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ, *magnifica Dei*, illa nempe quæ Deus ante jacta mundi fundamenta pręparavit ſuis per Chriſtum exhibenda: Pſaltes vocat נכבדות *glorioſa*, Pſal. 87. 3. Sed quænam eſt nomenclaturæ hujus ratio? Nimirum δυνάμεις הגבורות *miracula* dicuntur: Quoniam verò quæ rapiunt in admirationem ea pro miraculis habentur [Hebræi quæ ſunt ejuſmodi vocant נפלאות θαύματα] hinc fit ut δυνάμεις Apoſtolus vocarit admiranda illa quæ elucent in opere rędemptionis noſtræ, myſterium incarnationis, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis in cœlum, conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, &c. Dicuntur autem iſta vitæ futuræ δυνάμεις, quia pertinent ad vitam futuram,

& de ijs quicquid in hac percipi potest futuræ vitæ arrha quędam est, Ephes. 1. 9. & seqq usque ad ℣. 16.

℣. 11. πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος.] Πληροφορία τῆς ἐλπίδος dicitur ut suprà καύχημα τῆς ἐλπίδος, spes quæ habet πληροφορίαν. Nam quæ nititur spes promissionibus humanis, ea certa esse nequit, quæ divina nititur promissione, ea debet esse certissima, & verò ni sit, in eo peccatur, & quidem gravissimè. Cæterùm πληροφορεῖσθαι eodem modo dicitur quo ἐμφορεῖσθαι, est autem ἐμφορεῖσθαι *satiari*, quia verò si spes & fides Evangelica dubitationem habeant admixtam, anxietatem afferunt, donec exempta sit dubitatio animus veluti fame laborat, atque [ut quæ sunt vacua] expleri appetit, id quod obtingit quum fides & spes est certa nam tum demum animus πληροφορεῖσθαι dicitur, & hęc affectio animi πληροφορία est.

℣. 12. κληρονομούντων τὰς ἐπαγγελίας.) Observandum est *promissiones* nunquam dici in plurali numero promissionem gratiæ, nisi respectu Patrum qui ante Christi tempora vixerunt. Sic Gal. 3. 16. *Abrahamo dicta sunt promissiones.* At respectu populi Novi Testamenti *promissio* in singulari numero dicitur. Cujus rei hanc suspicor esse causam, quod promissio gratiæ πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως olim proposita est, hoc est, *per gradus* & *certis temporum intervallis*. Ergo, non respectu materiæ, sed externæ formæ, unicam promissionem *promissiones* vocat Apostolus, nempe quum de ijs agit quibus tam variè tamque multipliciter promulgata fuit promissio. Sed quoniam exhibito jam Christo tota promissio re exhibita fuit, tota perfectissimè promulgata, hinc fit ut quod antea *promissiones* id postea *promissio* sit appellatum.

℣. 17. ἐν ᾧ.] Positum est pro ἐφ' ᾧ *quam ad rem*, hac mente, homines per eum jurant qui major est, ut sit controuersiæ finis, eundemque in finem jusjurandum interposuit Deus, dum vellet ostendere hæredibus immutabilitatem consilij sui.

Ibid. ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ.] μεσιτεύειν est interponendo aliquid agere, verbi gratiâ, quum non adhibetur fides verbis μεσιτεύομεν δι' ὅρκου, id Deus hoc loco dicitur fecisse.

℣. 18. οἱ καταφυγόντες.] Καταφυγόντες, hoc est, החוסים. Nam חסה quod Lexica exponunt, *sperare*, *confidere*, propriè significat καταφεύγειν *confugere aliquò*: Argumento est quod מחסה significat *perfugium* καταφυγήν. Et revera splendidissima metaphora est, & quæ significantissimè demonstrat affectum animi eorum qui in rebus adversis constituti, postquam se vident oppugnari, undequaque, & frustra, circumferunt oculos, vel expectantes, vel requirentes humanum auxilium, ad Deum tanquam ad unicum perfugium sese recipiunt.

Ibid. τῆς προκειμένης ἐλπίδος.] Spem intelligit ad quam invitamur in Evangelio, quæ dicitur προκειμένη quod ad eam omnibus pateat aditus,

nisi qui obduruerunt, hi verò sui sibi exitij authores sunt, culpa Dei nulla est, sed beneficentia potius, siqui verò parent Evangelio, ideóque sperant quæ sperare jubentur, ijs profectò non caro & sanguis, sed Dei spiritus tanti boni fuit author. Eodem sensu κοινὴ σωτηρία dicitur *communis salus*, hoc est, salus veluti in medio posita, Epist. Iudæ ꝟ. 3. Non est ergo hîc *spes*, res sperata, sed ipsa virtus quæ in rem speratam, tanquam in objectum, fertur. Neque verò est quod quisquam miretur eam dici προκειμένην, cùm multi sint homines, & quidem ij non prorsus prophani, qui delusi Satanæ artibus, & infra quàm decet animo dejecti vi tentationis & imbecillitate fidei, dubitant sintne eorum numero quibus liceat sperare vitam æternam. Ergo, Apostolus, ut hinc prophanis hominibus, cavillantibus ad se non pertinere ut sperent in Deum, os obstruat, inde verò dubitantes confirmet, spem hanc dicit προκειμένην. Est autem metaphora ducta à certantibus, qui ad βραβεῖα & palmas in medio positas contendunt, κοινὴν autem id esse quod authori Epistolæ ad Hebræos προκειμένην, liquet ex voce ἐπαγωνίζεσθαι, quæ apud Iudam eodem versu mox sequitur, παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι, &c.

In EPIST. ad HEBR. Cap. VII.

ꝟ. 3. ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, &c.] Aaron non fuit ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, habuit initium dierum, habuit finem vitæ, nempe notum est unde ortus, quo pacto consecratus in Sacerdotem, quando mortuus decesserit successori. At de Melchisedeco nihil tale proditum est, immò certo Dei consilio suppressum illud est, ut qui velint quærere quis fuerit Melchisedec, si id invenerint videri possint frustrati Dei consilium. In quo cernitur secunda Christi & Melchisedeci convenientia. Ideò enim Scriptura Melchisedecum facit ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα, ἀγενεαλόγητον, ut ne requiramus in Christo genealogiam carnalem, ut pro Sacerdote habeatur. Deinde, describitur Melchisedec ac si nunquam mortuus fuisset, id quod illi non magis revera contingit, quàm ut esset revera ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. Sed tamen Scriptura mortis Melchisedeci non meminit, ut, quatenus fieri potuit, in eo adumbretur vita æterna Christi Sacerdotis. Hæc itaque de Christo accipienda sunt tanquam dicta respectu ipsius non *Personæ*, sed *Sacerdotij*. Nam Christus respectu Personæ suæ divinæ Patrem habuit, respectu naturæ humanæ matrem, genealogia ejus describitur à Luca & Matthæo, habuit initium dierum, quum conceptus est ex Spiritu Sancto, habuit finem vitæ quum expiravit in cruce. Porrò respectu naturæ Divinæ, secundùm quam dici potest ἀμήτωρ (etsi non ἀπάτωρ) ἀγενεαλόγητος, *sine dierum initio, & fine vitæ*, illius, inquam, solius respectu non est Sacerdos, sed duntaxat quatenus θεάνθρωπος & Mediator. Christus ergo respectu Sacerdotij sui dicitur hîc ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, &c. quatenus neminem habuit in Sacerdotio suo decessorem cui ipse successerit, neminem item successorem, cui ipse decesserit, quod non

fuit in Aarone, qui habuit longa serie successores, quorum genealogia in Scriptura recensetur, sed adumbratum fuit in Melchisedeco qui non est patre Sacerdote natus, neque matre quæ à Sacerdotibus originem duceret, nec ulli Sacerdotes leguntur illi in Sacerdotio successisse, aut in ejus genealogia commemorantur. Sed *nec initium dierum habuit* (quatenus ejus nativitas non commemoratur) hoc est, nullus ante eum defunctus est Sacerdotio, cui ipse deinde successerit, & à cujus morte Sacerdotium auspicatus ipse fuerit: denique *neque vitæ finem*, hoc est, nullus commemoratur ei successisse in Sacerdotio: qua in re typus fuit Christi.

℣. 11. ὁ λαὸς γὰρ ἐπ' αὐτῇ νενομοθέτητο.] Νομοθετεῖσθαι ἐπὶ τῇ ἱερωσύνῃ est accepisse à Deo politiam, cujus pars esset ἱερωσύνη. Nam Politiæ Iudaicæ duæ partes erant, altera Iudicia & res civiles spectabat, altera ritus religiosos, cætera nobis cum illis communia fuere. Ergo νομοθετεῖσθαι ἐπὶ ἱερωσύνῃ est νομοθεσίᾳ *quæ habeat* ἱερωσύνην, *subyci*. Sed quorsum ista spectant? nempe ut ostendat Apostolus ἱερωσύνην à νομοθεσίᾳ non posse divelli, ut si illa mutetur νομοθεσίαν mutari necesse sit, non enim aliter ratio ejus constare possit: ut si præcipuam partem ædium (utpote qua nititur earum compages) diruas, & totas ædes diruas, ut à fundamento eas instaurari necesse sit.

℣. 16. ἐντολῆς σαρκικῆς.] Ἐντολὴ σαρκικὴ est *præceptum offerendi sacrificium*, cujus sacrificij tota vis sita est in expiatione carnali, tota vis, inquam, effectrix, ut idem hic Apostolus interpretatur, cap. 9. 13.

Ibid. Δύναμις ἀκαταλύτου ζωῆς.] Est vis illa profecta à Divinitate Christi, qua effectum est ut Christus non modò ipse vivat in æternum, sed & vitam in nos derivet. Et hoc item Apostolus interpretatur cap. 9. 14. Certè δύναμις ἀκαταλύτου ζωῆς, quæ in Christo est, profecta est à Spiritu æterno, per quem sese obtulit Patri.

℣. 17. κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ.] Τάξις Μελχισεδὲκ quid sit facilè intelligi potest ex eo quod ℣. 11. opponitur τάξις Ἀαρών. Nam τάξις Ἀαρὼν est conditio Sacerdotij Aaronici lege præscripta, unde colligitur quæ illius ratio, quæque (ut ita dicam) natura fuerit. Id quod deprehendi potest ex ℣. 16. Nam quod dixerat οὐ κατὰ τὴν τάξιν Ἀαρών, id interpretatur οὐ κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς, quod verò dixerat *secundùm ordinem Melchisedec*, id exponit κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου. Hinc liquet quæ sit convenientia Hebrææ vocis דברת & Grecæ τάξεως, utque altera alteri respondeat, nempe דִּבְרָה sive דבר *est rei conditio*, Eccles. 3. 18. אמרתי אני בלבי על דברת בני אדם *dixi ego in corde meo super statu & conditione filiorum hominis*. Sic Matth. 19. 10. εἰ οὕτως ἐστὶν ἡ αἰτία τοῦ ἀνθρώπου μετὰ τῆς γυναικός, οὐ συμφέρει γαμῆσαι. Omnino phrasis est Hebræa, nam דבר & דברה αἰτίαν illis significant: quoniam verò דברת *statum* & *conditionem* significat, hinc factum est ut αἰτία eodem significatu usurpatum sit. Sed tamen

non quævis conditio דברה τάξις debet vocari, sed ea duntaxat quæ præscripta est, ut דברה sit hîc veluti *Idea*. Nam rerum formæ, ut sunt in materia, si ideæ dicuntur, ideò sic appellantur quod habeant σχέσιν ad eam formam quæ est in mente artificis. Nec aliunde factum est ut דבר quæ vox *verbum* significat rem ipsam notet.

℣. 18. *διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελές.*] Lex Dei ἀσθενὴς & ἀνωφελὴς eo sensu dicitur, quem explicat idem hic Apostolus infrà cap. 10. hujus Epistolæ, & Apostolus Paulus initio cap. 8. Epistolæ ad Rom. Item cap. 7. ejusdem Epistolæ & passim. Nam nec Lex Moralis sanctificare, nec expiare Ceremonialis valet.

℣. 19 *ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος.*] Idem est quod ἐπεισαγωγὴ κρείττονος θυσίας, κρείττονος ἱερωσύνης, quæ ἐλπὶς dicitur respectu Veterum, qui præstantius Sacerdotium expectabant, atque illa spe servati sunt. Neque enim Apostoli scopus hîc est ostendere quæ sint Legis vires, ut referri possit illud ad ipsam Legem, sed id tantùm instituit docere, quàm sit Lex ἀνωφελὴς, ut quæ nihil potuerit præstare, ne in eorum quidem gratiam qui eam servare maximè studuerunt: quorum siqui servati fuerint, id omne debuerunt promissionibus quæ respiciebant Christi Sacerdotium, quarum promissionum respectu Christi Sacerdotium dicitur κρείττων ἐλπίς. Præterea manifesta hîc est antithesis inter Legem & Evangelium, Levi & Christum.

Ibid. *οὐδὲν ἐτελείωσεν ὁ νόμος.*] Nihil aliud vult Apostolus quàm Legem fuisse tantùm rudimentum, nempe quomodo Galat. 3. 24. Legem dicit fuisse *pædagogum usque ad Christum, postquam autem Christus exhibitus est, nihil opus esse pædagogo*, quia Christiani non sunt amplius instituendi rudimentis, sed habendi pro perfectis discipulis, indéque est quod passim totam Legis œconomiam Paulus vocet *rudimenta* στοιχεῖα, sive *elementa*, quæ scilicet pueris traduntur. Estque phrasis illa non, ut quidam viri docti putant, desumpta ex Græcorum loquendi more, sed usurpata in Ecclesia Iudaica. Nam Esdræ cap 7. 12. hoc elogio insignitur Esdras quod fuerit ספר גמיר *scriba perfectus*, seu *completus*. Nempe גמר & *discere* & *perficere* significat, ut גמיר sit ille qui *plenè & perfectè didicit*. Et præcipua Pandectarum Iudaïcarum pars גמרה dicitur q. d. *perfectionem* τελειότητα. Itaque dubium non est Apostolos, qui, cùm non essent superstitiosi, res sacras tradiderunt vocabulis usitatis, ab hac formula non abhorruisse, dum vellent docere discrimen quod est inter eos qui imbuti sunt Evangelio, & eos qui imbuti sunt ea cognitione duntaxat quæ petitur à Lege & Prophetis, ut qui imbuti sunt cognitione Evangelij habeantur pro perfectis. q. d. pro ijs quibus etiam גמרה nota est, hoc est, ea Theologia quæ est maximè recondita. Vnde Apostolus Evangelium vocat *Mysterium quod fuit omnibus retro sæculis absconditum*, contra Legis œconomiam vocat (uti dictum) στοιχεῖα *elementa*.

℣. 25. εἰς τὸ παντελές.] Εἰς τὸ παντελὲς, & εἰς τὸ διηνεκὲς differunt ἐμφάσει, subjectâ materiâ non differunt. Nam διηνεκὲς propriè perpetuitatem significat. παντελὲς non hanc solùm, verùm etiam omnimodam perfectionem.

℣. 26. κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν.] Participium κεχωρισμένος, hoc loco nominascit: non enim dicitur Christus κεχωρισμένος τῶν ἁμαρτωλῶν, quasi quondam immistus illi turbæ, post segregatus inde fuerit, sed dicitur κεχωρισμένος, quòd nulla cum ijs fuerit ei communio, neque consociatio.

In EPIST. ad HEBR. Cap. VIII. ℣. 3.

πᾶς γὰρ ἀρχιερεὺς, &c.] Versus hic includendus est Parenthesi, quartus enim cum prim[illegible] secundo, non cum isto, connectendus est.

℣. 4. εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς, &c] Vt hæc Apostoli ratiocinatio, ejusque vis, capiatur, notandum est, Actionem summi Sacerdotis immolantis extra Sanctuarium, & ingredientis in Sanctuarium, unam eandemque fuisse, itaque altera sine altera jure esse non potuit. Quemadmodum in Sancta Cœna *edere panem* & *bibere vinum* non sunt duæ actiones, sed una eademque duabus constans partibus. Atque ita se rem habere hinc evinci potest, quod non alio consilio Sacerdos offerebat extra Sanctuarium quàm ut ingrederetur in Sacrarium; nec expiatio illa in alium finem instituta fuit, neque alia lege, quàm ut ingressus in Sanctuarium sisteret se, peracto sacrificio, coram Domino. Iam id tantisper fieri oportuit, quantisper verus Sacerdos non intulit in Sanctuarium verum Sacrificium, quoniam oportuit hoc pacto significari verum Sacerdotem nondum introisse in verum Sanctuarium, nempe cœlum. Hęc est autem ratio τῦ τύπου & τῦ τυπωθέντος *rei figuratæ* & *figuræ*, ut figura non cedat veritati per partes, sed per se totam, hoc est, stat figura tota donec in ejus locum veniat tota veritas. Ergo cum una actio summi Sacerdotis fuerit constans duabus partibus, *immolare sacrificium extra sanctum sanctorum*, & *ingredi in sanctum sanctorum*, non cessit per partes actioni Christi offerentis sese in terra, & sistentis se in cœlo (alioqui sequeretur potuisse Sacerdotem ingredi in sancta sanctorum nullo oblato sacrificio, quod cesserat nimirum Christi sacrificio) sed tota Sacerdotis actio toti Christi actioni decessit. Itaque tum demum sublatum est Sacerdotium Leviticum postquam Christus ingressus est in cœlum. Atq; hoc est quod nos docet Apostolus cap. 9. hujus Epist. ℣. 8. ubi docet apertè *stetisse prius Tabernaculum quandiu verus Sacerdos non ingressus est in sancta sanctorum.* Iam stante Tabernaculo stat & λατρεία עבודה. Ergo Christo remanente in terra stetisset Tabernaculum, proindéque & λατρεία, atque illa stante Christus Sacerdos esse non potuit, quia duo Sacerdotia non possunt de jure simul obtinere. Si ergo Christus mansisset in terra, quoniam sic obtinuisset Sacerdotium Leviticum, Christus

ipse ne Sacerdos quidem foret. Iam verò ingressus est in cœlum, itaque umbræ evanuerunt. Sed aiunt, sic non potuisse fieri ut Christus offerret in terra. At illud facilè diluitur: Primùm, quia inchoari potest functio veri Sacerdotis stante typico Sacerdotio, at perfecta esse non potest illo stante. Non ergo sequitur verum Sacerdotem Christum non obtulisse in terra, tantùm sequitur, actionem ejus non adeptam fuisse complementum in terra. Quemadmodum ex eo quod oportuit Sacerdotem typicum ingredi in sancta sanctorum, non sequitur Sacerdotem typicum non obtulisse sacrificium extra Sanctuarium. Porrò cùm dicimus actionem Christi, qua Sacerdos est, non habuisse complementum in terra, totam intelligimus actionem: Nam oblatio peracta in terra perfectissima fuit, sed perfectione partis, non autem perfectione totius. Deinde aliud est offerre in terra, aliud peracta oblatione manere in terra. Apostolus non dicit, *Si Christus obtulisset in terra, non fuisset Sacerdos*, sed (ut constat initio capitis) hoc tantùm vult Apostolus, *Si Christus mansisset in terra, si non consedisset ad dextram Patris* (hoc enim est *εἰ γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς*) *ne Sacerdos quidem fuisset*, non est nempe Sacerdos qui cœpit duntaxat, non absolvit actionem Sacerdotalem. Quemadmodum igitur si summus Sacerdos non fuisset ingressus in sancta sanctorum, ne Sacerdos quidem fuisset, summus, inquam; ita si Christus non consedisset ad dextram Patris, pari ratione ne Sacerdos quidem fuisset, functione, inquam. Et quia in Christo, qui Sanctus est sanctorum, non potest officium à legitima functione officij distingui, ex eo quod non fungeretur officio, rectè inferri posset, ne officium quidem ei competere.

℣. 5 καθὼς κεχρημάτισται.] Quæritur, quomodo ex Dei ad Mosem dicto concludi possit, Ceremonias legales fuisse Typos & Vmbras, quod tamen Apostolus se concludere innuit voce hac καθὼς κεχρημάτισται. ℞. Deus non verbis duntaxat ut Noacho designavit Arcam, sed exemplari, idque in montis jugo. Id non factum fuit frustra, sed ut monerentur Israëlitæ Arcam illam non rem ipsam fuisse, sed rei typum. Porrò, quæ sit illa res præter cœlum? A qua sententia ne Iudæi quidem abhorrent. Hæc est vis argumenti Apostoli, quæ non nititur illis verbis, *ne quid addas*, &c. verùm istis, κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα σοι.

℣. 6. ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις.] Promissiones Evangelij præstantiores Legalibus dicuntur, primò quia conditio Legis est, *Hoc fac & vives*, id quod simpliciter impossibile est, quando Lex nos invenit peccatores, nec ullum relinquit pœnitentiæ locum, quod facit Evangelium. Deinde verò promissiones Evangelij habent comitem efficaciam Spiritûs Sancti apud Electos, promissiones Legales apud neminem. Tertiò, promissio Evangelij complectitur donum Perseverantiæ, promissio Legis minimè. Quartò, promissiones Legis sunt obscuræ, Evangelij sole meridiano clariores. Atqui promissio non solatur nisi quatenus nota est. Ergo, etiam

cæteris

cęteris paribus, promissio Evangelij pręstantior est promissione Legis. Quintò, Promissiones Legis (nam hîc Apostolus notat Legem scriptam) pertinent ad solos Iudæos, promissiones Evangelij indiscriminatim ad omnes. Denique, promissio Legis est possessio terræ Chanaan, seu vita beata in illius possessione, promissio Evangelij est vita beata in cœlis degenda.

℣. 11. καὶ οὐ μὴ διδάξωσι, &c.] Videri possent prima fronte verba ista pugnare cum Verbi ministerio, quod tamen perpetuum debet esse in Ecclesia. Certè quo liberalius Deus indulget Spiritum, eo minus opus est externa prædicatione Evangelij. *De charitate fraterna* (inquit Apostolus 1. Thess. 4. 9.) *non necesse habetis ut scribam vobis, ipsi namque docti estis à Deo ut diligatis alij alios*, respiciebat illum Ieremiæ locum qui est cap. 31. ℣. 34. Et Iohannes, *Vnctio vos docet omnia*, 1. Cathol. 2. 27. Sed promissiones novi fœderis inchoantur in hac vita, implentur autem in vita futura: Ergo cùm Spiritus non indulgeatur plenè in hac vita, opus est prædicatione Evangelij, etiam externâ. Deinde, hęc sunt intelligenda ut dicta comparatè & hyperbolicè, uno verbo accipienda ut inscriptio Legis in corde, quæ denunçiatur ut futura, quamquam & olim piorum cordibus Deus inscripserit Legem, sed hoc tam exile fuit præ eo quod Christus attulit, ut Propheta ejus nullam habuerit rationem.

In EPIST. ad HEBR. Cap. IX. ℣. 1.

εἶχε μὲν οὖν καὶ] Doctiss. Interpr. eò propendet ut καὶ hîc expungatur, retinuit tamen, sed ea lege ut jungeretur cum δικαιώματα: quod eodem videtur redire ac si jungeretur (ut revera jungendum est) cum πρώτη; vix enim percipi potest quomodo differant ista, *Habuit prius fœdus etiam constitutos religionis ritus*, &, *Habuit etiam prius fœdus constitutos religionis ritus*. Certè καὶ non videtur redundare, nam etiam in N. Testamento δικαιώματα sunt, & λατρεία, & etiam ἅγιον quamquàm minimè κοσμικὸν, sed in Veteri Testamento δικαιώματα, λατρεία, ἅγιον, umbræ fuere, in Novo Testamento, res ipsa. Quamquam nulla ratio nos cogit eo recurrere, nam sępè in Scriptura καὶ est ἐμφατικὸν, ut Philipp. 2. 9. διὸ καὶ ὑπερύψωσεν αὐτὸν ὁ Θεὸς, idem enim est ac si dictum fuisset διὸ ὑπερύψωσεν nisi quod illud καὶ mirè emphaticum est, proindeque non redundat. Quod si cui placeat prius, ut hîc instituatur comparatio inter Vetus & Novum Testamentum (quod ego quidem arbitror non spectasse Spiritum Sanctum hoc loco) adjecta fuerit particula καὶ: nam cætero qui præcedente disputatione satis clarum est consilium Spiritus Sancti esse duo fœdera inter se conferre, sed quia dubitari non potuit quin Vetus Testamentum habuerit δικαιώματα, λατρείας, ἅγιον κοσμικὸν, contrà verò dubitari id potius potuit, an Novum Testamentum hæc habuerit, ideò crediderim non esse mentem Apostoli, seu Spiritus Sancti potiùs,

in hac imparium comparatione ponere in minori quod est in controversia, in majori quod est extra controversiam: repugnat enim lex comparationis imparium: verbi gratiâ, nemo dixerit, ***non modò arbores vivunt, sed & homines,*** quia hoc est extra controversiam, illud non item. Atque eodem pacto, quia procul ambiguo est Vetus Testamentum habuisse δικαιώματα, non æquè procul ambiguo est, an Novum habuerit, non est verisimile Apostolum hoc voluisse statim initio ponere, ***Non modò Novum Testamentum, sed etiam Vetus habuit*** δικαιώματα.

Ibid. πρώτη.] Sunt qui putant hîc σκηνὴ subaudiendum esse. At nec apud Syrum, nec apud Vulg. Interp. expressa est vox σκηνὴ: Neque verò etiam subintelligenda videtur; Primò, quia haud dubiè πρώτη eadem hîc res est quæ versu ultimo præcedentis capitis, cum quo iste versus cohæret: atqui patet πρώτην præcedenti versu appellari διαθήκην; hîc igitur πρώτη διαθήκη pariter est. Deinde, statim versu sequenti σκηνὴ dicitur tanquam interpretamentum illius quod dixerat ἅγιον κοσμικόν: atqui σκηνὴ non habet σκηνὴ. Denique, vix propriè dicitur, ***Tabernaculum habuit*** δικαιώματα, cùm de fœdere, ***Hoc fac & vives,*** rectissimè dici possit, ut qui adita sint δικαιώματα, cujusque adeò illa partes dici possint haud absurdè.

Ibid. δικαιώματα.] Alibi jam monuimus, unam eandemque rem in Scriptura diversis nominibus vocari, propterea quod una eademque res diversas affectiones & proprietates habet. Sic nempe Dei præcepta Hebraicè vocantur מצות · חקים · משפטים · פקודים Quibus in vocabulis non est anxiè quærenda differentia, quasi res diversæ diversis vocabulis significarentur, non enim LXX. Interp. pari varietate usi sunt: etenim חוק & מצוה &c. vertunt δικαίωμα indiscriminatim. Porrò δικαίωμα illis est quicquid ἐδικαίωσεν ὁ Θεὸς, ***quodcumque Deus iustum esse & rectum pronunciavit, quod Deus jus esse voluit.*** Vnde factum est ut peculiari quadam ratione adhibitum fuerit vocabulum δικαιώματα, ad ea Legis pręcepta significanda quæ non pertinent ad jus naturæ, nec aliter. nec aliam ob causam justa sunt, quàm quia Deus jussit, ut hac nomenclaturâ contineantur homines in officio, néve quærant præcepti rationem quod Deus ἐδικαίωσε. Hoc igitur loco Apostolus δικαιωμάτων nomine non præcepta quæ vocantur Legis moralis, sed Cæremonialis intellexit. Et certè cùm dicat fœdus habere δικαιώματα, absurdum est ut nomine δικαιωμάτων intelligamus legem Moralem, quis enim dubitet in omni fœdere Dei cum hominibus esse præcepta illa Moralia? sed intelligenda sunt ea quæ pertinent ad Ritus & Cæremonias, ob eam causam quam jam diximus.

Ibid. λατρείας.] Sunt qui putant λατρείας hîc esse genitivi casus, & conjungendam esse cum antecedenti voce δικαιώματα, at repugnat illud quod sequitur, τό τε ἅγιον κοσμικὸν, istud enim notat pręcessisse ἀσύνδετον, alio-

qui dicendum fuisset καὶ τὸ ἅγιον κοσμικόν. Sed & Apostolus hoc eodem capite duo hæc distinctè proponit & explicat: Nam τῶν λατρείων meminit ṽ. 6. τῶν δικαιωμάτων ṽ. 10. Et quemadmodum ignobiliori speciei nomen generis tribuitur, ut quum bestiam *animal* dicimus, quamvis & homo animal sit, sic δικαιώματα dicuntur ab Apostolo illi ritus qui non erant λατρείαι, quamvis omnis λατρεία δικαίωμα sit; quemadmodum etsi homo animal sit, tamen *animalis* nomine simpliciter sumpto non intelligimus hominem (saltem ut vulgò loquimur.) Hoc igitur discrimen erit inter δικαίωμα & λατρεία, quod λατρεία sit δικαίωμα quod Dei cultum respicit, & positum est totum in sacrificijs & oblationibus, δικαιώματα verò simpliciter (quemadmodum Apostolus ipse explicat ṽ. 10.) ea sunt quæ nos respiciunt, ut ablutiones, aspersiones, abstinentia à certo quodam genere ciborum, jejunia, &c. Porrò certum est LXX. Interp. in V. Testamento, hanc vocem λατρεία, & verbum adeò unde oritur, ad Dei cultum accommodasse, idque de industria. Hoc facilè inde potest deprehendi, quod cùm verbum עבד, & inde derivatum עבודה, indiscriminatim ad Deum hominésque referantur, illi tamen verbo δουλεύειν, quum de Deo agitur, vel raró vel nunquam utuntur; λατρεύειν ferè semper. Id quod nulla aliâ de causâ factum videtur, quam quod vellent Dei cultum hac appellatione minus usitatâ σεμνύνειν. Nam certè (quicquid infimæ ætatis Grammatici, minorum scilicet gentium, dictitent) λατρεύειν & δουλεύειν, apud bonos & priscos authores, eadem sunt, hoc solo discrimine, quod λατρεύειν videtur quasi antiquatum. Cæterùm *λατρεύειν cultum externum* propriè significat LXX. Interpretibus, quemadmodum & עבודה Hebraicè: Nam amorem Dei & proximi neque λατρείαν, neque עבודה quis dixerit, sed nec illum cultum quo beati spiritus in cœlo Deum prosequuntur, qui vellet cum LXX. Interp. loqui, λατρείας dixerit, neque עבודה, si cum Prophetis volumus loqui. Itaque in Novo Testamento non dicitur simpliciter λατρεία cultus Novi Testamenti, sed λογικὴ λατρεία Rom 12. 1. (quemadmodum & λογικὴ θυσία dici possit) & λατρεύειν ἐν πνεύματι. Rom. 1. 9. Id quod plurimum facit ad hujus loci illustrationem, in quo Apostolus λατρείων nomine cultum illum Aaronicum externum & carnalem, sed typicum, notat.

Ibid. τό, τὸ ἅγιον κοσμικόν.] Sic vocatur Tabernaculum à Mose constructum. Vbi notandum omnia typica dici *mundana:* verbi gratiâ, terra Chanaan dicitur *Mundus* Rom. 4. 13. *Non enim per Legem promissio facta est Abrahamo, ut esset hæres mundi, sed per justitiam fidei,* omnino intelligitur terra Chanaan, quatenus typus erat regni cœlestis. Sic Apostolus vocat *elementa mundi* typica illa rudimenta Ecclesiæ nondum adultæ. Appellationis ratio hęc est, quia illa (quod ad substantiam attinet, & separata à sua significatione) sunt aliquid terrenum. Dicat aliquis hoc pacto posse etiam dici nostra Sacramenta κοσμικά; Sed non est

par ratio, nam prçter significationem & obsignationem nostra Sacramenta nullum habent usum, at Typi, etiam ex Dei instituto, aliquem habebant usum prçter significationem, qui usus materia erat idonea quæ significationis capax esset. Itaque mundano quodam more erat id quod significabat, verbi gratiâ, terra Chanaan erat populi Dei hçreditas mundana, nempe comparata cum cœlesti hçreditate, quam significabat.

ῼ. 7. ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων.] Verbum verbo ὑπὲρ τῶν ἀγνοημάτων est *pro erratis*. Vnde Socinus, homo phraseos Scripturæ, nullâ ingenij culpâ, sed officij Christi contemptu, imperitus, occasionem arripuit asserendi Sacerdotem, die Propitiationum, obtulisse tantùm pro levibus quibusdam peccatis, vel potius *erratis*, quæ propriè rationem peccati non habuerunt. Iam ne videamur uti ejus artibus, hoc illi concedimus ἀγνόημα etiam dici משגה semel, est autem משגה peccatum non quale describit Aristoteles ἄγνοια ἐν τῇ προαιρέσει, sed circumstantiarum ut plurimùm, attamen ἄγνοια apud LXX Interp. idem est quod אשם & אשמה, quæ voces etiam atrox *scelus* & *delictum* significant, item idipsum est quod פשע *transgressio*, *rebellio*. Sed & miser ille refellitur ipsius Dei authoritate, nam Lev. 16. jubetur princeps Sacerdotum confiteri die Propitiationum על עונות, etiam על פשעי Israëlis, וכל חטאתם *& omnia peccata eorum*.

ῼ. 8. μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδόν.] Hinc non efficitur quod volunt Pontificij, *Pios ante Christi ascensum in cœlum, nullum fructum mortis Christi persensisse*, quæ summa fuisset miseria: Sed hoc tantùm Apostolus vult, *Nondum ingressum fuisse summum Pontificem Ecclesiæ in verum Sanctuarium, quandiu velum Sanctuarij carnalis non fuit scissum.*

ῼ. 15. εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ.] Socinus sic inflectit ista, ut velit intelligi peccata ejusdem generis cum ijs quæ fuerant sub priore fœdere, ut hçc sit sententia, Christum ejusmodi peccata redemisse sanguine suo, quæ sacrificijs legalibus expiari non potuerant. Sed pugnat hoc interpretamentum cum Apostoli scopo, qui est ostendere sacrificium Christi fuisse necessarium: Nam si in Veteri Testamento peccata nullo fuerunt expiata sacrificio, nihil opus erat sacrificio in Novo Testamento. Sed Apostolus hoc voluit, peccata non fuisse expiata in Veteri Testamento. Itaque opus fuisse sacrificio in Novo Testamento, alioqui futurum ut Patres Veteris Testamenti perirent.

ῼ. 26. ἀπὸ καταβολῆς κόσμου.] Hæc verba forent supervacanea si Patribus, qui ante Christum vixerunt, nihil opus fuit sacrificio Christi, quod contendit Socinus. Responderi enim posset, Ideò Christus non est oblatus sæpius, imò neque oblatus est omninò temporibus Patrum illorum, quod Patribus nihil eo esset opus.

Ibid. ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων.] Non est hoc torquendum; sed accipiendum simpliciter, ut *finis sæculorum* hîc dicatur quod alibi ab Apostolo dicitur *plenitudo temporum*, & ἔσχαται ἡμέραι, quod est Hebraicè אחרית הימים, tempus nempe illud quo absoluta est omnibus partibus œconomia, qua Deo visum est uti in Ecclesia colligenda, & gubernanda, usque ad adventum Christi, qui finem imposuit omni œconomiæ, & perfectionem eam attulit cui nihil adjici possit in hoc sæculo; contra quàm fiebat temporibus illis quæ Christi adventum præcesserunt; nam subinde aliquid vel addebatur, vel detrahebatur, vel immutabatur, Dei sapienti consilio.

℣. 26. οὐδ' ἵνα πολλάκις προσφέρῃ ἑαυτὸν.] Volunt Pontificij aliam esse Christi oblationem (sive Sacrificium) incruentam, aliam verò cruentam, & cruentam quidem semel esse factam, neque verò iterandam esse, at incruentam sæpius iterari censent, de illa autem cruenta, non verò de ista incruenta loqui hîc Apostolum somniant. Verùm observandum est, passionem non posse separari à Sacrificio Christi, ut nullum sit sacrificium ubi nulla est passio. Etenim sic Apostolus probat non fuisse opus ut Christus semetipsum sæpius offerret, imò hoc absurdum esse, *quia*, inquit, *alioqui sæpius illi patiendum fuisset à jactis mundi fundamentis.* Argumentum nullum erit si Christus offerri potest ita ut non patiatur. Pontificij ergo hac sua distinctione sacrificij *cruenti* & *incruenti* evertunt Apostoli argumentum, faciuntque eum ineptè argumentantem.

In II. EPIST. ad HEBR Cap. X. ℣. 5.

σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.] LXX. ita reddiderunt quod in Hebræo est *aurem perforasti mihi*, quod erat apud Hebræos servitutis signum, uti liquet ex Exod. 21. 6. Itaque sensus est, *Tu me servum tuum effecisti.* Quæ consuetudo aurem perforandi, quia nullum apud Græcos locum habebat, ideò à LXX. prudentissimè locus iste paulò generalius est redditus, *Tu autem corpus mihi disposuisti*, hoc est, tu corpus meum certo quodam modo ac ratione affecisti atque notasti. Nam & Græcis mos erat servorum corpora nota aliqua peculari insignire. Porrò notandum hîc est LXX. non dicere, σῶμα δὲ συνηρτίσω μοι, quod esset, *corpus mihi attexuisti & coaptasti*, sed habent, κατηρτίσω μοι, vt σῶμα μοι idem hîc sit quod σῶμα μου, cujus generis locutiones frequentissimè sunt in lingua Græca, Hebræa, & Latina.

℣. 25. μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν.] Sunt qui ἐπισυναγωγὴν hîc idem esse volunt quod συναγωγὴν, & Ecclesiam ea voce significari putant. Sed si ita est, sensus erit, *ne deserite Ecclesiam vestram*, quomodo non solent loqui Apostoli, nam *Ecclesiam Dei* dicunt & *Ecclesiam Christi*, sed *Ecclesiam vestram*, vel *Ecclesiam horum aut illorum* non solent dicere. Deinde, pugnat illa interpretatio cum mente Apostoli, nam

agitur de conventibus Christianorum in unum cultûs divini causâ coactis: Itaque Apostolus hortationis suæ argumentum adjicit, quod sic accenditur charitas mutua. Iam verò quæ esset hæc sententia, *Ne deficite ab Ecclesia ut accendatur charitas mutua?* Profectò absurda planè: sed si ἐπισυναγωγὴν *conventum* intelligamus, optimè quadrant ista, nihil enim est potentius ad colligendos fidelium animos quàm si frequentissimè conveniant publicarum precum, & verbi audiendi causâ, ἐπισυναγωγὴ ergo non est hîc *cœtus*, sed *coïtio* potius, & ipse, ut ita loquar, *coëundi actus*: hortatur enim Apostolus ut ne coëant infrequenter & rarò.

℣. 29. τὸ αἷμα τῆς διαθήκης ἐν ᾧ ἡγιάσθη.] Dupliciter sanctificantur homines, alij *absolutè*, ut soli fideles, cùm scilicet non tantùm ab alijs hominibus segregantur (hoc enim verbum *sanctificare* sæpe significat in Scriptura) à Deo, sed & remissione peccatorum apprehensa, & Spiritus Sancti virtute sanctificantur, & in sanctitatis studio permanent. Alij comparate, qui scilicet separantur quidem ab alijs hominibus externa fidei professione, & aliqua fortè vitæ instituti immutatione, at non sanctificantur *absolutè* ut fideles. Ad hoc posterius sanctificationis genus pertinet hoc Apostoli dictum, *in quo sanctificatus fuit.*

In EPIST. ad HEBR. Cap. XI. ℣. 1.

ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων.] Chrysostomus, alijque post eum, ὑπόστασιν hîc οὐσίαν *substantiam* interpretatur. Sed eo potius sensu accipienda est in Novo Testamento hæc vox, quo in Veteri apud LXX. Atq; illi תוחלת hoc est, *expectationem* interpretantur per hanc vocem ὑπόστασιν Psal. 39. 8. Quin & Apostolus ipse sic eam vocem accepit supra cap. 3. 14. hujus Epistolæ. Atque isthic vide quæ de hac voce jam annotavimus.

℣. 39. οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν.] Non potest hoc trahi ad commentum Limbi Patrum, quod volunt Pontificij; nam dicuntur non reportasse in hac vita promissionem, ut liquet ex ℣. 13. *mortui sunt non adepti promissiones*, hoc est, mortui sunt priusquam adipiscerentur promissionem. Ergo agitur de promissione implenda in hac vita. At illa promissio implenda in hac vita non potest esse alia quàm exhibitio Christi, & plena revelatio mysterij redemptionis nostræ, nam non puto quempiam negaturum impetrasse eos remissionem peccatorum, & Spiritum Sanctum pro modulo œconomiæ quæ tum vigebat. Deinde, eodem loco scriptum est, *ut ne sine nobis perficerentur.* At hæc perfectio fuit sita in exhibitione promissionis, nam eo non fuerunt perfecti quod non erant consecuti promissionem, nos ergo præ illis perfecti sumus eo quod adepti sumus promissionem. Promissio autem erat rei præstandæ in hac vita; Ergo, discrimen nostræ perfectionis & Patrum situm est in eo quod in hac vita exhibetur. Non ergo hîc agitur de statu animæ post hanc vitam.

✝. 40. ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι.] Nihil aliud vult Apostolus his verbis, quàm *ut ne perficerentur fideles priusquam ad nostra tempora deventum esset*, consilium enim Dei fuit, ut ne statim perficeretur Ecclesia, sed certo quodam tempore. Et profectò ne Angelis quidem beatis notum fuit quidem mysterium redemptionis nostræ ante Christum exhibitum, (atque haud magis spiritibus Patrum) tam clarè quàm Christo exhibito & revelato. Itaque tota ista τελείωσις sita est in cognitione, quæ multò illustrior est re exhibita & revelata, quàm dum exhibenda & revelanda est, ut sunt vaticinia, & omnes Dei prædictiones, multò obscuriores antè quàm post earum complementum. Non facit ergo iste locus, ut ne populus utriusque Ecclesiæ Iudaicæ & Christianæ, fuerit in discipulis Christi, sed tantùm facit ut qui vixerunt discipuli temporibus revelati Evangelij præ illis qui sub Lege, & ante Legem vixerunt, perfecti fuerint. Atque hîc observandum est, particulâ istâ, ἵνα μὴ, *ut ne*, non notari finem, sed eventum rei, nam particulæ illæ *ut*, *ne*, in Scriptura eodem redeunt quo Latinæ particulæ *adeò ut*, *adeò ut non*, id est notant id quod evenit sæpè, non notant consilium & finem, ut sit sensus, *Isti omnes non acceperunt promissiones*, *nam hoc Deus voluit esse privilegium nobis peculiare, qui vocati sumus per Evangelium*, *adeò ut illi quantumvis pij*, *tamen non adepti sint perfectionem*, *nempe in hac vita*, *quemadmodum nos*: *perfectionem*, *inquam*; *quæ sita est in revelatione Evangelij*, *quæ est omnis revelationis complementum*. Nec opus est tantopere urgere verba illa, *ne perficerentur sine nobis*, quasi videretur Apostolus innuere, eos tandem nobiscum esse perfectos qui antea non fuerant perfecti: constabit enim illis suus sensus etiamsi eousque non urgeantur. Nam si prius perfecti fuissent illi quàm nos. perfecti fuissent sine nobis, non enim viximus eorum temporibus. Sed & concedi posset, eos fuisse perfectos nobiscum, hoc est, adeptos tandem majorem illius mysterij cognitionem. Etsi enim paradoxum id nonnullis videatur verum tamen est, mysterium redemptionis nostræ, ne Angelis quidem, ante exhibitum Christum, fuisse perinde notum, atque jam Ecclesiæ notum est; Ergo; nec beatis spiritibus piorum receptis in cœlo. Itaque si quis quærat, an novâ gloriâ locupletati sint Christo exhibito, possumus id affirmare, citra ullam nimiæ curiositatis suspicionem, cùm certum sit mysterium illud ijs redditum fuisse multo notius: porrò quo Deus notior est, eo amatur vehementius: quo autem Christus notior est, eo Deus est notior, est enim Christus Dei imago.

In EPIST. ad HEBR. Cap. XII. ✝. 1.

καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν.] In Complut. Editione est ἀπερίστατον. Voces sunt prorsus contrariæ, at significationis tamen non sunt contrariæ, nam εὐπερίστατον vertunt *quod nos adeò facilè circumsistit*, ἀπερίστατον verò

quod evitari non potest, nam ἀποστῆσαι Apostolo *evitare* est. Res utrobique penè eadem est.

In EPST. ad HEBR. Cap. XIII. ✠. 8.

χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτός, &c.] Hoc non ita potest intelligi, ut quum Christus dicitur fuisse heri, intelligamus Christum fuisse priusquam Apostolus scriberet hanc Epistolam, hoc enim frigidum esset: neque sic intelligi potest, ut hoc Apostolus tantum voluerit innuere, Christum fuisse prędestinatum, nam hoc Christo cum multis commune est. At Apostolus singulare aliquid, tribuit Christo. Deinde, fideles quidem dicuntur *electi ante jacta mundi fundamenta*, at nusquam dicuntur *fuisse ante jacta mundi fundamenta*. Denique non cohærent ista, *Christus fuit heri, hodie, & in æternum*, si horum primum intelligendum est de prędestinatione. Nec simpliciter ista de Deitate Christi intelligenda sunt, quamquàm hinc colligitur Christum esse Deum, & quidem necessariò: Nam consequentia arguunt hęc spectare eò, ut certi simus in Christo semper omnia subsidia ad salutem fuisse reposita, sequitur enim continuò, *Doctrinis varijs & peregrinis ne circumferamini, bonum enim est gratià constabiliri cor, non cibis, ex quibus nullam consecuti sunt utilitatem qui in ijs ambularunt, Habemus nos altare*, &c. Vnde liquet studuisse Apostolum avocare Hebræorum animos à studio Rituum & Cæremoniarum ad Christum solum, hoc pacto, *Etsi veteres Iudæi in ijs Ritibus se exercuerunt, non inde tamen ullum fructum, sed à Christo salutem consecuti sunt, Christus enim est idem heri, hodie, & in æternum*, hoc est, *Nunc Servator non est ita ut olim non fuerit, atque ut non sit futurus in æternum Servator.*

✠. 17. πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε,] Hinc exsculpere volunt Pontificij Conciliorum infallibilitatem; sed ineptè. Nam primò, hæc dicuntur de Pastoribus separatim, non coactis in Concilium. Secundò subintelligitur conditio; si nil jubeant & pręscribant quod sit contra Christi præceptum & præscriptum, ut quum præscribitur sacris Literis ut Regi, ut parentibus, pareamus, non inde colligitur hoc esse absolutè faciendum, quod necesse esset colligere, si hoc pacto Regibus, aut parentibus, indultum esset privilegium infallibilitatis.

IN EPIST.

IN EPISTOLAM
D. IACOBI.

CAPVT II. ℣. 2.

EAN εἰσέλθῃ τὴν συναγωγὴν ὑμῶν.] Sunt qui Ecclesiam hîc συναγωγὴν dici volunt. Sed obſervandum eſt, Apoſtolum non dixiſſe εἰς συναγωγὴν ὑμετέραν, ſed εἰς συναγωγὴν ὑμῶν, hoc eſt, *in conventum veſtrum*. Iam verò nullo modo poteſt dici Eccleſia συναγωγὴ ὑμῶν, multo minus aliquis ingredi in Eccleſiam annulum geſtans aureum. Quid igitur eſt eo loco *Synagoga?* nempe conventus, coïtio, congregatio.

℣. 22. ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ.] Id eſt, *fides fuit efficax in operibus*, ſive *per opera*, uti poſtea Apoſtolus ipſe explicat ſequentibus verbis, ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη, *fides perfecta fuit ex operibus*, quomodo & eadem phraſi qua 2. Cor. 12. 9. *potentia Dei* dicitur τελειοῦται *perfici in infirmitatibus*, utrobique enim occurrit idem verbum. Nemo autem ita inſanit, ut putet infirmitatem noſtram aliquid addere Potentiæ Dei, ſed ſenſus eſt, Potentiam Dei exerere vim ſuam, & oſtendere quàm magna ſit in infirmitate. Sic quum Iacobus dicit *fidem perfici per opera*, non hoc vult, fidem mutuari vim ab operibus, ſed contrà oſtendere quanta ſit in operibus. Itaque cap. 11. Epiſt. ad Heb. quæcumque præclare geſta ſunt à pijs, omnia fidei tribuuntur, ut conferendum ſit caput illud cum hoc Iacobi loco. Quod ſi mens Iacobi fuiſſet docere, Fidem cooperari operibus ad juſtificationem, uti volunt Pontificij, profectò alijs verbis uſus fuiſſet, & dixiſſet potius, *Opera cooperari cum fide*, quàm *fidem cum operibus*. Et præterea, quomodo poteſt intelligi fides perfecta ab operibus, ſi opera non addiderunt aliquam perfectionem fidei in negotio juſtificationis? At certè clarum eſt nullam perfectionem addi fidei ab operibus in negotio juſtificationis, ſiquidem à fide proficiſcuntur tanquam à cauſa; atque ita bona opera proficiſcuntur à fide tanquam à cauſa, ut non ſit bonum opus quod à fide non ſit profectum, *quicquid enim fit ſine fide eſt peccatum*, &, *fide purificantur corda*, unde proficiſcuntur, & æſtimantur omnia opera. At, inquiet aliquis, cur non dixit Apoſtolus, fidem ἐνεργεῖν, ſed potius dixit συνεργεῖν? Reſponſio in promptu eſt, Res eſt Apoſtolo cum hypocritis, qui unicum opus fidei putabant eſſe *credere*: At Apoſtolus aliquid re-

quirit amplius in vera fide, ut non tantùm se exerat in credendo, sed etiam in operando, atque ideò dixit, συνεργεῖν, & τελειωθῆναι ἐκ τῶν ἔργων, hoc est, *perfectionem suam ostendere in operibus.*

Ibid. καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη.] Fides hîc à Iacobo dicitur *perfici operibus*, non quod opera fidem perficiant, sed quod fides, dum producit opera, ostendit quàm sit perfecta: quomodo 2. Cor. 12. 9. Christi virtus seu potentia *perfici* dicitur *in infirmitatibus*, quia tum scilicet se maximè exerit & prodit. Nam in se Dei virtus nec augetur nec minuitur, sed tum perfici dicitur, quum facit id quod judicio humano summum est: cum nempe in summis angustijs, & in ipsa morte, constituti vivimus tamen & respiramus, singulari quodam modo virtus Dei se exerit, itaque *perficitur in nobis*, hoc est, ostendit se summam esse.

℣. 24. ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, &c.] Celebris locus & decantatissimus, quo Pontificij se validè adstruere posse putant, *nos coram Deo justificari ex operibus nostris.* Volunt nempe Iacobum disputare hoc capite, *Sitne fides sola qua justificemur*, & concludere, *neque fide sola, neque solis item operibus, sed partim fide partim operibus justificari.* Hæc interpretatio si admittatur pugnabit Iacobus cum Paulo, pugnabit secum ipse. Cum Paulo pugnabit, quia hæc est Pauli sententia *sola nos fide justificari*, quod varijs ex Epistolis ejus ductis argumentis ostendi & firmissimè comprobari potest. Sed & Iacobus cum semetipso pugnabit. Nam ait, ℣. 23. *Scripturam fuisse impletam quum Abrahamus justificaretur ex operibus.* At quam Scripturam? Non legem, quæ justum pronunciat eum qui illam præstat, sed eam vocem quæ Evangelica est, *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei in justitiam.* Quænam obsecro est ista consequentia, *Abraham credidit Deo & imputatum est ei in justitiam, Ergo Abraham justificatus est ex operibus?* Certè ista nullomodo conciliari possunt, nedum cohærere ut consequens cum antecedente; Etenim vel sensus horum verborum hic est, *Abraham credidit, & ejus fides imputata est ei in partem justitiæ*, vel iste, *Abraham credidit, & ejus fides imputata est ei in solidam justitiam.* Secundus sensus si admittatur, satis liquet non quadrare hæc verba Iacobi instituto, imò potius cum eo pugnare, si id fuit ejus institutum quod ei affingunt Pontificij. Si prior ille sensus admittatur, æquè absurda erit ratiocinatio Iacobi, *Scriptura testatur Abrahamum fuisse quadamtenus justificatum quum credidit, Ergo hoc testimonium Scripturæ impletum est cùm offerret filium.* Nulla est cohæsio. Vt id interim prætereamus silentio, quod hominis justitia coram Deo dividi non potest, & id dicatur imputari in justitiam quod locum justitiæ obtinet. Sic refutata videtur Pontificiorum de hoc loco sententia.

Eorum qui à Pontificijs dissentiunt, alij volunt Apostolum eo loco

agere de justificatione nostra non coram Deo, sed coram hominibus. Quæ explicatio videtur non posse stare: Primò, quia illud opus Abrahæ, quo dicitur obtulisse filium, patratum est remotis omnibus arbitris, solus testis erat Isaac, qui nec potuit mentem patris nosse nisi ex eventu. Addamus & hoc, nullum opus esse externum quod hypocrita non possit simulare & imitari. Alij itaque negant apud Paulum vocabulum *justificationis* aliud significare quàm apud Iacobum, sed Metonymiam quærunt in vocabulo *operum*, aiunt enim esse Metonymiam effecti pro causa, ut nempe quum Abraham dicitur justificatus ex operibus, nihil aliud intelligatur, quàm quod Abraham justificatus sit per fidem, non inane illud fidei spectrum quod Iacobus exagitat, sed fidem vivam, efficacem, & per charitatem operantem. Quæ interpretatio optimè quadrat cum mente & scopo Iacobi, cujus consilium est hoc loco non disputare quomodo justificemur, sed cujusmodi sit, & quod ingenium illius fidei qua justificamur: Attamen quia hæc Metonymia dura videri possit & parùm usitata in Scriptura, tentemus & aliam loci hujus interpretationem.

Sed primò tenendum est Iacobi consilium sive scopum, qui hic est, probare fidem quam se opinantur habere qui opera non habent, non esse eam fidem qua quis ad salutem niti possit. Patet hunc esse Iacobi scopum ex illa propositione quæ habetur ℣. 14. *Quæ utilitas fratres mei*, &c. Verba enim illa, *siquis dicat fidem se habere*, satis ostendunt Apostolum non disputare hoc capite adversus veram fidem, sed adversus eam quæ opinione hominum est fides: Porrò *dicere* eo loco mentis est, non oris, nemo enim usque adeò impudens est ut audeat gloriari palam, & apertè, de ea fide quæ nulla habeat opera consequentia. Propositionem illam concludit Iacobus ℣. 26. quo tota clauditur ejus disputatio. *Nam sicut corpus absque spiritu*, &c. Quorsum enim illa pertinent? Certè ut significetur, fidem illam quæ non habet opera consequentia non esse fidem vivam, sed mortuam: Proindéque illa fide neminem posse vitam consequi. Cum ergo hic sit scopus disputationis Iacobi, necesse est eam interpretatione verborum, quibus utitur Apostolus in hac disputatione, esse maximè idoneam, quæ facit ut liqueat rectè conclusam esse ab Apostolo propositionem illam suæ disputationis: contrà, eam interpretationem falsam esse, quæ, si admittatur, Apostolus non effecerit quod proposuerat, Cùm ergo Pontificiorum interpretatio sit ejusmodi, sequitur eam esse falsam & rejiciendam.

Aliquot autem argumentis ostendit Apostolus veritatem illius suæ Propositionis, inter quę est hoc unum quod habetur ℣. 21. 22. & 23. ductum ab exemplo Abrahami: est autem ejusmodi, Ea sola fides est vera quæ similis est fidei Abrahami, at fides illa quæ est sine operibus, non est similis fidei Abrahæ, quia *Abraham ex operibus fuit justificatus*,

hoc est operando dedit experimentum fidei suæ, sive, operando probavit, demonstravit fidem suam esse veram, vivam fidem, non mortuam, & inane fidei spectrum. Sic 1. Tim. 3. 16. *Deus* dicitur *manifestatus in carne, justificatus in spiritu*, hoc est, dedisse experimentum divinitatis, sive probasse se verum Deum, vi spiritûs, vi suæ divinitatis. Sed cui dedit Abraham experimentum fidei suæ? Nunquid hominibus? at id supra rejectum est. Numquid Deo? At Deus experimento non habet opus. Responsio facilis est, *Proba me*, inquit David, *tenta me*, & Deum compellat, imò in conscientiæ suæ recessu & adyto. Sanè verum est, Deo non opus esse experimento, at non perinde sequitur, homines non præbere sui experimentum Deo. Itaque Apostolus ait, *studemus nos approbare Deo.* Nec est Pontificiorum ullus qui ausit negare fidem & charitatem justificari ex operibus, hoc est, probare & prodere sese per opera, quod non tum duntaxat habet locum quum adsunt arbitri & testes, sed etiam remotis arbitris, alioqui quorsum tenderent hortationes Apostoli, ut nosmetipsos exploremus an simus in fide? Quemadmodum ergo etsi nullus agnosceret Christum, tamen verè esset justificatus in spiritu, ita quamvis Abraham nullum habuisset operis sui conscium, tamen verè foret δικαιωθεὶς. Sic vers. 24. dicit, *Ex operibus justificari hominem, non ex fide tantùm*, hoc est, Non ex fide tantùm dari experimentum veræ fidei, id est, non tantùm credendo, sed etiam operando per veram charitatem. Nisi quis malit *fidem tantùm* dici ab Apostolo eam fidem in qua nihil est præter τὸ *credere*, quod etiam in eo est qui vera fide destitutus est, sunt enim plures fidei species.

ψ 26. ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα, &c.] Argumentum quo totam suam disputationem concludit Apostolus, hoc est. Corpus quod nullam habet sui movendi vim, destitutum spiritu, mortuum est, & homonymως tantùm corpus, revera cadaver est: Sic planè ea fides quæ non est *efficax in operibus* sive *per opera*, cadaver est fidei, non vera fides. Porrò, corporis exemplo potius quàm imaginis uti voluit ut res videretur vilior & contemptior, & denique fœdior, nil enim mortuo corpore fœdius est. Quod autem Pontificij dicunt Spiritum esse causam vitæ corporis, dixerint-ne etiam opera esse fidei causam? Aut, perinde dicent motum tribui fidei per opera, ac anima corpori motum tribuit? cùm sit certissimum Apostolum dicere fidem συνεργεῖν τοῖς ἔργοις, at corpus animæ συνεργεῖν nemo satis sanus dixerit. Itaque tantùm abest ut ex hoc loco probari possit fidem à charitate posse sejungi, ut contrà nullus sit locus qui luculentius probet fidem cum charitate esse quàm conjunctissimam.

In EPIST. IACOB. Cap. III. ψ. 2.

οὗτος τέλειος ἀνήρ.] Hoc ut intelligatur, tenendum est, etiam in disciplina Iudæorum fuisse ἀσκητάς, hoc est, qui sese in virtute exercebant,

(hi sunt qui dicuntur מסתרדים) & fuisse itidem quos Philo τελείους vocat, quos dicit non laborare (quamquam hoc dicit nimis confidenter) sed tantùm conservare quæ acquisiverunt labore. Itaque ἀσκησιν vocat μέσον ad perfectionem τελειότητα, ferè ut Philosophi dispositionem comparant cum habitu. Itaque ἀσκηταῖς illis quoddam fuit *discere experimentale*. Est nempe duplex cognitio, una quæ sita est in nuda perceptione rerum, altera quæ sita est in experimentis: secundùm posteriorem istam cogntionis speciem illi dicuntur τέλειοι, qui docent reapse & factis se verè didicisse quod se didicisse profitentur, qui non sunt amplius ἀσκηταὶ discipuli, sed jam plenè didicerunt. Qui ergo eò usque in virtutis documento & experimento profecit, ut possit linguam suam moderari, is eo ostendit se non amplius esse ἀσκητὴν sed τέλειον.

In EPIST. IACOB. Cap. V. ℣. 14.

ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ.] Pontificij hoc loco abutuntur ad stabiliendum Sacramentum quod vocant *extremæ unctionis*, volunt enim hîc agi de Sacramento quo non corpus, nisi rarò admodum & præter finem Sacramenti, sed anima curatur. Nos verò putamus, Iacobum eo loco hortari ægros ut utantur dono illo sanationum, extraordinario quidem si respiciamus tempora nostra, sed quod tum erat in Ecclesia familiare. Argumenta quibus nitimur ducta sunt partim à verbis Apostoli, partim à serie totius orationis. Et à verbis quidem Apostoli, nam sic loquitur, *Oratio fidei* σώσει τὸν κάμνοντα, hoc est, *sublevabit*, vel *sanabit ægrum*, & ἐγερεῖ *excitabit eum Dominus*: ἐγεῖραι autem *excitare*, & σῶσαι *servare* κάμνοντα *laborantem*, nihil est aliud quàm sanare ægrum: quorsum autem meminisset Apostolus morbi, si de salute illa spirituali ageret quam intelligunt Pontificij? Certè longè aliud est σῶσαι ἁμαρτάνοντα, aliud σῶσαι κάμνοντα, illud enim est peccatum, hoc verò morbum auferre. Tum verò consideranda est vis hujus vocis ἐγεῖραι, quæ cùm de ægroto dicitur, toties significat restitutam sanitatem, ut Matth 18. 15. ἠγέρθη καὶ διηκόνει, de Petri socru. Alioqui, quam tandem hîc intelligent Pontificij excitationem? Certè hoc loco intelligi non potest salus animæ, quia nunquam hoc sensu occurrit hæc vox in Scriptura, nisi in allegoria, ut quum Paulus ait Ephes. vers. 14. *Expergiscere tu qui dormis*. Cæterùm ἐγείρειν semper dicitur vel de ægro, vel de mortuo. Sed, quod nullo pacto expugnari potest, tota series orationis huc spectat, *Sanabit eum oratio fidei, excitabit eum Dominus, & si ulla admisit peccata remittentur ei*. Vbi notantur duo distincta beneficia, quorum prius corporeum est, posterius spirituale, nam ordo horum verborum imprimis est considerandus. Quem autem sensum habebunt verba ista secundum Pontificios, *Dominus curabit ejus animam, morbos animi, & si admisit peccata remittentur ei*. At ista secundùm nos optimè cohærent, *Dominus non modò curabit morbum corporis, sed etiam morbum*

animi. Itaque priori loco agitur de sanatione corporis, deinde de sanatione animæ, quomodo sanare solebat Dominus ægrotos: nam primò eos levabat morbo corporis, tum morbo animæ: unde & illa locutio toties in Evangelio usurpata, *Fides tua te servavit*, *Confide fili peccata tua tibi sunt remissa.* Tum & illa verba hîc sunt observanda, *Si fecit peccata,* &c. hoc est, si peccando contraxit morbum illum; Nam afflictiones non sunt semper castigationes, sed interdum probationes, unde Dominus de cœco nato, *neque hic peccavit, neque pater ejus*, hoc est, non est illi inflicta hæc cæcitas ob ejus peccatum, neque propter patris peccatum, *sed ut opera Dei in eo manifesta fierent.* Iam si illa Vnctio esset adhibita (uti volunt Pontificij) ut esset Sacramentum spirituale remissionis peccatorum, quem sensum haberent verba illa, *Si admisit peccata, remittentur ei?* locutio non debuit omnino esse hypothetica, sed absoluta, *peccata quæ admisit remittentur ei.*

Pontificiorum argumenta quibus illi nituntur sententiam suam ex hoc loco probare, ista sunt. Primò inquiunt, Reliqua præcepta, quæ sunt in illa Epistola, perpetuum habent usum, Ergo & illud de Vnctione ægrorum. Sed hoc argumentum futile est, multa enim sunt præcepta in Epistolis Pauli quorum hodie nullus est usus, ut est illud de Prophetia, 1. Cor. 14. & quo habitu mulier debeat prophetare; quæ ad tempora nostra non pertinent. Secundò aiunt, si ageret eo loco Iacobus de miraculosa sanatione, debuerat etiam consulere cæcis, surdis, &c. eorumque meminisse. ℞. Id esse futile, donum enim sanationum erat familiare tum in Ecclesia, at donum curandi cœcos, excitandi mortuos non erat ita frequens. Tertiò, debuerunt accersi alij quàm Seniores Ecclesiæ, nempe ij qui pręditi erant dono sanationum. At, inquam, donum sanationis vel maximè vigebat in ijs qui præerant Ecclesiæ. Quartò, hoc fuisset nimis molestum Senioribus, si quum primùm quis inciperet ægrotare, continuò illis eò accurrendum esset. Et hoc etiam admodum futile est, Nam & est, & erit Presbyterorum officium consolari homines afflictos, eos pręsertim qui ab ijs petunt consolationem. Denique, inquiunt, Nemo illis temporibus fuisset mortuus, sed omnes fuissent immortales, siquidem penes Presbyteros fuisset quosvis ægros sanare. Sed & hoc leve admodum est, nam in hoc genere Presbyteri nihil aggrediebantur sine fide: Iam verò Deus non promittebat semper ijs qui pręditi erant dono sanationis, ut quoties vellent, & quos vellent, toties possent sanare, sed quotiescumque id expediebat gloriæ Dei, & saluti ægroti, cujus rei judicium erat penes Spiritum quo ducebatur is qui prędıtus erat dono sanationis. Alioqui si argumentatio illa Pontificiorum valeret, tum quum vigebant in Ecclesia dona sanationum (quod ad tempus fuisse negari non potest) nemo unquam fuisset mortuus. Sanè Paulus præditus eo dono fuit, & tamen Trophimum coactus est

ægrum Mileti relinquere, quod sanè non fecisset, si quoties libuisset ægros sanare potuisset. Vltimò objiciunt Pontificij, Quorsum oleum adhiberi jubet Iacobus, nam si fuit sanatio miraculosa potuit id fieri sine oleo. At, inquam, si fuit sanatio, spiritualis, quorsum oleum? nam & potuit fieri sine oleo. Sed Marc. 6. 13. disertè notatur Discipulos solitos fuisse ungere oleo ægrotos: Solet enim Deus adhibere signa, non modò ad significandam gratiam spiritualem, ut sunt in Baptismo, & sacra Cœna, aqua, panis, & vinum, sed & ad significandam rem corpoream, & beneficium temporale, ut Moses Petram percussit baculo, ut aqua inde scaturiret, quum mare item virgâ percussit ut diffinderetur. Et Dominus noster Iesus Christus qûum surdum μογίλαλον curavit, immittit digitos in ejus aures, tangit salivâ suâ linguam ejus, luto ex sputo confecto cœci oculos illinit. Sic curatus est Ezechias ab Esaia adhibito ficuum emplastro, ubi erat analogia signi & rei signatæ. Ita, quia oleum magnam habet vim in corpore humano, ideò adhibebatur in miraculosa unctione, nulla quidem necessitate, sed significationis gratiâ.

℣. 16. δέησις δικαίου ἐνεργουμένη.] Hoc est, *Oratio facta in fide qua constans est & firma.* Nam quod est validum & firmum, illud in Scriptura dici solet ἐνεργούμενον.

IN I. EPIST.

D. PETRI.

CAPUT I. ℣. *13.*

XΑ'ΡΙΝ.] hoc est, *vitam æternam:* sic infra cap. 3. 7. συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς, eadem phrasi qua cap. 5. 4. vocat rem eandem στέφανον δόξης.

℣. 17. ἐν φόβῳ.] Hoc est, humiliter, seu humili & demissa quadam reverentia. Sic infrà cap. 2. 18. & cap. 3. ℣. 2. 16. Philipp. 2. 12. 1. Cor. 2 3. 2. Cor. 7. 15.

In EPIST. PETRI Cap. II. ℣. *1.*

ἀποθέμενοι οὖν.] Illud οὖν refertur ad ℣ 23. capitis præcedentis.

℣. 2. λογικὸν γάλα.] Hoc est εὐαγγελικόν. Sic Rom. 12. 1 λογικὴ λατρεία est ea quæ decet, quæ convenit Evangelio: Nam λόγος est Evangelium, infrà ℣. 8. hujus capitis, οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, ἀπειθοῦντες, qui sic legendus, οἱ προσκόπτουσι, τῷ λόγῳ ἀπειθοῦντες, ut ἀπειθοῦντες jungatur & construatur cum τῷ λόγῳ.

ỷ 9. *βασίλειον ἱεράτευμα.*] Non sunt ita accipienda hæc verba, ac si remota essent à consuetudine loquendi, qua utitur Spiritus Sanctus. Nam (ut ab alijs jam est observatum) *Sacerdotium Regale* dicitur Ecclesia, quomodo Exod. 19. 6. Deus populum Israëliticum appellat מלכות כהנים *regnum Sacerdotum.* Sed quorsum appellatur *regnum Sacerdotum?* hoc verò explicandum est. Chald. Paraphr. Onkelos vertit *Reges & Sacerdotes*, quomodo Christus Apoc. 1. 6. dicitur *nos fecisse Reges & Sacerdotes.* Itaque *Sacerdotium Regale* nihil aliud est quàm *multitudo Regum & Sacerdotum.* Sed quo pacto dicuntur, qui sunt in Ecclesia, *Reges & Sacerdotes?* Nempe כהנים hoc est, *Sacerdotes* dicuntur respectu Dei, *Reges* respectu aliorum. Quod ut pleniùs intelligatur, notandum est כהן *ministrum* significare *qui Regi proximus est*, & כהנה *præcipua dignitas* est. Est autem Rex, vel cui imperium est in conscientiam (qualis Rex solus est qui idem Deus est) & est Rex cui imperium est in corpus, quales sunt Reges *αὐτοκράτορες.* Itaque duplex est כהן in Scriptura, vel respectu Dei, vel respectu Regum. Et respectu quidem Dei, illi כהנים sunt qui populo præeunt in peragenda re divina, quia Deo proximi videntur. Respectu autem Regum illi כהנים sunt qui sunt Regibus proximi, ut quum 2. Sam. 20 25. Hiram Iaïrites dicitur fuisse Davidis כהן. Et 2. Sam. 8. 18. Filij Davidis dicuntur fuisse כהנים hoc est, *præcipui Regis ministri.* Atque ita rem se habere constat ex 1. Paralip. 18. 17 quo loco qui 2. Sam. 8. 18. dicuntur fuisse כהנים vocantur הראשונים ליד מלך hoc est, *primarij prope Regem.* Atque ut hæc accommodemus ad rem nostram, quia Deus consecravit populum suum cultui suo, hinc fit ut Ecclesia *Sacerdotium* vocetur, & fideles quasi totidem Sacerdotes sint. Et quia omnia subjecit, etiam vitam, etiam mortem, pedibus populi sui, & voluit populum suum dominari in hostes suos, hinc fit ut Ecclesia vocetur, *Regale Sacerdotium*, & fideles dicantur *Reges.*

In I. EPIST. PETRI Cap. III. ỷ. 7.

ἀπονέμοντες τιμὴν.] בוז Hebraicè non modò *contemnere* sed *negligere* etiam est, ut ergo *negligere* in lingua sancta est *contemnere*, sic vicissim *curare, sollicitum esse de re aliqua conservanda*, illud *honorare* est, usque adeò ut quum Manoah Angelum Prophetam ratus pollicetur, fore ut eum honoraret si quod prædixerat erat eventurum, כבדנוך inquit, *honorabimus te.* Sic alicubi Cicero Tironem monet, se dedisse operam *ut Medico honos haberetur.* Itaque *honorare* non pertinet tantùm ad laudem, sed etiam ad mercedem, ad curam, ad sollicitudinem, ut nemo miretur quid sibi voluerit Apostolus 1. Tim. 5. 3. quum Timotheum hortatur ut *pauperculas viduas honoret*, nempe hoc voluit, ut earum curam gerat, ut det operam ut illis benè sit. Hoc sensu jubet hîc Apostolus viros *ἀπονέμειν τιμὴν honorem tribuere uxoribus suis*, h. e. ut sint de illis solliciti, ut earum curam gerant, ne quid illis desit, sed ut illis benè sit procurent.

In I.

κομιεῖσθε τὸν ἀμάραντινον τῆς δόξης στέφανον.] Doctiss. Interpres vertit *coronam amarantinam*, qua in versione discessit à Vulg. Interp. & Syriaco, nam Vulgatus Interpres vertit *immarcessibilem coronam*, Syrus כלילא דלא חבלא *corona quæ non corrumpitur.* Quod verò movit doctissimum Interpretem ut sic verteret, fuit insolentia derivationis hujus nominis *ἀμάραντινος*, nam *Amarantus* est herba ex cujus flore texuntur corollæ. Attamen Hesychius Grammaticorum Græcorum facilè princeps, *ἀμαράντινον ἄσηπτον* exponit, hoc est, *quod computrescere non potest.* Neque videtur commodum ut *corana ex Amarantho* (cujus mentio fit apud lascivos poëtas) dicta fuerit Petro gloria beatorum. Itaque potius videtur significasse Petrus quod dixit initio cap. 1. ejusdem Epistolæ, *hæreditatem ἄφθαρτον, ἀμίαντον, καὶ ἀμάραντον, servatam in cœlis.*

IN II. EPIST. D. PETRI.

CAPUT I. ℣. 4.

ΘΕΙΆΣ *κοινωνοὶ φύσεως.*] Eadem penè phrasi, & voce usus est Paulus, Rom. 6. 5. quum dicit nos esse Christo *συμφύτους*, q. d. *congenitos sive connatos*, ubi autem nulla naturæ communio est, nulla *σύμφυσις* esse potest Consortes autem dicimur *divinæ naturæ* quatenus *facti sumus Christi participes*, ut loquitur Apostolus Heb. 3. 14. facti autem sumus ejus participes: Primò, secundùm naturam ejus divinam, quatenus id quod est in Christi natura divina *eminenter* (uti loquuntur) in nobis est secundùm modùm creaturæ *formaliter*: (alioqui enim *formaliter*, propriè loquendo, natura divina est incommunicabilis) in nobis, inquam, qui credimus in Christum. Secundò, participes facti sumus Christi secundùm naturam humanam, quatenus id quod fuit in Christo secundùm eam *formaliter*, id ipsum in nos derivatur per spiritum Christi: in qua Christi humana natura Deus impressit non levia vestigia potentiæ, bonitatis, & sapientiæ suæ, qualia sunt impressa omnibus creaturis: neque item imaginem fluxam & debilem, ut ita loquar (qualis fuit in Adamo, cujus rei testis est ejus lapsus) sed firmam & stabilem imaginem tum sanctitatis Dei, tum beatitudinis, quatenus

creatura capax illius esse potuit. Atque hanc ob causam dicitur Christus *primogenitus inter multos fratres*, nempe ob communionem naturæ humanæ: nam quod ad naturam divinam attinet, multò magnificentior titulus debetur ei, nam idem Creator est & Redemptor Ecclesiæ suæ.

℣. 9. ὁ γὰρ μὴ πράσσων ταῦτα τυφλός ἐστι, &c.] Vide 1. Ioh. 2. ℣. 2. 3. 4. 10. 11. & cap. 3. 6. & cap. 4. 7. 8. ubi *cognoscere Deum* & *esse ex Deo* idem sunt, & 3. Ioh. ℣. 11. ubi *videre Deum* & *esse ex Deo* pro eodem sumuntur.

℣. 20. ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται.] Quod vulg. Versio ἐπίλυσιν *interpretationem* reddidit, Gallica *revelationem* interpretatur: Cujus interpretationis author est Calvinus, sed qui Bezam hîc habuit dissentientem. Certè videtur Calvinus non improbasse sententiam illius qui monuit videri ἐπιλύσεως scriptum pro ἐπηλύσεως, facillimo lapsu, seu pronuntiationem, qualis fuit illis temporibus, seu litterarum ductum spectemus. Porrò ἐπήλυσις, inquiunt, est *afflatus quidam Spiritûs extraordinarius*, ἐπιφοίτησις πνεύματος. Atque hîc se tuentur authoritate Hesychij, qui ἐπηλυσίαν interpretatur ἐπῳδὴν *incantationem*. In quo id primùm reprehendendum videtur, quod Hesychius non ἐπήλυσιν sed ἐπηλυσίαν sic interpretatur. Sed hoc fortasse videbitur levius, at istud multò gravissimum est, quod ἐπηλυσία Hesychio non est *afflatus*, sed *efficacia* quæ verba incantatorum sequitur, nam ἐπῳδὴν esse ἐπηλυσίαν dicit. Denique, non est credibile ἐπηλύσεως hoc loco legendum esse, siquidem à Magis infamata fuit hæc vox. Nam cæteroqui verum est illud Scripturę, *irruit in me Spiritus Domini* posse fortasse exponi ἐπῆλθεν ἐπ' ἐμὲ, vel ἐμοὶ, pręsertim quum quæ nobis suggeruntur tacitè nullius operâ, de ijs solemus dicere Latinè, *venisse nobis in mentem*, hæc est ἐπήλυσις quędam, Gręci verò in hoc genere ἐπῆλθε μοι dicunt. Sed quoniam nulla ἐπηλύσεως mentio fit in Scriptura, & in nullis neque vetustis, neque item recentioribus codicibus ἐπηλύσεως vocabuli mentio fit, exstat verò constanter ἐπιλύσεως vocabulum, profectò retinendum est ἐπιλύσεως, sed ita tamen retinendum, ut stet interpretatio Calvini & Gallica. Ἐπιλύειν ergo id ipsum est quod Hebraicè פתר, est autem פתר propriè *quæ abscondita erant & occulta interpretari*. Itaque non est culpandus Vetus Interpres qui ἐπίλυσιν interpretationem dixit. Hæc vox ἐπιλύειν exstat apud LXX. Interpr. Genes. 41. 12 ubi in Hebræo est איש כחלומו פתר LXX. reddiderunt, ἀνδρὶ κατὰ τὸ ἐνύπνιον αὐτοῦ ἐπέλυσεν: isthic nempe agitur de somnio à Iosepho explicato. Meminerimus autem interpretationem illam Iosephi prophetiam esse, non profectam ab acumine naturali, sed à revelatione: Itaque Iosephi interpretatio fuit revelatio, ἀποκάλυψις. Quare פתרון ἐπίλυσις est: nempe illius quod alioqui in mysterio consilij divini foret reconditum, unde & Prophetæ *interpretes divinæ voluntatis* dici queant. Et sanè Chald. Paraphrastes Cantic. 1. 1. ubi dici potuit Esaiam vaticinatum esse, dicit Esaiam expli-

casse, *Sicut*, inquit, כתיב ומפרש *scriptum est & explicatum per manus Esaiæ Prophetæ*, & statim locum citat. Ergo hæc divinæ voluntatis revelatio prophetica haud incommodè ἐπίλυσις *explicatio*, seu *interpretatio*, dici possit, ut Scriptura prophetica dicatur ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεσθαι, *non fieri propriâ interpretatione*, quòd Prophetæ, interpretes divinæ voluntatis, non adhibuerint hîc consilium & mentem suam. Sensus itaque Petri Apostoli hic videtur esse, *Prophetas non suæ mentis sensum edidisse, sed fuisse interpretes consilij divini*, & sententia verborum est aperta, *Prophetas non suam, sed Dei mentem hominibus exposuisse.* Atque id tum antecedentia, tum consequentia ostendunt: Nam in antecedentibus Apostolus dixerat, *sermonem Propheticum esse firmiorem*, & laudarat suos quod sermoni Prophetico multum tribuerent. Iam verò rationem reddit unde fiat ut tantum debeant sermoni Prophetico tribuere, nempe, inquit, *scientes non esse illum sermonem ab interpretatione quæ proficiscitur ab uniuscujusque ingenio, prout hoc vel illo modo est affectum:* ut Apostolus hîc commendet reverentiam, quæ ab ijs debetur qui in Prophetarum scriptis versari volunt: Eos nimirum ante omnia illud oportet tenere, *Prophetarum oracula non esse humana commenta, sed divina mandata.* Consequentia verò idipsum probant, est enim ratio à priori, cur Prophetarum scripta non sint habenda pro scriptis humanis, quia nempe (inquit Apostolus) *Prophetia non est voluntate humana allata, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Nam qui cogitata mentis suæ proferunt in medium, ij id faciunt voluntatis suæ impulsu: Prophetarum conditio diversa fuit, nam divinitus afflati, & rapti extra se, prophetarunt.

Potest & alia reddi ratio cur hic prophetandi impetus, hæc vis ἐπίλυσις dicatur. Ἐπίλυσις enim non absurdè *missio* reddi hîc possit: nam qui in stadio cursu certabant solutis repagulis, quæ *Carceres* dicebantur, erumpebant ad cursum: Prophetæ autem *currere* dicebantur tanquam Tabellarij, aut Cursores, divinitus missi. Itaque illud sequitur, *non enim voluntate humana allata est olim Prophetia.* Ἐπίλυσις ergo nihil aliud videtur esse hoc loco quàm Dei dimissio Prophetarum ad prophetandum: tantisper enim desident Prophetæ, muti sunt, non se movent loco, donec Deus illis veluti carceres ad currendum aperiat. Itaq; *currere* in Scriptura dicuntur, *Cucurrerunt*, (inquit Ierem. 23. 21. & Ezech. 13. 6. 7.) *& non misi eos*, Græcè dicas, ἔδραμον καὶ ἐγὼ αὐτοὺς οὐκ ἐπέλυσα. (Tum & Vatum hic mos est, quod Diabolus, qui Dei simia est, in Vatibus suis mentitus est, muti sunt, os habent veluti clausum, donec accedat afflatus, quod videre est Ezech. 2. 15. 16. Itaque dicuntur *ijs ora resolvi*, sæpius apud Virgilium, & Lycophron in Cassandra,

ἔλυσε χρησμῶν, ὡς πρὶν, αἰόλον στόμα.

Inde est quod David petit *aperiri sibi labia.* Et Paulus Ephes. 6. 19.

ἵνα μοὶ δοθῇ λόγος ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος. Et Christus suos hortatur ut ne sint solliciti quid dicturi sint, *Dabo enim*, inquit, *vobis*, στόμα καὶ σοφίαν, Luc. 21. 15. Hæc verò est ἐπίλυσις quædam.) Huc etiam facit quod Petrus ait versu sequenti, quod non hominum voluntate ἠνέχθη ἡ προφητεία, *allata est Prophetia*, id enim verbi Cursoribus, qui ijdem Tabellarij sunt & *latores* litterarum, quales Prophetæ fuerant, propriè convenit. Tum & verbum φερόμενοι, quo ibidem utitur Apostolus, ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, ad Cursores etiam pertinet, quod ex profanis scriptoribus ostendi possit, & probatur ex Heb. 6 1. διὸ ἀφέντες τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον, ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα. Ibi enim verbo ἀφέντες allusit ad ἀφετήρια sive *Carceres*, unde incipiebant currere Cursores. Hæc igitur est Petri mens, *Prophetæ non à se, sed à Deo missi cucurrerunt; nec Scriptura Prophetica inde est profecta*, quod quis voluntatis suæ fuerit Interpres, quod non missus cucurrerit, quod os suum ipse solverit, sed quod acti sunt à Dei spiritu sancti homines, ab eo missi, ejusque afflatu os eorum veluti resolutum est.

Porrò Pontificij illud *propriâ interpretatione* eò referunt, ac si dictum foret ad distinguendam Ecclesiæ interpretationem à privatorum hominum interpretatione, quasi verbis illis significaretur, Scripturæ interpretationem non pendêre à privatorum hominum, sed ab Ecclesiæ judicio. At hoc interpretamentum neque scopo aut consilio, neque verbis Apostoli convenit. Nam Petri scopus hîc est, ut plebem hortetur ad lectionem Scripturæ Veteris Testamenti, Hortandi ratio hæc est, *quod sit candela lucens in obscuro loco*. Atqui pugnat cum hujus nomenclaturæ ratione obscuritas, & quidem ejusmodi, ut sensus haberi non possit certò nisi ex definitione & judicio Ecclesiæ. Quin potius Apostolus argumentatur (ut loquuntur Rhetores) à facili & utili, *Verbum Propheticum est candela lucens in loco caliginoso, itaque consulendum illud est.* Non est ergo Scriptura ænigmatica quæ interpretatione egeat, hoc enim repugnat isti consilio Petri, quod non est agere hoc loco de Interpretatione Scripturæ, sive ea sit Doctorum, sive privatorum hominum, sive etiam totius Ecclesiæ; elogium enim illud quo Scripturam ornat, *Candela lucens in loco caliginoso* necessitatem interpretationis respuit, asserit verò lucem & claritatem Scripturæ. Deinde illud οὐ γίνεται nulla mente, nullo, nisi absurdo & inepto, sensu dicitur, si hæc interpretatio, cujus Apostolus hîc meminit, auditorum est vel lectorum Sacræ Scripturæ, nam Scriptura non dicitur fieri interpretatione, si quis eam interpretatur, nimirum interpretatio non facit ut Scriptura sit Prophetica. Dura planè locutio hæc foret, quæque careat exemplo, ut ideò liber aliquis dicatur γίνεσθαι dum de libri interpretatione agitur. Sanè Scripturæ interpretationem non pendêre à judicio privatorum hominum, in se ve-

tissimum est, non hoc tamen hic spectavit Apostolus, ita enim loquitur ut ostendat unde sit Scriptura, nam vox γίνεται ortum significat. Tum etiam & illud accedit, quod ἐπίλυσις *interpretatio*, seu *explicatio*, non pertinet ad totam Scripturam (siquidem referatur ad eorum interpretationem qui ipsi non fuerunt Prophetæ) non enim tota Scriptura interpretationem requirit, qualis interpretatio voce ἐπίλυσις intelligitur, nam ἐπιλύειν *interpretari* quidem est, at non quidlibet, sed ænigmata & parabolas. Sunt sanè in Scriptura quædam ænigmata, ut visiones Propheticæ, quæ suas habent ἐπιλύσεις, verbi gratiâ, Ezechiel ait, *se vidisse ossa arida*, &c. cap. 37. hoc est ænigma, sed additur continuò, *ossa illa sunt domus Israël*, hoc est, ænigmatis illius ἐπίλυσις. Sunt etiam alia ænigmata quæ non habent ἐπίλυσιν suam adjectam, sed ea populum sine periculo latêre possunt, verbi gratiâ, Visio quæ exstat Ezechielis cap. 1. Sed quæ de moribus, de fide, & pœnitentia traduntur necessaria, ut est Lex Mosis, ut sunt Christi conciones ad populum, ea quidem egent interpretatione, at non eâ quæ dicitur ἐπίλυσις, quæ est ænigmatum interpretatio. Nam vel ipsis fatentibus Adversarijs, tota Scriptura non est ænigmatica, verbi gratiâ, quum Scriptura pręscribit bona opera, quum quænam illa sint indicat, nihil opus hîc est interpretatione, res clara est & manifesta, *non est adulterandum*, *non est furandum*, &c. Iam verò hîc agitur de interpretatione quæ toti convenit Scripturæ, dicit enim Apostolus πᾶσα προφητεία γραφῆς. Verùm etsi assecuti hoc forent Pontificij, agi hîc de Interpretatione quæ Scripturam sequitur, & qua Scriptura explicatur, res propterea statim non esset illis confecta. Nam *propria interpretatio* Scripturæ ea est quæ pro ingenio conficta est, non est ea quæ proficiscitur vel à Doctoribus, vel à privatis hominibus, dummodo non pugnet cum mente Spiritus Sancti: quemadmodum si quis negaret Aristotelis scripta esse *propriæ interpretationis*, nihil aliud vellet, quàm interpretem scriptorum Aristotelis non debere niti propriâ sententiâ, sed eâ quæ Peripatetica est, nam eo pacto quidvis affingi potest per ingenij lasciviam & petulantiam, quoties libet ludere in verbis, eáque pro libidine huc illuc flectere, torquere, ac depravare denique.

IN I. EPISTOLAM

D. IOANNIS.

CAPVT II. ℣. 1.

SI quis peccaverit habemus παράκλητον.] Syriacâ linguâ קטיגור & פרקליט opponuntur: & קטיגור quidem non quemvis accusatorem significat, sed, ut exponit R. Moses F. Maimon, est המלשין אדם למלך *qui aliquem calumniatur apud Regem*, quique Latinè *Delator*, Græcè συκοφάντης dicitur, Contrà פרקליט, quod formâ emphaticâ dicitur etiam פרקליטא est, Interprete eodem R. Mose F. Maimon, מלין טוב על אדם למלך *qui intercedit apud Regem in alicujus gratiam*. Vnde factum est ut in Scriptura, quomodo κατηγόρος nomen Diabolo tributum est, & quidem adjuncta hac eadem notatione nominis, ὁ κατηγορῶν αὐτῶν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, Apoc. 12. 10. sic contra *Paracleti* nomen Christo hîc tribuitur, quia pro pijs intercedit apud Deum, *si quis peccaverit*, παράκλητον *Advocatum habemus apud Patrem*, in Syr. est פרקליטא quod est notandum. Porrò, de hac voce vide jam quæ supra annotata sunt ad locum, Ioan. 14. 16.

℣. 19. ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, ἀλλ' οὐκ ἦσαν ἐξ ἡμῶν.] Hinc liquet eos qui à fidei professione deficiunt non fuisse verè fideles. Quod ut eludant Novatores, nonnulli eorum cavillantur, *egressum istum*, de quo hîc Apostolus, *non opponi mansioni in fide, sed legitimæ missioni*: quasi Apostolus hîc *ageret de illis qui legitimam missionem antevertentes currebant, ut Ierem. 23. 21. quomodo Act. 15. 24. quidam ex Apostolorum cœtu egressi dicuntur turbasse Ecclesias*. Sed mirum est valde si sic hic egressus opponitur legitimæ vocationi, non autem potius permansioni in fide. Nam ut *egredi è mundo* dicuntur non qui corpore, sed qui animo & affectibus à mundo segregantur: sic etiam *egredi è fidelibus*, ἐξ ἡμῶν, dicuntur qui doctrina & affectu à nobis se segregarunt, cùm se è nostris esse fuissent professi, sequitur enim continuò, *nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*. Est-ne vocationis ad munus quoddam major efficacia, quàm vocationis ad Christum? Tùm, *sed id factum est ut patefieret non omnes esse ex nobis*. Quæ erit horum verborum sententia? Num hoc voluit Ioannes, *qui nostri sunt semper unà nobiscum corpore tenus manent, qui verò corpore tenus discedunt à nobis, non sunt nostri?* Non

est credibile, imò absurdum, nam Apostoli à se mutuò discesserunt. Aut, an hoc voluit Apostolus, *Qui verè a nobis missi sunt, idem quod nos docent?* Mirum si major est constantia in vocatione ad munus, quàm in fide retinenda. Certè si quos Deus verè vocavit ad munus aliquod, ij id constanter & fideliter gerunt, pari ratione quos Deus verè vocavit ad fidem, fidem constanter retinebunt; sin hæc conditio incerta sit, pariter & illa.

℣. 22. οὗτός ἐστιν ὁ ἀντίχριστος, &c.] Hoc est, Pessimus ille est & desperatissimus. Locutio Spiritui Sancto familiaris, sic, *Avaritia est idololatria*, &c, *Qui suos negligit pejor est infideli.* Item, *Non parêre Deo idololatria est*, &c. Sic Galli avaros vocant *Arabas*, crudeles *Turcas*.

In I. EPIST. IOAN. Cap. V. ℣. *8.*

τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ.] Versus septimus parenthesi includendus est, & sextus conjungendus est cum octavo. Per *aquam* autem intelligitur nostri purgatio, per *sanguinem* expiatio, quæ, nisi per *Spiritum* nobis obsignentur, frustranea sunt, quo accedente, supra quàm credi potest prosunt, adeò ut hæc tria sint *unum* apotelesmate, quæ Christum pro nobis passum esse testantur.

℣. 19. ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται.] Hoc est, *Mundus est in potestate Diaboli*, phrasis enim Græca est, *in aliquo positum esse*, pro in alicujus potestate esse, Homer Odyss. A.

Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Quam phrasim nec Syrus nec Arabs expresserunt.

IN APOCALYPSIN.

CAPVT TERTIVM. ℣. *4.*

OTI ἄξιοί εἰσιν.] Hinc Pontificij adstruere volunt meritum de condigno. At verò infrà cap. 7. 14. scriptum est, *vestes istas albas ablutas & dealbatas esse in sanguine Agni.* Ergo-ne promeriti sunt fideles ut filius Dei sanguinem suum effunderet? Non puto ullum esse ex ipsis Pontificijs qui audeat id dicere. Quomodo ergo digni sunt? Nempe respectu impiorum, non enim exigit piorum opera ad normam Legis, sed eos cum impijs confert, atque ita aliquam in ijs agnoscit dignitatem, quę in istis non est. Vnde verò illa dignitas? nempe à sanguine Filij Dei quo abluti sunt.

℣. 5. ἐξαλείψω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκ τῆς βίβλου τῆς ζωῆς.] *Deleri à libro vi-*

ta nihil aliud eſt quàm damnari. Eſt autem antecedens pro conſequenti, ſumptâ formulâ loquendi ab eo quod fieri ſolet in vita communi: verbi gratiâ, quum deletur aliquis è catalogo civium juſſu Magiſtratus, ut eum damnatum ſciant omnes.

AD CAPVT XII. ℣. 10.

ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν.] Diabolus κατήγορος ideò hic vocatur quod pios apud Deum traducat, ut hic dicitur, *qui accuſabat eos ante conſpectum Dei noſtri die & nocte*; Cujus rei exemplum eſt in libro Iobi illuſtriſſimum. Tamen non Græcâ linguâ immediatè, ſed & Syriacâ ad uſum Scripturæ traductum eſt. Vide quæ ſupra dicta ſunt ad 1. Ioh. ℣. 1. ad vocem παράκλητος.

AD CAPVT XVIII. ℣. 4.

καὶ ἤκουσα.] Auditu ſcilicet Prophetico. Cæterùm auditus propheticus eſt duplex, vel enim oritur ab externa ſpecie, à ſpecie, inquam, extrinſecus objecta, ſed quæ tamen nullam habet cauſam phyſicam: Sic Samuel, jam tum cùm puer eſſet, excitatus à eſt Deo eum compellante; & is auditus, qui fuit ab eo ſono quem Iudæi vocant בת קול, propheticus fuit, ortus quidem ille à ſpecie ſenſibili & externa, ſed quæ tamen non proficiſceretur à natura Sed & eſt auditus propheticus qui non eſt à ſpecie extrinſecus objecta (qualis haud dubiè hic auditus fuit) ſed ab affectu quodam aurium præter naturam. Nam ſi ita res habet ut in gravioribus morbis ſic organa ſenſuum afficiantur, ut eos videamur audire ſonos qui extrinſecus nulli ſunt, inter prophetandum quid prohibeat idem evenire? hoc tamen diſcrimine, quod affectus ille aurium in Prophetis non eſt à morbo, ſed divinitus profectus. Itaque & valentibus contingit, & nullo morbo tentatis. Iam inter haſce duas veluti ſpecies auditus prophetici hoc diſcrimen eſt, quod quoties Prophetæ aures externa ſoni ſpecie feriuntur, ſiqui adſunt alij, auribus eundem audiunt ſonum: At quoties immediatè, ut ita loquar, non jam extrinſecus, ſed intrinſecus afficitur auditus inſtrumentum ſolus audit Propheta.

Ibid. φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ.] Quod teſtatur Ioannes ſe audiviſſe vocem è cœlo, cautè legendum eſt, nequis putet hanc vocem delatam cœlitus: Iungenda igitur ſunt iſta *vocem ex cœlo*, (non verò *audivi è cœlo*) eodemque ſenſu id accipiendum eſt ac illud Chriſti quærentis, *Nunquid Ioannis baptiſma eſſet è cœlo*; non enim quæſivit an Ioannis baptiſma eſſet è cœlo delapſum, ſed, an authorem habuerit cœleſtem. Atque hoc loco pariter, *vox è cœlo* vox eſt quæ cauſam habet haudquaquam naturalem, ſed divinam. Sic 1. Cor. 15. 47. Primus, inquit, *homo è terra terrenus, ſecundus, Dominus è cœlo*: Notat haud dubiè originem Chriſti hominis, qui è cœlo dicitur eſſe, non quod homo è cœlo ad nos deſcenderit,

cenderit; sed quod Spiritus Sancti ut humana natura coagmentata fuit, & coaptata divinæ naturæ.

Ibid. ἐξέλθετε.] Egressus in Scriptura animo, non modò corpori tribuitur, 2. Cor. 6.17: Heb. 13. 13: 1. Ioh. 2. 19 Id quod fit tribus de causis potissimum. Etenim magna intercedit cognatio & similitudo sensus & motûs corporis cum animi sensu & motu; id quod experiundo quilibet facilè potest perspicere, nam ut est corporis aversio, sic animi quędam aversatio est, quæ adeò se prodit sæpenumerò in ipso corporis habitu extrinsecus. Deinde, maximè in pietatis negotio, quæ animus aversatur & rejicit, ab eorum conspectu, & sensu ipso, corpus subduducit & subtrahit (nisi fortè conjunctum sit aliquid & veluti agnatum, quod animum teneat, ut quum filius patrem idololatram colit & reveretur non animo tantùm, sed & externis obsequijs, quæ filij præsentiam requirunt) certè quibus rebus haud inviti intersumus, ijs animum aut oportet delectari, vel certè minimè angi. Denique, usque adeò in Scriptura imbecillitati nostræ consultum voluit Deus, ut typis motuum corporeorum, & rerum in ipsos sensus incurrentium, significarit esse quandoque fugiendum, quandoque etiam appetendum; & quid fugiendum, quid appetendum sit. Atque in his typis est *excessus è Babylone*, ut ita dicam, corporea & materiali, typus scilicet excessus nostri spiritualis è Babylone spirituali & mystica, quam mentis oculis præcipuè cernimus. Porrò typorum hæc est ratio, ut quæ typis tribuuntur propriè & reverâ, eadem figuratè, & secundùm quendam modum, ipsi rei typo significatæ pariter tribuantur. Sic Apostolus Heb. 13.13. quoniam Christi egressus ex Hierosolymis, conjunctus ille summa cum animi demissione & constantia, quamquàm ad supplicium duceretur, typus erat nostræ illius spontaneæ renunciationis, quâ, perspectâ & agnitâ jam Christi bonitate & excellentiâ, nosmetipsos & sæculum abnegamus & ejuramus, perque contemptum, perque cruciatus, & omnis generis ærumnas, contendimus in cœlum, hunc animi motum Apostolus *egressum* vocavit. Verùm hic excessus non est animi tantum excessus, nam is est internus, & hujusmodi cujus solus Deus conscius sit, & verò ubique & semper necessarius, ut nimirum abhorreamus ab idololatria Babylonica, sed & externus est hic excessus, segregatio nempe quædam in ipsos sensus incurrens è Babylone, quæ nec ubique, nec omni tempore necessaria fuit. Etenim non statim natâ Ecclesiâ editum est hoc oraculum, neque verò statim initio tyrannidis Babylonicę, sed postquam hęc Tyrannis diu duravit; Nam revelationum Apocalypseos quædam series est ad temporum seriem accommodata. Et certè ut tacendi quædam tempora sunt, quędam itidem tempora loquendi, cùm tamen nullum mentiendi tempus sit: sic planè hìc se res habet, Quoddam fuit tempus in Ecclesia gemendi, latendi, nulla tamen fuerunt in Ecclesia

tempora simulandi. Ante id tempus fideles (quos Deus in captivitate illa Babylonica, tanquam λεῖμμα quoddam κατὰ τὴν ἐκλογὴν τῆς χάριτος, sibi servaverat) licet corpore, non sejungerentur à superstitiosis & Idololatris, affectu tamen à superstitione & Idololatria sejuncti erant; quod gemitibus, lachrymis & suspirijs suis satis testabantur, quibus statum Ecclesiæ sui temporis lugebant. Deus tum nondum viam illis recluserat, qua inde exirent, nondum locum, quò se exeundo reciperent, ipsis paraverat, denique nondum advenerat tempus à Deo constitutum & præfinitum, quo finienda & solvenda erat illa Captivitas. Quare quomodo non peccarunt Israëlitæ, quum Ægypto sese non moverunt priusquam eò missus esset à Deo Moses, neque item peccarunt quum Babylone non excesserunt ante exactas à Deo constitutas decem annorum hebdomadas. At quum Deus misso Mose populum suum ad libertatem vocavit, quum Cyri edicto potestatem ei fecit exeundi Babylone, qui ultro isthic substiterunt satis eo testati sunt, Ægyptiacam δεισιδαιμονίαν, & Babylonicam Idololatriam, sibi esse cordi. Ita planè priusquam Dominus tuba veluti illud intonasset, *Exite Babylone, popule mi*, clementer ferebat populum suum Babylone captivum, cumque in captivitate illa tutabatur atque conservabat: scelus tum non erat, sed miseria isthic manere. Sed post promulgatam libertatem, post editam illam vocem, *Exite Babylone*, post erectum Gentibus omnibus Evangelij vexillum, hærere adhuc Babylone, voci illi non auscultare, nolle aggregari & recipere se ad vexillum illud Evangelicum, scelus est, eoque satis testantur homines suave sibi esse manere Babylone, sesequé (saltem corpore & extrinsecus, si non animo, & interno cordis affectu) peccatis ipsius communicare; atque eos, qui sunt ejusmodi jure, manent plagæ quæ illi sunt à Deo præparatæ.

Iam verò si quis quærat, cur Deus non procuravit citius edi & audiri vocem illam, hoc verò est velle Deum in jus trahere. Idem olim primis Christianis à Iudæis & Ethnicis objectum est, idem ab ipsis quæsitum, cur Christus non citius facem Evangelij in Ecclesia sua accendisset? Cui quæstioni Paulus respondet, *Temporum plenitudinem nondum advenisse.* Item, Cur, Dominus Iesus Gentes ad sui cognitionem non citius vocaverit? Huic itidem quæstioni hoc unum respondet idem Apostolus Act. 17. 30. *Deum dissimulato tempore ignorantiæ omnibus jam denuntiare ut resipiscant. Deus* scilicet *tempora & opportunitates rerum agendarum in propria posuit, & habet, potestate*, Act. 1. 7. Non rarò contingit ut quibus impossibile est egredi urbe peste contaminatâ atque infectâ, isthic immunes à labis contagio serventur, non ideò tamen isthic hærebunt (si sapiunt) quibus facile est & promptum inde exire. Pastor interdum, necessitate adactus, gregem suum deducet

in ea pascua in quibus abundant noxiæ & insalubres herbæ; nempe satius est illud, quàm ut fame certò pereant, & contabescant oves ipsius. At si facultas illi datur gregem aliò deducendi, ubi nullum sit à noxijs herbis periculum, profectò non ideò renuet in salubri pascuo oves pascere suas, quod antea toxicato gramine non fuerunt exstinctæ. Id nobis in nostri gratiam est faciendum, quod ab illo Pastore fieri solet: nempe fidelibus non aliud suppetebat pascuum prҽter Ecclesiam Romanam, omnino hærendum illis & pascendum isthic erat. At ubi Deus salubriora reclusit pascua, væ illis qui ultrò scientes prudentes isthic hærent. Famis tempestate, quum rerum omnium inopia premimur atque angimur, tum quolibet temerè oblato, non vili modò, sed & sæpè noxio cibo vitam utcunque sustentamus miseram: at ubi soluta est fames, redijtque rerum omnium copia, siquis nihilominus pertinaciter ijsdem uti vult cibis, is sanè dignus est qui tandem miserè fame contabescat.

Ibid. ἐξ αὐτῆς.] Pronomen loco nominis, quod non videtur convenire; non enim adhibentur pronomina loco nominum, nisi in eadem oratione præcesserit nomen, quod hîc non est factum. Sed perinde se res habet ac si eadem oratio esset, quum plures orationes ita tempore junctæ sunt ut alia aliam statim sequatur. Id quod hoc loco contingit, hæc enim vox statim audita est postquam Angelum Iohannes audiverat clamantem, *Cecidit Babylon*, consequens enim fuit ut, imminente tam atroci supplicio, populus Dei meditaretur è vestigio exitum è Babylone.

Ibid. ὁ λαός μου.] *Populus Dei* dicitur eodem planè significatu quo Reges gentes sibi subditas *populum suum* vocant. Neque verò pertinet hæc appellatio ad quosvis homines indiscriminatim, quamvis sint pariter omnes ij in quos Deus jus habet & imperium, sed peculiari & certa quadam ratione is demum *populus Dei* dicitur, cum quo Deus fœdus contraxit, quique vicissim in verba fœderis juravit, Deo stipulante, populo verò accipiente conditionem. Id quod fit duobus modis, vel enim initur fœdus extrinsecus, Deo sensili quodam modò populum compellante, & pari ratione populo accipiente conditionem, ut quum fœdus legale cum populo Israëlitico contractum est. Sic verò efficitur quҽdam externa consociatio Dei & populi. Vel initur fœdus ratione quadam invisibili, interventu Spiritûs, & quidem tantâ efficaciâ, ut invisibili ratione pariter accipiatur fœderis conditio. Hҽc dicitur *inscriptio Legis in corde, in tabulis carneis.* Sic contrahitur cum fidelibus à Deo fœdus Evangelicum. Atque is demum populus, qui hanc ob causam *populus Dei* vocatur, dicitur *Iudæus in occulto*, quem scilicet certò & distinctè solus novit Deus; alter verò ille populus Dei Ἰουδαῖος ἐν τῷ φανερῷ *Iudæus in aperto* dicitur: etenim omnia habet ex-

terna atque obvia, nihil (quod quidem ad hujus appellationis rationem pertineat), in recessu. Quorsum respexit Apostolus Rom. 2. 28. Porrò relatio est quædam inter Deum & populum: nam populo quidem cum Rege, Regique vicissim cum populo, ut sit affinitas, & mutua quædam necessitudo, nemini obscurum est, & verò, eam ob causam, Deus in Scripturis & se vocat Regem, & vult à nobis eo nomine celebrari. Quæri igitur non absurdè possit, cur in contrahendo fœdere, hac potius formula *Ego ero Deus tuus*, quàm istâ *Ego ero tuus Rex* uti voluerit. Sed Responsio facilis est, etenim ipsum hoc *Dei* nomen emphasin quandam habet, quæ non in hoc modo sita est quod notat infinitam quandam essentiam, potentiam, sapientiam, verùm etiam beneficentiam, providentiam, curam. Itaque *Deus* non magnificentiæ magis quàm beneficentiæ titulus est & elogium. Itaque *populus Dei* dicitur non is in quem Deus exercet jus & imperium suum, sed qui Dei bonitatem peculiari quodam modo experitur, cui Deus providet.

Ibid. ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε, &c.] Solet Scriptura unam eandémque rem diversis verbis continuò significare: neque verò hæc Battologia est, sed potius venustatem habet & lucem, cùm significandi ratio sit diversa. Itaque disquirendum hîc venit, *An unum idemque utraque hac locutione, an verò altera aliud, aliud altera significetur*, hoc est, *idem ne sit hoc loco, participem esse peccati & pœnæ*. Certè peccatum in Scriptura pœnam peccati significat non rarò, Sic Cain queritur *gravius esse peccatum suum quàm ut ferat illud*; Et Christus dicitur *factus peccatum*, & Apostolus Heb. 10. 4. negat sacrificijs legalibus *tolli potuisse peccata*; Et Christus in cruce dicitur *bajulasse peccata nostra*, 1. Pet. 2. 24. Verùm hæc peccati significatio locum hîc non potest habere, duabus de causis. Nam primò, deterret hîc Deus populum suum *ne communicet*, qui voluntatis actus est. Atqui non est cur quisquam à subeunda pœna deterreatur, tanquam ab actu spontaneo & voluntario. Deinde, cùm pœna, quam denuntiat hic Deus, sit gravissima & extrema, non erat verendum ne eâ populus Dei involveretur, qui etsi, scilicet permixtus impijs, eadem calamitate extrinsecus implicitus sit & involutus, intrinsecus tamen immunis est. Sanè συγκοινωνεῖν *communicare* hic perinde usurpatur ut Eph. 5. 11. quo loco Apostolus pios hortatur, non jam ut ne effusis habenis obsequantur carnis libidini, sed ut ne quidem connivеant vel minimùm, aut verò etiam præsentia sua faveant, studijs profanorum hominum. Quæ hujus verbi significatio huic loco unicè convenit, non enim jam Deus populum suum hortatur ne Idololatrarum more furat & insaniat, sed ne præsentiâ suâ cohonestet veluti Idololatriam, rem non modò impiam, sed turpem & indignam præstantiâ naturæ humanæ. Nam certè συγκοινωνεῖν *communicare* verbum est dilutius, quam ut possit rem tam horrendam significare. Itaque Esa. 1. 23,

חברי גנבים κοινωνοὶ κλεπτῶν *socij furum*, litote est, quum minus dicitur amplius significatur; nam certè minus est socium esse furis quàm furem.

Ibid. καὶ] Καὶ non modò hîc conjunctivum est, sed vel præcipuè sequelam notat; Nam Dei sic est ingenium, ut non prius de pœna irroganda, quàm de peccato cogitet. Est igitur καὶ hoc loco illativum, ut Psal. 45. 12. *Quoniam est Dominus tuus, & adora eum*, hoc est, ideò adora illum. Sic hoc loco καὶ ἵνα μὴ λάβητε, hoc est, *ideóque ne accipiatis*, &c.


Ibid. ἐκ τῶν πληγῶν.] Phrasis est Hebraica מן חקחו מנגעיה. Cæterùm πληγὴ est Hebræorum נגע quæ vox non qualemcumque, sed gravem & intolerabilem, pœnam significat. Itaque Esai. 53. 8. sic habetur in Hebræo, *propter defectionem populi mei* נגע למו *plaga est illi*.

FINIS.



ALEXANDRI MORI
PRÆMONITIO
AD LECTOREM.

E *Multis quas comparatas habemus in hos libros observationibus, omninò paucas damus, neque verò quòd hæ reliquis præstabiliores ac eximiæ sint, sed quoniam calumniæ minùs opportunæ videntur, nec ità longâ indigent probatione, qualem non admittebat instituti ratio. Nè sic quidem effugiam, quin varia hominum experiar judicia, maximè sciolorum: quod est longè pessimum genus: Nam qui dixit,* Homine imperito, *dicere debuit,* semidocto, nihil est iniquius. *Eruditos autem omnes, qui utinam soli judicarent, & Iudices libenter & Magistros feram.*



ALEXANDRI MORI

AD QVÆDAM LOCA NOVI FOEDERIS NOTÆ.




ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ.] Non temerè factum quòd hoc nomen veluti proprium his designandis libris adhibitum est ab omnibus Ecclesijs ab antiquo. Sed an Apostolicis etiam temporibus? Hoc certè non efficit Iustini locus Apologiâ pro Christianis, quem à viro summo in hanc rem adduci video: *Οἱ γὰρ Ἀπόστολοι, ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν ἃ καλεῖται Εὐαγγέλια, οὕτω παρέδωκαν.* Isthoc enim ex loco vix aliud colligas licet, quàm ævo quidem Iustini nomen illud obtinuisse, non enim *ἃ ἐκλήθησαν*, dixit, sed, *ἃ καλεῖται*, nunc temporis. Ab Apostolis autem videtur ità dictus quilibet sermo de dogmate Christi, sive ore, sive manu proderetur, ut Matth. 26. 13. & 1. Cor. 15. 1. Nec aliter Paulus dixit *Evangelium suum* 2. Tim. 2. 8. ut patet ex 1. Tim. 1. 11. Quam in rem illustris est locus Clementis Apostolorum successoris in aurea quam Romanorum nomine scripsit ad Corinthios Epistola: *Ἀναλάβετε*, inquit, *τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου, τί πρῶτον ὑμῖν ἐν ἀρχῇ τοῦ Εὐαγγελίου ἔγραψεν;* At Nyssenus cùm Epistolam Ioannis *Evangelium* vocavit, peccavit, opinor, memoriæ lubrico, ut sæpè idem aliique Patrum. Nam ejus ævo nomen *Evangelij* ad quatuor hos libros usu Ecclesiæ restrictum liquet. Nazianzenus Nysseni *σύσχερον* dixit, *οἶδ.* atque adeò ipso Irenæi tempore *τετράμορφον* (ut à Chrysostomo postea *τετράθυρον*) Evangelium dicebatur. Patet hoc ex Irenæi loco lib. 3. c. 11. quem non visum hactenus nisi Latinè, sic repræsentamus, ut reperimus in codice MS. Biblioth. Medic. (cujus nobis perbenignè copiam fecit Magnus idémque Optimus Etruriæ Dux) in quo codice nondum edito varia: post librum autem Plutarchi de Musica sequitur aliâ, sed veteri, manu, *Τί δήποτε ἢ τε πλείονα, ἢ τε ἐλάττονα τὸν ἀριθμόν εἰσι τὰ Εὐαγγέλια; Ἐπειδὴ τέσσαρα κλίματα τοῦ κόσμου, ἐν ᾧ γινῶ-*

ἐσμὲν, καὶ τέσσαρα καθολικὰ πνεύματα κατέσπαρται καὶ ἐκκλησία ἐπὶ πάσης τῆς γῆς. ΣΤΥΛΟΣ ΔΕ ΚΑΙ ΣΤΗΡΙΓΜΑ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΤΟ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ. Καὶ πνεύματα ζωῆς εἰκότως τέσσαρα ἔχειν αὐτὴν, στύλους πανταχόθεν πνέοντας τὴν ἀφθαρσίαν, καὶ ἀναζωπυροῦντας τοὺς ἀνθρώπους. ἐξ ὧν φανερὸν, ὅτι ὁ τῶν ἁπάντων κριτὴς λόγος, καὶ καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβὶμ συνέχων ἅπαντα, φανερωθεὶς τοῖς ἀνθρώποις, ἔδωκεν ἡμῖν τετράμορφον τὸ εὐαγγέλιον, ἑνὶ δὲ πνεύματι συνεχόμενον, καθὼς ὁ Δαβὶδ αἰτούμενος τὴν παρουσίαν αὐτοῦ φησι τετραπρόσωπα, καὶ πρόσωπα αὐτῶν εἰκόνας τῆς πραγματείας Θεοῦ. τὸ μὲν γὰρ πρόσωπον πρῶτον ὅμοιον φησι λέοντι, τὸ ἔμπρακτον αὐτοῦ καὶ ἡγεμονικὸν καὶ βασιλικὸν χαρακτηρίζον· τὸ δὲ δεύτερον ὅμοιον μόσχῳ, τὴν ἱερουργικὴν καὶ ἱερατικὴν τάξιν ἐμφαῖνον· τὸ δὲ τρίτον ἔχον πρόσωπον ἀνθρώπου τὴν κατ' ἄνθρωπον αὐτοῦ παρουσίαν φανεροῦται διαγράφον· τὸ δὲ τέταρτον ὅμοιον ἀετῷ πετομένῳ, τὴν τοῦ πνεύματος ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν ἐφιπταμένου γνῶσιν σαφηνίζον· καὶ τὰ εὐαγγέλια οὖν τούτοις σύμφωνα, ἐν οἷς ἐγκαθέζεται Χριστός· τὸ μὲν γὰρ κατὰ Ἰωάννην τὴν ἐκ τοῦ Πατρὸς ἡγεμονικὴν αὐτοῦ καὶ ἔνδοξον γενεὰν διηγεῖται, λέγον. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος· τὸ δὲ κατὰ Λουκᾶν, ἅτε ἱερατικοῦ χαρακτῆρος ὑπάρχον, ἀπὸ Ζαχαρίου ἱερέως θυμιῶντος τῷ Θεῷ ἤρξατο· ἤδη γὰρ ὁ σιτευτὸς ἑτοιμάζετο μόσχος ὑπὲρ ∴ ∴ ∴

∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴ ∴

παιδὸς μέλλων θύεσθαι· τὸ δὲ κατὰ Ματθαῖον τὴν κατ' ἄνθρωπον αὐτοῦ γέννησιν ἐπικηρύττει, λέγον, Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ Δαβὶδ καὶ Ἀβραάμ· τὸ δὲ κατὰ Μάρκον ἀπὸ τοῦ προφητικοῦ πνεύματος τοῦ ἐξαί[illegible]ς ἐπιόντος τοῖς ἀνθρώποις τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο, λέγον, Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ· καὶ γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ἡσαΐου τοῦ προφήτου. Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ λόγος τοῖς θνητοῖς, &c. Hactenus Irenæus. Porrò *Evangelij* nomine nullum aptius rebus gestis & doctrinæ Christi. Nam primò bonus hic nuntius rectè opponitur τῷ משא veteris Legis, quæ mala denuntiabat. Deinde hâc voce non modò usi erant LXX. pro læto nuntio 2. Sam. 18. 22. 25. sed etiam Ioel. 2. 32. בשר εὐαγγελίζεσθαι reddiderant, nec-non apud Davidem Psal 90. 2. & Esaïam 61, 1. Quibus locis describitur Messiæ salus & bonum nuntium pauperibus annuntiandum. Accedit quod promissio Messię sub Lege vocabatur ἐπαγγελία, docente Paulo Gal. 3. 18. Proclive igitur atque consentaneum fuit, ut implementum promissionis εὐαγγέλιον diceretur: atque adeò cùm vox ἐπαγγελία sumatur apud LXX pro ipso libro promissionum, (nam Psal. 56. 9. quod est in Hebræo בספרתך *in libro tuo*, redditur à Græcis ἐν τῇ ἐπαγγελίᾳ σου) quid erat convenientius, quàm ut εὐαγγέλιον vocaretur ipse liber impletæ promissionis & boni nuntij? Certè Patres ἀγγελικὴν (sic enim vocant) ἐπιστολὴν, διὰ χειρὸς, opponunt τῇ κηρυκικῇ, διὰ γλώττης. At Evangelium æquè ore annuntiatum atque manuscriptum, ita rectè dici constat ex Angelo primo Evangelista. Luc. 2. 14. tum ex Iohanne Baptista, & ipso Christo, qui nihil scripsere: dicuntur tamen εὐαγγελίζεσθαι. Luc. 3. 18. & 4. 18. Id est rem lætam pariter & novam, remissionem peccatorum, & adventum regni cœlestis annuntiare.

Ἡ ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ.



NOTÆ AD MATTHÆVM.

KATA' Ματθαῖον, *Secundùm Matthæum.*] Latini Patres interdum *Evangelium* κατὰ *Matthæum*, quia tam breviter quàm Grȩci sensum eundem reddere nequeunt. Itaque rectè Arabs כמא כתב מאר מתי *Prout scripsit D. Matthæus*: quod Latini non assequuntur, cùm dicunt, *juxta*, vel, *secundùm Matthæum*. Evangelium hoc à Matthȩo Hebraicè scriptum esse traditum est veteribus: nulla est autem invicta ratio quæ dissuadeat. Sed an primò scriptum inter quatuor? Nam & inter Epistolas Pauli, ea ad Romanos, quæ primum obtinet locum, primò omnium scripta non est, ut apud omnes constat. Nec desunt, qui Lucam primò scripsisse arbitrentur, non aspernandis rationibus adducti. Horum verò sententiȩ nihil obstat, quòd Lucas, ubi res easdem, quas Matthæus & Marcus commemorat, ijsdem quibus illi verbis utitur. Dicent enim non minus facilè fieri potuisse ut illi verba sequerentur Lucæ, vel ut Matthȩus sequeretur Lucam, deinde Marcus Matthȩum. Equidem cùm attentiùs considero limen illud Evangelij secundùm Lucam, vix est ut mihi persuadeam eum tali usurum fuisse proœmio, aut de ijs quotquot ante se scripserant, locutum fuisse tam incuriosè, si tum extitisset qua-

le nunc habemus Græcè non Marci modò, sed Matthæi Evangelium. At Patres unanimi propemodum consensu repugnant. Licet enim Tertulliano id *credibile* tantùm, nemo tamen eorum est, qui Matthæum primò scripsisse inficietur? Quid igitur si quidem Hebraicè scripsit Matthæus, verissimile admodum putem, principem quidem eum, sed Hebraicè scripsisse, anno, ut proditum est memoriæ, post Domini Ascensionem in cœlum octavo: at ejus Græcam interpretationem divini Spiritûs instinctu perfectam esse aliquot pòst demum annis quàm Evangelium suum Lucas conscripserat. Qui Lucas meritò jam præfatur ideò se scribere, ut Theophilus homo Græcus ἀσφάλειαν consequeretur eorum quæ didicerat inaudieràtve: Nempe cùm nondum Grçcè Matthæus legeretur, & Marcus vel nondum scripsisset, vel compendiosior videretur, multa verò Evangelia non sincera; sed variè interpolata volitarent. Scripserit ergo Matthæus potissimum Iudçis Hebraicè, quorum in patria multos per annos vixerat? Marcus potissimum Romanis, qui ferè omnes Græcè sciebant; Lucas Theophilo potissimum & Græcis; nam & hujus sermo magis Grçcus est; Ioannes pariter omnibus, quòd jam ab hæreseos labe periculum esset universis Ecclesijs.

MATTH. *Cap. I.* ✠. *1.*

Βίβλος γενέσεως, *Liber generationis.*] Sicut Ioannes Evangelij sui capit exordium ab imitatione Mosis manifestissima, Ἐν ἀρχῇ, Matthæus pariter hæc prima Evangelij sui verba mutuatur ex Geneseos capite 5.1. ספר תולדות, LXX. Βίβλος γενέσεως, id est, *Genealogia.* Nam & ספר per λόγον reddiderunt interdum ijdem Interpretes Grçci. Nec malè *catalogum* dixeris. Non modò Scripturç duobus locis, sed hodiè à Iudæis etiam vulgò *liber* vocatur formula repudij, quæ duodecim versibus absolvitur. Vnde גט dictus, quia hæ duæ litteræ in numero valent 12. nequis miretur *librum* vocari stemma Christi perbreve. Porrò in hoc Domini stemmatç multa perplexa sunt ac propemodum inexplicabilia, quibus solvendis expectandus est Elias. Nam ea contemnimus quæ sunt à Scriptoribus Ecclesiasticis allata. Velim tamen doceri cur Damascenus, Fidei Orthodoxæ lib. 4. c. 15. ubi ex stirpe Nathan Beatissimæ Virginis originem deducit, dicat Levi genuisse Melchi & Pantheram, Pantheram autem genuisse Barpantheram, Barpantheram iterum genuisse Ioachim, Ioachim denique genuisse sanctam Dei genitricem. Quorsum hic Pantherç, ac Barpantheræ mentio? cùm prçsertim Iudæi hodierni de Putherâ, sive Pandere, aut Pandeira nobis narrent infanda. Qualia Celsus apud Origenem, ἀπό τινος Πανθήρα τὔνομα, &c.

Quem ait fuisse militem, solus, inquam, Celsus, quod quidem sciam, qui & solus πανθήρα, quem alij Pantherem vocant. Ridendus autem

ſcriptor, qui multis probat contra Celſum, ex panthera & homine nihil generari poſſe. Quaſi de fera hîc agatur, cùm Panther Iacobi primùm, qui Ioſephi Pater, deinde Ioſephi cognomen fuerit ſi fides Epiphanio. Mirum profectò cur tanti viri, ſpretis fontibus ſacris, haurire maluerint ex lacunis Talmudis, aut hæreticorum colluvie. Quod Iulianus deſertor hic facere omiſit, non omittere ſolitus, ſi quid ad nominis Chriſtiani dedecus torquere potuit. Nec minus mirum quod eorum qui ſequuti ſunt Epiphanium ac Damaſcenum nemo id animadverſione ſua dignum judicaverit. Equidem perſuaſum habeo ſimile aliquid antiquis Patribus contigiſſe, ut illud eſt quod ætate noſtra factum ſcio ijs in locis, ubi Iudæi tolerantur ea lege ut ſemel intra annum Chriſtianorum ſacræ concioni ſtato & ſolenni die interſint. Cujus hæ partes erant Eccleſiaſtes Chriſtianus non niſi leviter tinctus Hebrȩæ linguæ notitia, Iudȩum hominem pecunia corruptum conſuluit, rationes petens ab adverſario quibus noſtrum dogma confirmaret, oravit miro applauſu non tamen ſine verbis. Cujuſmodi ſi quis negat eum ritui & commercio Iudȩorum adhȩſiſſe; doceto igitur, cur ille ingenio dubium an doctrina major, nec jam Epiphanium aut Damaſcenum dico, ſed Hieronymus toties ludos in re omnium maximè ſeria fecerit? Quod ſalvo, qui tanto Viro debetur, honore dictum velim. Sed & Epiphanius de Ioſepho ἦν δὲ υἱὸς τοῦ Ιακὼβ, ἐπίκλην Πάνθηρ καλούμενος. Hȩr. 79. Mirum profectò nihil tale apud Africanum legi, qui περὶ συμφωνίας τῆς ἐν Εὐαγγελίῳ γενεαλογίας initio tertij ſȩculi ſcripſit, nihil apud Iulianum, qui tamen contra Chriſtum contumelijs non pepercit. Verum non diffiteor quod alij notarunt, non fuiſſe nomen, ſed cognomen Ioſephi & Iacobi; ſed idem inficior quod adijciunt à Iudȩis Ioſephum intelligi, quoties *Mariam cum Panthere concubuiſſe* calumniantur: Hȩc enim calumnia Iuliani & aliorum fuit, πρὶν ἢ κυηθῆναι. At Iudȩi, pro eo ac varium ſemper mendacium eſt, contra fingunt non ex Ioſepho qui Panther dictus, natum Ieſum: ſed cùm Pandere ſive Pandeira neſcio quo, cui nomen contigiſſet affine admodum Ioſephi cognomento, itaque Panderis illius fuiſſe filium qui Pantheris credebatur, hoc eſt Ioſephi, nempè ut novo putidóque commento ſi minus fidem adſtruerent, certè gratiæ nonnihil conciliarent, ex ejuſmodi συ[illegible]ρείᾳ.

℣. 18. Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς, *Antequam convenirent*]. Aliud eſſe συνελθεῖν aliud συνοικεῖν, docet Ioſephi locus malè redditus à Gelenio ſæpe dormitante, lib. 4. cap. 8. Γυναικὸς τῆς συνοικούσης βουλόμενος διαζευχθῆναι καθ᾽ ἧς δήποτοῦν αἰτίας πολλαὶ δ᾽ ἂν τοῖς ἀνθρώποις τοιαῦται γίνονται· γράμματι περὶ τοῦ μηδέποτε συνελθεῖν ἰσχυριζέσθω· λάβοι γὰρ ἂν οὕτως ἐξουσίαν συνοικεῖν ἑτέρῳ id eſt; *Qui vult à conjuge ſejungi quacunque de cauſa, quales multa hominibus non deſunt, ſcripto ſanciat ſe non amplius cum ea rem habiturum. Sic enim poteſtas ei fiet alterum ſibi conjungendi:* Συνελθεῖν ergo

respondet τῷ בוא Hebræorum, nec domum ductionem significat modò. Vide 1. Cor. 7. 5. Latinè *convenire* Terentio & Plauto res ea dicitur. Vide & Ciceronem ad Pœtum Epistolâ, cujus initium *Amo verecundiam*· Arnobius, *Gignendis conveniunt liberis*. Quod εἰσελθεῖν apud LXX. de viro, hîc συνελθεῖν de conjugibus dicitur.

℣. 19. Παραδειγματίσαι, *Traducere*.] Dictionarium Ecclesiasticum optimæ notæ in Biblioth. Florent. Στηλιτεῦσαι, δημοσιεῦσαι, παραδειγματίσαι· hoc est, *traducere*, *fama objectare*. Cui opponitur illud ἀπολῦσαι λάθρα quod sequitur. Apud virum æquum, & ἐπιεικῆ pluris est decus pudoris quàm ipsa vita Virginis. Hâc quidem nomenclaturâ mors interdum, & ultimum supplicium designatur, sed ratione infamiæ: Nam qui cadunt in bello quanquam cæteris exemplo præeunt, δειγματίζεσθαι non dicuntur. Vix aliud hîc est, παραδειγματίσαι, atque δειγματίσαι, Col. 2. 15. quod Hilarius lib. 9. vertit *ostentui esse fecit*, Augustinus lib. de agone, *exemplavit*, Novatianus lib. de Trinit cap. 16. *dehonestavit*. Nec aliter Arabs hoc loco, אן ישהרהא *Noluit eam divulgare*, hoc est, ejus opprobrium publicare: nam & vox eadem Arabibus significat, impositum camelo sontem traducere per vicos urbis: qui mos est gentis etiam hodierno die.

℣. 23. Ἰδοὺ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει, *Ecce Virgo concipiet*.] Sæpe miratus sum Iudæos vim facere in illo Proverbiorum loco, ubi dicitur noscitari non posse viri vestigium super עלמה· ut probent intactam hoc vocabulo non semper designari. Alia enim est Virgo ἐν τῷ φαίνεσθαι, alia ἐν τῷ εἶναι, ut Philosophus loquitur; alia in sensu diviso, alia in sensu composito, ut loquitur Schola. Salomon priori, posteriori Esaias & Matthæus intelligi debent. Sicut, nostrates & alios omittam, Latini, *Virgo imminuta*, sic Græci Παρθένος· Homerus de Astyoche, & ut Virgilius de Pasiphaë, quæ jam pepererant. Et *Partheniį* dicebantur olim pueri ex clandestino concubitu nati, quoniam quæ ipsos erant enixæ, pro virginibus habebantur. Hesychius; Παρθένιοι, οἱ ἐξ ἀνεκδότων λάθρα γεννώμενοι παῖδες, ἀπὸ τοῦ δοκεῖν ἔτι παρθένους εἶναι τὰς γεννησαμένας αὐτούς. Omninò igitur idem significant עלמה Hebræis, & Παρθένος Græcis. Nec minùs constaret sensûs ratio, si dixisset Salomon: Nosci non posse viri vestigium super בתולה *virgine*, postquam delibata est: quod ità rectè dici posse neminem Iudæorum negaturum arbitror. Quid si scripsisset Esaias, non עלמה, sed בתולה? putásne fore ut Iudæi acquiescerent? Iam dicerent, intelligi quæ Virgo fuerat; ut Hierosolyma dicitur *Sancta Civitas*, postquam talis esse desijt & ut cœci videre dicuntur. Omninò igitur ut satisfieret eorum pervicaciæ ab Esaia scriptum oportuit, *Ecce Virgo permanens virgo pariet, ut ante, sic post partum Virgo*. Quod jam propheticum oraculum non esset: nam prophetia omnis ex parte est. At nè sic quidem satisfieret populo indomitæ cervicis. Hoc enim esse miraculum agnoscerent: at non uni Iesu proprium,

ſed quod aliàs contigiſſet. Nam ejuſmodi jam ſibi comparârunt effugium: quippe referunt ut à Gentilibus traditum, regnantibus Grȩcis ac tempore tribuum, virginem quandam cui nomen Eſchtoniphos, duos peperiſſe filios, & manſiſſe virginem ante & poſt partum בתולה קודם לידה ואחר לידה, ut ex ספר יוחסין vir doctiſſimus aperuit. Adeo nihil prȩdictum eſt, ac ne prȩdici quidem potuit à Prophetis vocibus ità diſertis, ut non earum vim declinare queat animus improbè contumax, donec ei reveletur Domini brachium. Ad rem ipſam quod attinet, apparet Prophetam indignabundum loqui, nec ſignum dare quale obtulerat, vel quale daturus fuerat Achazo, ſi morigerum ſe præbuiſſet; ſed partim ſimplicius & magis obvium quàm pro ejus libidine, partim ſublimius & μυστικώτερον quàm pro ejus captu. Nec merebatur increduli Regis tanta protervia ut amplius de confirmando ejus animo Propheta laboraret. Pios igitur Davidicȩ domus potiſſimùm reſpicit. *Nec è terra, nec è cœlo ſignum vult Achazus*, inquit; *habetote tamen vos & ex terra & ex cœlo, ex Virgine naſciturum Emmanuelem, qui hominem Deo, terram cœlo conjungat.* Quamvis autem concederemus quod à quibuſdam Chriſtianis conceditur, hȩc omnia ævo Prophetæ quadamtenus contigiſſe, non tamen propterea laboraret Evangeliſtæ fides. Typus enim neceſſariò admitti debet. Alioqui nihil eſſet frigidius hoc ſigno, ſi tamen ſignum eſſet. Nam Virginem, quæ talis eſſe deſijt, concipere, non eſt novum, neque inſolens. Filij etiam partio res eſt conjecturæ: præſertim verò nomen imponendum huic filio commemorare ſupervacaneum videretur. Nam ſive Achazi filius fuit, potuerit Achazus aliud imponere nomen, ut illuderet Prophetæ: ſive fuit Prophetæ filius, quorſum prædiceret velut magnæ molis opus & prodigij partem, quod ab ſua deſtinatione arbitrióque pendebat? Διασυρτικῶς loquitur, & ſanctâ perſtringit Ironiâ pertinaciam Regis inſanabilem. Non vis, inquit, quale offertur; dabitur, quale non vis, hîc Meſſiæ ſignum, ut in Evangelio Ionæ. Quia verò verba illa, *Ecce virgo concipiet*, &c. illuſtriora & planiora multò erant quàm ferebat modus œconomiæ propheticæ (nam ſi ſola fuiſſent, quid clarius dici poterat?) ſtatim revolvitur ad ſua tempora, & mel ac butyrum cæteráque adjicit, quibus, tanquam velo liquidius illud manifeſtiúſque lumen obnupſit. Quamvis igitur totum id olim fuiſſet ὡς ἐν τύπῳ geſtum & nonnihil adumbratum, tamen in eo ſignum fuiſſet nullum, ſed periphraſis. Nam Propheta dicturus domum Davidicam liberatum iri non ità longo pòſt tempore, atque intra tot annos, quot annis opus eſt ut puellus bonum à malo diſcernere queat, non hoc ità nudè ſimpliciterque dicit; ſed exempli loco puerum adducit Regi, vel ſibi natum, vel naſciturum, ſimul & ejus nomen & alimenta deſcribit: quæ res tota prodigio caret, niſi Matthæum audimus. Ecce ſignum, inquit, cui contradicitur, planè per-

fectéque consummatum, & summo verissimóque sensu: Virgo concepit & peperit Emmanuelem, quod antea nec visum nec auditum, sed prævisum & prędictum, & in imagine quadam rudi depictum. Butyri verò & mellis pastum, & si quæ alia satis propriè conveniunt in illum Esaiæ puerum, omittit, ut absque involucro, & nube remotâ, purissimus illustris oraculi splendor eniteat. Sed an signum esse potuit antequam res esset? Planè ut Apostolus, Rom. 8. *Qui dedit filium, non dabit omnia cum eo?* Pariter Propheta, *Qui daturus est ex Davidica domo Virginis filium, non propter eum liberabit domum?* Sed hoc signum Achazo pro nullo, credentibus pro maximo fuit; quod nunc sive dictum, sive factum Prophetæ respexeris, penitus impletur. Vide quæ dicentur ad Ioan. 12. 40.

MATTH. Cap. II. v. 15. 17. 23.

Ἵνα πληρωθῇ, *Vt impleretur.*] Non sunt vexanda loca in quibus hæc legitur formula, *ut impleretur*, quæ non rarò verti debet, *ità ut impleretur*: quod clarum est Psal. 51. 6. Theophylactum omnino vide ad Ioan. 9. 3. Formulam, dixi, quod ità sæpè reperiatur in Iudæorum scriptis, ut nihil sit solennius. Vnde πρὸς ἄνθρωπον, ut Aristoteles loqueretur, adhibita videtur interdum à Domino cum ijs disputante. Nobis igitur si quid hîc fortè negotium facessit, non poterat, certè non debebat, Iudæis facessere, assuetis huic methodo, juxta quam, non viâ demonstrationis argumenta instituebant, qui mos est Scholarum nostrarum, Iudæis propemodùm incognitus; sed viâ mysticæ interpretationis meras allusiones captabant, ex συντυχίας & similis eventus observatione, quod nostrates vocant *Rencontres*, & in eorum scriptis passim occurrit. Quocirca Dominus quoties cum ijs pariter agit per συγκατάβασιν, & dicit, *ut impleretur quod scriptum est*, non continuò accurata rei demonstratio ibi quærenda est: interdum enim non tam probat rem, quàm depingit, nec tam syllogismo convincit quàm percellit animum admirabilitate similitudinis quæ cernitur in eventu præsenti cum oraculo veteri. Quod Iudæis, quibus hoc differendi genus familiare fuit, satis esse debuit, aut nihil satis esse potuit. Nam in eo genere nihil est perfectius, nihil admirabilius, quàm sacræ illæ allusiones quibus Dominus utitur; cùm illi suis in scriptis plerumque sic alludant ad loca Scripturæ, ut Lectori videantur illudere; cujus exempla rei non pauca reddemus alibi. Nos autem Christiani, quibus adest Spiritûs demonstratio, & certam fidem facit ex directè probantibus, & clarissimis quibusdam locis, non mediocre capimus gaudium, nec parùm confirmamur in fide, cùm accedere videmus undique, licet non æqualis momenti, præsidia, & velut agglomerari cùm apodictica, tum probabilia; quemadmodum scintillæ

eum flamma simul emicant, & Lunæ dominantis purissimum lumen sidera minora comitantur. Nam quæ vix persuaderent singula, conjuncta cæteris μεγάλην ἔχει ῥοπὴν, ut loquitur Polybius. Quisquis igitur in Scriptura, præsertim Prophetica demonstrationes Mathematicas quærit, quas ἡ ὑποκειμένη ὕλη respuit, facit intelligendo nihil ut intelligat. Nec minùs peccant qui ex uno aliquo argumentantur loco. Instruenda quędam velut acies ex tot illis in unum coactis in quibus Messias describitur: Nam cùm omnia, minima, maxima, de Messia prædicta impleantur in Christo, quis eum dubitet esse Messiam? Hæc enim unica demonstratio est per totum Evangelij diffusa corpus; In quo umbræ ac Prophetiæ veteres universæ implentur, verus est Messias. Quoties igitur se aliqua dat occasio implementum illud ostendendi, etiam in rebus minutis in speciem, aut minùs claris, non omittunt eam Scriptores sacri.

℣. 15. Ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου, *Ex Ægypto vocavi filium meum.*] Hunc locum aptat Alexandrinis Ægyptijs Nazianzenus, Orat. 24. in Ægyptiorum adventum: Καὶ νῦν ἀκούειν δοκῶ μοι λέγοντος τοῦ Πατρὸς, Ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου· ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος πρὸς πάντας ἀνθρώπους. Quanto potiore jure Matthæus Christo adhibuit quod Propheta de populo tantùm suo videbatur dixisse, qui populus imago Christi fuit? Quod Pharao Israëli, fuit Herodes idipsum Christo. Quæ verba Deus cum Mose fecerat Exod 4. 19. eadem Angelus Iosepho reddidit Matth. 2. 20. Apprimè autem respondet cædes puerorum Israëlitarum, ex edicto Pharaonis, Bethlemitarum infanticidio. Itaque continuatur allusio adducto altero illo loco mirè pathetico, sed in quo mera est Parodia. Impleri tamen dicitur, ut in alijs, id de quo locutus erat Ieremias Propheta, dicens, *Vox audita est in Rama.* Est igitur interdum *impleri,* denuo locum habere, aut, majori cum ratione dici posse. Non absimile licet in absimili materia, illud Arminij apud Tacitum, *En, Varus & eodem iterum fato victa legiones!* Annal 1. 65. Quâ disserendi viâ & ratione nihil solennius apud Iudæos etiam hodiernos.

℣. 23. Ναζωραῖος κληθήσεται, *Fore ut Nazarenus vocaretur.*] Non modò tempora, sed etiam loca diligenter hoc capite notat Matthæus ad Christum spectantia: Locum nativitatis, Bethleem: locum exsilij, Ægyptum; locum infanticidij propter Christum, non ita procul à Rama; denique locum educationis, Nazarethum: & in singulis alicujus Prophetiæ implementum annotat. Hæc autem desumpta est ex varijs hinc indè Prophetis, & quidem *sensu* non *sono,* ut veteres loquuntur; quæ hîc impleta legitur non tantùm *sensu,* sed etiam *sono.* Nè nomen quidem Nazaræi defuit ei, de quo prædictum erat eum revera fore Nazaræum. Quanquam dictum à Prophetis, non scriptum esse potuit; vel scriptum in libro quo Deus Ecclesiam orbavit: quale est illud Christi Act. 20. 35.

Quod si res est, putem non aliud hoc dicto significatum, quàm Nazarenum vocatum iri Messiam per contemptum & contumeliam, tanquam esset homo nihili: quæ vis huic voci subest, ut colligas ex Ioan. 1. 46. Nihilo tamen minùs Iudæi cęco studio abrepti, Nazarenum vocant Christum, id se facere meritò jactantes, & citra contumeliam, certè absque mendacio, quoniam ex Nazaretho verè prodijsset alterâ patriâ. Scilicet tanti putârunt aliquid afferre, quo Christus videretur non esse Messias. Verus, inquiebant, Messias falsò, non verè, ut hic dicetur Nazarenus. Quòd si Christus id nomen ultrò sibi sumsisset ea, res multò minus ponderis habuisset, quàm cùm ab ipsis adversarijs aliud agentibus imponitur. Sicut autem nova falsò dicebatur doctrina Christi, quam interea qui secuti sunt hoc titulo, sed aliter intellecto, insignire non dubitarunt, utpate t ex Evangelij & Novi Fœderis appellatione: ità cùm Christus malitiosè Nazarenus diceretur per ludibrium, quòd idem Messias, idem oriundo Nazarenus non posset sive Nazarethanus, rapiunt illud in meliorem partem Evangelistæ οἰκονομικῶς, & dextrè interpretatum adeò non repudiant, ut aptent instituto suo: non quidem arripientes omen, ut Ethnici, nec læva detorquentes eventa in melius callidâ εὐβουλίᾳ, ut ille cùm cecedisset, exclamavit, *Teneo te, Africa*, sed instinctu divini Spiritûs, & conscientiâ providentiæ illius, quæ feliciter abutitur hominum pravè factis ac dictis, ipsa convitia trahendo in argumentum veritatis. Nazarenus autem convitium erat, præsertim ubi de eo ageretur qui se Messiam ferret, jam olim pervagatâ & inolitâ opinione, nec Prophetam ullum nec omnino quicquam boni ex Galilæa oriri posse. *Nazarenus vocabitur*, est. vile caput habebitur; quod jam & quoad sonum implent imprudentes Iudæi. Christus autem revera vilis despectúsque fuit, & talem esse ac dici fuit inter characteres Messiæ prædictum αὐτολεξεί sub illis verbis, *Nazarenus vocabitur*, ore aut libro non exstante Prophetæ alicujus, ut non injusta suspicio est; atque adeò in varijs Prophetis, Esaiæ inprimis 53. quoad rem ipsam. Nec ratio aptior afferri potest cur Christus Nazarenus cognominatus sit, non modò à Pilato in Crucis titulo, & à Diabolo, sed etiam ab Angelo, & à se ipso: Galilæus verò à suis nunquam. Accessit tamen quòd hæc vox nonnihil inflexa sortitur significatus alios dignissimos Christo; ut *sanctificantis seipsum*, & *principis fratrum*, & id genus alios: quapropter eam Christiani libentiùs admiserunt. Porrò in Matthæi verbis contractioribus post illa: *Et cùm eò venisset, habitavit in oppido dicto Nazareth*, supplenda hęc sunt (*id quod locum dedit Iudæis eum vocandi Nazarenum*;) atque ità quod prædictum erat à Prophetis, impletum est, Quòd vocandus esset Nazarenus. Absque tali enim occasione támque oportuna cavillationi, numquam eum ità vocare instituissent Iudæi, gnari prædictionis illius. Non placet autem in hac voce anxiè disputare de litteris ר & ז, & א & ע, ו & י.

κ & ι. Rectissimè dictum Synesio, Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐχθρὸς μικρολογίαν συγγραφικήν. Non amat nimiùm diligentes. Quæ Græcæ consuetudini traduntur vocabula in ijs mitigari solet durities & peregrinitas, mutatione interdum levi, tantâ verò interdum ut alia prorsus appareant. Exempla sunt apud LXX. & Iosephum. Vide & Nazianzenum Orat. 42. ubi ex vero principio falsam conclusionem deducit, de voce Πάσχα. Nec obstat quòd in Evangelio Βηθσαϊδὰ legitur, non Βηζαϊδά. Nam & LXX. & Iosephus quædam pro arbitratu emollire omittunt. Denique, si cui nondum hæc satisfaciunt in re perplexa, per eum liceat nobis novam interpretationis inire viam, ut hæc sit mens: *Et cùm eò venisset, habitavit in urbe Nazareth; sic autem implebitur quod tam sæpè à varijs hinc indè Prophetis prædictum est de opprobrio ejus: Nam ex eo quòd habitavit in urbe Nazareth, fiet ut ei Nazareni nomen & ab osoribus imponatur, & apud suos hæreat, quo nomine cuncta opprobriorum genera continentur.* Hæc igitur verba, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, non sunt alicujus veteris Prophetæ verba, sed Evangelistæ Matthæi. Referri enim debent non ad τὸ ῥηθὲν, sed ad τὸ πληρωθῆ. Quomodo quod per Prophetas prædictum est de eo, propterea implebitur quòd habitavit in Nazareth? Quia Nazarenus, indè arreptâ occasione, vocabitur: quo nomine varia variorum Prophetarum vaticinia implentur ac typi. Non igitur mirum si non leguntur apud aliquem Propherarum hæ voces, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, cùm nullius sint Prophetæ, sed Matthæi. Quod clarum erit, siquidem ὅτι *quoniam* reddideris. Ideo non dixit Matthæus διὰ τοῦ προφήτου, sed διὰ τῶν προφητῶν nec διὰ τῶν προφητῶν λεγόντων, ut alibi solet, & quidem bis hoc ipso capite, sed διὰ τῶν προφητῶν simpliciter. Idem igitur est ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν, atque si dixisset ἵνα πληρωθῇ τὰ ῥηθέντα, quæ nihil opus fuit recitare, cùm nota essent & nimis multa & apud varios Prophetas; quibus tamen ferè omnibus, inquit, sola Nazareni appellatio non sine numine Messiæ indita respondebit. Vide quæ scripsimus uberiùs in notis ad Esaiæ 53 p. 133.

MATTH. Cap. V. ꝟ. 3.

Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, *Beati pauperes spiritu.*] Opponi videtur hæc sententia Ethnicorum insanæ opinioni de qua Hippocrates libro de aëre, aquis, &c. Minùs religiosos esse pauperes quàm divites, adeóque pejores. Ridet eos qui morbum Scythicum quendam divinum vocabant, cùm tamen eo ditissimi quique plurimùm laborarent. Nam si divinus esset, inquit, vel omnibus æquè contingeret, vel pauperibus etiam frequentiùs. Quippe divites dijs victimas & donaria sæpius offerunt quàm pauperes, qui non habent unde id faciant, adeóque deos incusant quòd sibi opes non largiantur. Εἰκὸς γὰρ τοὺς μὲν πλουσίους θύειν πολλὰ τοῖς θεοῖς,

καὶ ἀνατιθέναι ἀναθήματα, ὄντων χρημάτων, καὶ τιμᾷν τοὺς δὲ πένητας ἧσσον, διὰ τὸ μὴ ἔχειν, ἔπειτα καὶ ἐπιμεμφομένους, ὅτι οὐ διδόασιν χρήματα αὐτοῖσιν. Quod ipsum, & non oportere hunc locum de pauperibus simpliciter intelligi, quorum plerique pessimi, docet Origines 6. contra Celsum, Οὐκ ἂν οὐδ' ὁ τυχὼν ἀκρίτως τοὺς πτωχοὺς ἐπῄνεσεν, ὧν οἱ πολλοὶ καὶ φαυλότατοί εἰσι τὰ ἤθη. Epictetus cap. 38. Ὅπου γὰρ τὸ συμφέρον, ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές. Flaccus *Magnum pauperies opprobrium, jubet quidvis & facere & pati.* (Aliter tamen qui dixit ---- *raræ fumant felicibus aræ.*) In Legis etiam Sacrificijs major videbatur duci ratio divitum. At in Evangelio verè pauperibus maximè locus. Quod Muhammedes à se non intellectum, æmulatus tamen, dixit, Paradisum ingressuros gentis suæ pauperes quingentis priùs annis quàm divites, & maximam partem Paradisi incolarum constare pauperibus. Reddas autem licet, *Beati egeni*, aut *mendici* spiritu: non enim si quis pauper aut afflictus, continuò & beatus est, nisi misericordiæ opem imploret. Quæ propriè potestas est vocis πτωχός. Aliud est πένης, (quanquam interdum negligitur hoc discrimen) Aliud enim egestas mendicorum, aliud paupertas, quæ Senecæ definitur *parvi possessio* Sic Horat. l. 2. Ep. 2. *Res urget me nulla, meo sim pauper in ære.* Idem alibi, *Læta paupertas, & avitus apto Cum lare fundus.* Sic 1. Paral. 22. 14 David, *Ecce ego in paupertate mea.* Hesychius, Πτωχεύειν, ἐπαιτεῖν dicitúrque παρὰ τὸ ἐκπεπτωκέναι τοῦ ἔχειν, ut habet Etymologicum. Respondet autem hîc τῷ אביון Hebręorum, quod πτωχὸν decies reddiderunt οἱ ό. Significat verò *cupidum*, ac deinde *mendicum*, *egenum* vox אביון, unde nomen Ebionis Patres deducunt: nec ineleganter Ebionitis apud Eusebium πτωχεία διανοίας, *egestas mentis* attribuitur. Notum illud, Δὸς ἄρτον πτωχῷ, &c. Sicut autem beati famelici dicuntur inferiùs, non simpliciter, sed esurientes *justitiam*; ità beati mendici vel egeni non simpliciter hîc dicuntur, sed *spiritu*. Si cui durum hoc, durum & illud videatur. Sed injuriâ videbitur, cùm ipse Xenophon πεινᾷν χρημάτων dixerit. Baruch. 2. 18. Ἡ ψυχὴ ἡ πεινῶσα δώσει σοι δόξαν, κύριε. Talibus dixit Christus, *Venite omnes.* Quid autem sibi vult id quod sequitur? Αὐτῶν γὰρ ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. In epistola Polycarpi ad Philippenses conjungitur hoc tertium comma cum decimo, propter eandem in utroq; promissionem, *nam eorum est regnum cœlorum*, hoc est, Evangelium: Certè quod hîc promittitur non simile, sed idem est illi εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς, Esai. 61. Non enim divites multi vocati sunt ad regnum cœlorum, hoc est, Evangelium & fidem: superbus autem & non emendicans gratiam, nemo.

MATTH. Cap. VI. ℣. 9.

Πάτερ, *Pater.*] Notabile in primis est, quod Plutarchus narrat in Apophthegmatis Alexandri, eum scilicet, cùm Iovis filius diceretur in

Ammonitide, modestè hoc interpretatum. *Nempe*, inquit, *Iupiter naturâ omnium est Pater, sed adoptare optimum quemque solet.* Ethnici etiam *Patrem* summum Deum vocabant, sed alio intellectu: Themistius, Oratione de Theodosij clementia, Θεία δὲ μόνη καὶ τῆς πατρὸς ἐπωνυμία· πατέρα γὰρ ἀνθρώπων καὶ τὸν Δία οἱ ποιηταὶ ἐπονομάζουσι. Vide Diogenem apud Stobæum. Plato Timæo, Τὸν μὲν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Philo. De temulentia, Τοῦ δὲ παντὸς ἀρχηγέτης ὁ κτίστης καὶ πατὴρ αὐτοῦ. Inde Iupiter, quasi *juvans Pater.* ------Πατὴρ ἀνδρῶν τε Θεῶν τε. *Divum Pater atque hominum Rex*: verecundè *Rex*, ne homines viderentur Dei filij. Flaccus, *Gentis humanæ pater atque custos*; ad Græcum etymon respiciens, juxta quod indè dictus pater, quod conservet atque custodiat. Grammaticus qui nescio an verè nomen Dionysij Thracis præfert in Biblioth. Medicæa, Ετυμολογία δέ ἐστιν ἤτοι ἑρμηνεία λέξεως, οἷον ὁπόταν ἐρωτηθῶμεν, Τί ἑρμηνεύεται πατήρ; ἐπὶ μὲν τοῦ Θεοῦ ἑτοίμως ἀποκριθῶμεν, Ὁ τὰ πάντα τηρῶν· ἐπὶ ἀνθρώπου, Ὁ τοὺς ἰδίους παῖδας τηρῶν. In eadem Bibliotheca pervetus MS. liber est, in quo post Athanasij nonnulla reperimus adtextam interpretationem perpetuam orationis Dominicæ alibi reddendam; hîc pauca libamus.

ΕΛΘΕΤΩ Η ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΣΟΥ] Καὶ τί γάρ, οὐκ ἔστι βασιλεὺς ὁ Θεός, ὅτι μέλλει ἔρχεσθαι ἡ βασιλεία αὐτοῦ; ναί, βασιλεὺς πάντων· ἀλλ' ὥσπερ πόλις κυκλωθεῖσα ὑπὸ ἐχθρῶν ζητεῖ ἐλθεῖν τὴν δύναμιν τοῦ βασιλέως, οὕτω καὶ ἡμεῖς κυκλωθέντες ὑπὸ τῶν ἐναντίων δυνάμεων, καὶ τῶν ἁμαρτιῶν, καὶ τῶν πονηρῶν λογισμῶν, ζητοῦμεν ἐλθεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐξέλθοι (lego ἐξηγήσασθαι) ἡμᾶς. καὶ κατ' ἄλλον τρόπον· ἐπειδὴ ὁ προφήτης λέγει, Ἐβασίλευσεν ὁ Θεὸς ἐπὶ τὰ ἔθνη, τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ὡς μέλλοντι χρησάμενος, χάριν τούτου κράζομεν, Ἐλθέτω ἐφ' ἡμᾶς, τὰ ἔθνη, ἡ βασιλεία σου.

ΓΕΝΗΘΕΤΩ ΤΟ ΘΕΛΗΜΑ ΣΟΥ] Τὸ δὲ νόημά ἐστιν οὕτως. Κύριε, ὥσπερ εἰσὶν πάντες οἱ ἄγγελοι ἐν εἰρήνῃ, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς αἰδῶν καὶ αἰτωδούμενος, οὔτε θλίβων, καὶ θλιβόμενος, οὔτε πολεμῶν καὶ πολεμούμενος, οὔτε τύπτων καὶ τυπτόμενος, ἀλλ' ἅμα πάντες ἐν γαλήνῃ βαθείᾳ δοξάζουσί σε, &c.

ΤΟΝ ΑΡΤΟΝ ΗΜΩΝ ΤΟΝ ΕΠΙΟΥΣΙΟΝ] Ἐπιούσιον ἄρτον λαβεῖν αἰτούμεθα, ἐπειδὴ ὁ πᾶς ἄνθρωπος ἐξ οὐσιῶν δύο καθίσταται, ψυχῆς λέγω καὶ σώματος, καὶ διὰ τοῦτο τὴν ἑκάστῃ οὐσίᾳ πρέποντα ἄρτον αἰτούμεθα. ἄρτος μὲν γὰρ σώματος ἐστὶν ὃν ἐσθίομεν· ἄρτος δὲ τῆς ψυχῆς λόγος Θεοῦ· ἔφη γάρ τις τῶν ἁγίων, Λόγῳ Θεοῦ ἄνοιγε τὸ στόμα, τέκνον, &c.

℣. 11. Τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον, *Panem nostrum quotidianum.*] Vox difficilis, quia μονήρης, quæ tantùm in hac oratione, nec apud ullum scriptorem Ethnicum occurrit. Hesychius, Ἐπιοῦσα, ἐπερχομένη, *Dies crastini.* Socrates, Critone, navigium è Delo, quod postridie quàm venisset, ipse moriturus erat, negat venturum τῆς ἐπιούσης ἡμέρας, die hoc proximè venturo, seu crastino. Ibid. τῆς ἐπιούσης νυκτός. Evangelium vetus Hebraicum habuit hoc loco מחר *crastinum*; quod fidelius quàm Ambrosij

posterum, vel Athanasij τ̀ μέλλοντα. Sed quid erit, *Da nobis hodie panem nostrum crastini?* (Nam ità quidem verba esse reddenda certum habeo) Respexit Dominus ad Manna quod colligebatur die sexto in biduum, quia postridie Sabbatum erat, Exod 16. Docet igitur nos petere quod & in crastinum sit satis; ut quod Israëlitis semel in hebdomade, nobis quotidie contingat, sitque vita nostra perpetuum spirituale sabbatum, quod anxiam περὶ τὰ βιωτικὰ sollicitudinem excludat, εἰς αὔριον, *in diem crastini*, ut loquitur Dominus extremo hujus capitis commate. *Nè sitis*, inquit, *solliciti de crastino.* Bene paret huic præcepto, & anxiè sollicitus esse non potest, quisquis à Deo cum fiducia petit & exspectat quantum in crastinum sufficiat. Quæ sufficientia voce *nostrum* continetur, ut nec affine sit, nec opponatur τὸ ἐπιούσιον τῷ περιουσίῳ. Neque necesse jam est apud Lucam certè *quotidianum* reddere, nè bis idem dicatur. Apud quem τὸ καθ' ἡμέραν (Cicero dixit ἡμερόλεσδον) rectè opponas ei quod non singulis diebus, sed die tantùm sexto, Israëli datum est. Par est præterea considerari Levit. 19. 7. Iosephus Antiq. lib 3. c. 1. de Manna, Τῷ δ' ὑπολειφθέντι εἰς τὴν ἐπιοῦσαν, ὄνησις οὐδεμία ἦν. quasi dicat, Non erat quotidie hic panis ἐπιούσιος, qui prodesset in crastinum; sed qui colligebatur die sexto, ἐπιούσιος erat. Qualem nos petere jubemur in dies, ut vacui simus ab omni sollicitudine in crastinum colligendi, quod eleganter Ælianus dixit τ̃ ἐπιόντων μὴ προκάμνειν.

℣. 13. Ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τ̃ πονηροῦ, *Sed libera nos ab illo malo.*] Receptam interpretationem sollicitare nolim; sed velim suo pretio censeri alteram hanc, *Defende, serva nos ab illo maligno*, nè nos tangat. Filij enim Dej jam liberati ex manu Diaboli Patrem cœlestem compellant. *Ne nos inducas*, inquiunt, *in tentationem, sed* (hoc enim propriè *servare* est: nam aliud est *Servator* Latinis, σωτὴρ Græcis) *serva nos ab occursu mali;* quemadmodum Iudæi precantur, quorum formulas toto hujus orationis tractu Dominus adscivit. Sic Ioan. 17. 15. ἵνα τηρήσῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ πονηροῦ & Apoc. 3. 10. τηρῶ ἐκ τ̃ ὥρας τοῦ πειρασμοῦ, non tam liberare, quàm eximere, atque immunem conservare. Interdum & hâc notione sumitur vox σώζειν, ut apud Platonem non semel, in Apologia Socratis, pro *incolumen conservari*. Ità meliùs opponi videtur hoc membrum priori per vocem ἀλλά. Nam juxta communem interpretationem dicendum foret, *Ne nos inducas in tentationem, vel libera nos à malo:* nempe si fortè, nos induxeris. Facilius, *Nè nos inducas, sed* contrà *custodi nos*, & averte à nobis Tentatorem. Quin autem hoc quoque significet vox ῥύειν, nec tantùm *eruere*, ut scitè Tertullianus, dubitari non potest. Vide 2. Tim. 4. 18. Hesychius, ῥῦσαι, φυλάξαι & ità sæpè sumitur hęc vox apud Homerum. Sic Il. γ'. ὑπεξαγαγεῖν θανάτου, Eustathius interpretatur, ῥύσασθαι θανάτου. Ergo hîc ῥῦσαι, id est, ἐξάγειν, rectè opponitur τῷ μὴ εἰσάγῃς, vel εἰσενέγκῃς. Vetusta

Scholia jam dicta, Κύειε, ἐὰν ζητήσῃ ἡμᾶς ὁ Σατανᾶς σινιάσαι ὡς σῖτον, &c. σκέπασον ἡμᾶς ἐν τῇ σκέπῃ τῶν πτερύγων σου. Soranus in vita Hippocratis, Ἐῤῥύσατο τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα πολεμεῖσθαι μέλλουσαν ὑπὸ Ἀθηναίων.

℣.34 Μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν αὔριον, *Ne igitur estote solliciti de crastino.*] In hoc & Stoici & Epicuræi consentire videntur. Sed cùm duo dicunt idem, non est idem. Seneca, *Ille beatissimus est & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat.* Alter Seneca *neminem crastinum sibi posse polliceri* dixit. Idem non eodem animo legis apud Poëtam voluptuosum, *Quid sit futurum cras, fuge quærere*, &c. *Rapiamus, amici, Occasionem de die. Lætus in præsens animus quod ultrà est Oderit curare. Omnem crede diem tibi diluxisse supremum*: & ejusmodi complura. Martialis, *Vive hodie.* φάγωμεν καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν. Græci Poëtæ, Πῖνε καὶ εὐφραίνου, τί γὰρ αὔριον, &c. Anacreon, Τὸ σήμερον μέλει μοι, Τὸ δ' αὔριον τίς οἶδε; Philetætus Cynegide, Τί δεῖ γὰρ ὄντα θνητὸν ἱκετεύω ποιεῖν; πλὴν ἡδέως ζῆν τὸν βίον καθ' ἡμέραν, ἐὰν ἔχῃ τις ὁπόθεν; Alter apud Athenæum, Πᾶσι δὲ θνητοῖς βούλομαι παραινέσαι τὸ σήμερον ζῆν ἡδέως. apud Ciceronem Cat. Major. *Quoniam omninò nobis moriendum est, & id incertum an crastino, aut etiam hoc ipso die; fruamur hâc vitâ dum licet.* Hæc dicta dicto Domini non sensu, sed sono simillima reprehendunt & Ethnici sapientiores & Græci Patres. Homerus, Νήπιοι ἀχιῶται, ἐφημέρια φρονέοντες· juxta illud, χαίροισι τὸ ἐν ποσὶ μοῦνον ἄεισον. Negant enim oportere αὐτοσχεδιάζειν τὸν βίον. Nazianzenus, Ζῶσι βίον ἀλόγων τὸ πρὸς ἡμέραν καὶ τὸ πρὸς ἡμέραν, καὶ τὸ παρὸν ἀεὶ βιοτεύοντες. At hîc Dominus hoc ipsum præcipere videtur ut vivamus in diem? Non omnem curam excludit, sed eam sollicitudinem quæ μέριμνα dicitur, comes egestatis, apud Plutarchum Περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας. Addo & avaritiæ, quia *Semper avarus eget.* Nec vetat nos αἰτεῖν, sed ζητεῖν, atque adeò jubet αἰτεῖν ἵνα μὴ ζητῶμεν. Petimus à Deo panem crastinum: non autem quærimus tanquam summum bonorum, ut Ethnici quibus *summa curarum fuit, quid ederent, quid biberent,* ut est apud Senecam. Aliqui tamen nè hoc quidem curant, nec illum scopum sibi proponunt; sed, quod non minus turpe est, nullum: καθημερόβιοι, *viventes ex tempore.* Quibus minimè patrocinantur hæc Domini verba, prohibentis non *futuri meditationem omnem ut stultam*, quod Epicuri apud Ciceronem dogma est parùm sanum; sed eam tantùm aliò traduci quæ regno Dei debetur, μετὰ φόβου καὶ τρόμου· non ut crastinum negligamus, aut nè cogitemus quidem, brutorum instar animantium, sed remissiùs curemus ut πάρεργον, majoribus intenti, μεθ' ἡσυχίας καὶ ἀμεριμνίας.

MATTH. Cap. IX. ℣. 36.

Ἐκλελυμένοι καὶ ἐῤῥιμμένοι, *Dissipati & disjecti.*] Non est aspernanda hęc lectio (quam & apud Patres, & in vetustissimis exemplaribus Gręcis & Latinis habes) ἐσκυλμένοι, quę mirè convenit cum ἐῤῥιμμένοι. Sy-

rus דלאין; Vulgata optimè *vexati*. Glossarium, *Vexare*, σκύλλειν. Idem, Σκύλλομαι, *jactor*. Hinc nomen *Scylla*: unde Poëta κυρίως & eruditè, ut semper, *Scyllam* dixit.

Dulichias vexâsse rates.——————

Non aliter disjiciuntur oves in terra quàm naves in mari. Herodianus σκύλλαι καὶ ὑβρίσαι conjunxit. Chrysostomus de molestia itineris hanc vocem usurpat. Invenies & vocem σκυλμὸς apud Lucianum Lexiphane. Optimè reddas, *vexati & jactati.*

MATTH. Cap. XI. ℣. 11.

ὁ δὲ μικρότερος ἐν βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν μείζων αὐτοῦ ἐστι, *Sed qui est minimus in regno cœlorum, major eo est.*] Photius, postquam aliorum sententias retulit & summâ modestiâ improbavit, censet legendum esse cum interrogationis nota, ut quæ præcedunt, *Quid exiystis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* quod ipse vocat σχῆμα τοῦ λόγου εἰς τὸν καὶ ἐρώτησιν τύπον ῥυθμίσαι, *An minimus in regno cœlorum ipso major est?* Nempe, miratur Baptistam, post tot laudes, adeò cogi in ordinem, ut ei minimus etiam præferatur, immemor eorum quæ leguntur Ioan. 14. 12. καὶ μείζονα τούτων ποιήσει. Nec miraculis, nec dono linguarum, nec eâ resurrectionis Domini & mysterij cœlestis in vocatione Gentium notitiâ pollebat Ioannes quâ præditi fuêre omnes Dei servi, constituto regno cœlorum post ascensionem Christi; quod equidem hîc præcipuè intelligendum puto, ut minimus dicatur major peritiâ, non dignitate. Sic (ut observârunt eruditi) Magistri dicunt de discipulis octoginta Hillelis גדל שבכלן יונתן *maximus qui in omnibus illis erat Ionathas.* Minimum autem faciunt Zacchaidem, cujus opera & doctrinam postquam laudibus extulerunt, concludunt: כי מאחר דקטן שבכלם כן גדול שבכלן על אחר כמה וכמה. *Postquam ille qui minimus est, inter illos omnes tam magnus, is qui inter omnes fuit supra cæteros, quantus & quantus erit?* Hi scilicet erant ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου, גדלי עולם *magnates seculi,* hoc est, Doctores Legis: nam Principes & Reges mundi non crucifixerunt Dominum gloriæ, 1. Cor. 11. 8. Nec alio sensu *parvuli* opponuntur *sapientibus* Matth. 11. 25.

℣. 12. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν, *Regno cœlorum vis affertur, & violenti rapiunt illud.*] Avitus contra Arianos, *Nec semper invitos rapi rearis, frequenter raptos suos monstrat & gratia; si quidem, teste Evangelio, & Pater trahit qui ad Filium veniunt & à violentis rapitur regnum cœleste. Quæ sic rapina desiderij sui sancti efficit compotem, ut Dei cui hoc violenter eripitur, magis provocet largitatem.* Idem de latrone in Cruce, *Dudum invadendi cupidus mutavit vota prædandi: armatus trabalibus clavis vim intulit regno cœlorum.* Augustinus alicubi, *Nos cum nostris desidemus litteris, & idiotæ rapiunt regnum cœlorum.* Notanda sunt illa verba ἕως ἄρτι. Tempore Ioannis

Baptistæ propriè non fuit regnum cœlorum, sed *adventabat*, ἤγγικεν, & proximè venturum *evangelizabatur* Luc. 16. 16. Cùm ergo dixisset Dominus *Lex & Prophetæ usque ad Ioannem*; quid Ioannes? non Propheta quidem, sed *plus quàm Propheta*, inquit: non Evangelista quidem præsentis, & jam constituti per Spiritum Dei & Apostolos Christi, regni cœlorum, sed jamjam adventuri. Quod interea non impedit, quominùs à diebus Ioannis ἕως ἄρτι, *adhuc*, quicumque trahunt aliquid ex fortiore illo spiritu Eliæ, in hoc regnum, licèt nondum tempestivo tempore, irruant, impetu zeli ferventioris velut igneo curru abrepti non exspectant illud, sed venienti occurrunt, & eunt obviàm: Occupant, & ante tempus auferunt. Confer Matth. 12. 29. Hæc loci mens: Locutioni autem locum dedit quòd non Pharisæi, non sapientes sæculi Christo nomen dabant; sed populus, meretrices, milites, ac inprimis publicani, χρηματιστὴν βίον professi, qui, authore Philosopho, βίαιός τίς ἐστι. Eo certè potissimùm nomine infames erant, quòd violenti essent exactores, ut majores eorum, qui nectebant στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων, Esa. 58. *Suffocationes impotentium commerciorum*, sicut vertit antiquissimus Interpres in Epistola Barnabæ; propriè *violentorum*. Nimirum hi sunt alio sensu nunc βιασταὶ, *rapaces regni cœlorum*. Qui? Matthæus ipse qui scribit, Levis, Zacchæus, ἀρχιτελῶναι, τελῶναι, qui dicti omnes βίαιοι, βαρεῖς, φορτικοί nunc aliter ἁρπάζοντι. Nam & Publicanorum propria fuit non modò βία; sed etiam ἁρπαγὴ, quippe apud Suidam ijs tribuitur πεπαρρησιασμένη βία. & ἀνεπιτίμητος ἁρπαγὴ, quod inprimis ad propositum facit. Notus & ille versiculus, Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες. Vnde cùm sese opponit Publicano Pharisæus ille Luc. 18. 11. & gratias agit quod non sit quales cæteri homines, primo loco posuit ἅρπαγες. Punita sunt legibus, non modò quæ illicitè ab ijs exacta, sed etiam, & longè quidem gravius, *quæ per vim extorta*, ut eruditissimi homines observârunt. Vide Luc. 19. 8. Et leonibus comparantur, ut scias eorum fuisse proprium τὸ ἁρπάζειν. Interrogatus namque Theocritus quæ maximè fera belluarum esset, respondit. Ἐν μὲν ὄρεσιν ἄρκτοι καὶ λέοντες, ἐν δὲ πόλεσι τελῶναι καὶ συκοφάνται. Iam verò constat Publicanos fuisse præcipuos ac veluti Duces eorum qui baptizati sunt à Ioanne. Nullum dubitandi locum relinquit Lucas cap. 7. quo capite omninò eadem ijsdem propè verbis quæ hîc à Matthæo historia narratur. At inter illa verba, *Qui minimus est in regno cœlorum, major est*, & hæc, *Sed cui assimilabo gentem istam?* & cætera quæ pariter apud utrumque leguntur Evangelistam, Lucas diversissima verba posuit ab ijs quæ leguntur apud Mattheum, sed eodem planè sensu, & ἐκ παραλλήλου.

Matth. 11. 12. 13.

Ἀπὸ δὲ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ ἕως ἄρτι, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν.

Πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν, &c.

Luc 8. 29. 30.

Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας καὶ οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν, βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα Ἰωάννου.

Οἱ δὲ Φαρισαῖοι καὶ οἱ νομικοὶ τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτοὺς, μὴ βαπτισθέντες ὑπ' αὐτοῦ.

Quod Matthæus de Publicanis (quorum ipse unus erat) latentiùs, id apertè Lucas extulit, velut interpres ejus & enarrator. Docet enim qui sint illi apud Matthæum sancti *βιασταὶ* & *ἅρπαγες*. *Promiscua*, inquit, *plebs*, & *Publicani οἱ ἐδικαίωσαν τὸν Θεόν·* illi *ἄδικοι*, illi *παράνομοι* vulgò dicti, baptismum Ioannis susceperunt, quem recusârunt Pharisæi & Legistæ, ut ità dicam, illi *οἱ νομικοί*. Sic regnum cœlorum præripuere Publicani Pharisæis, iisque præiverunt: quod ipse Dominus iis aperit Matth. 21. 31. *Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οἱ τελῶναι, καὶ αἱ πόρναι προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Ἦλθε γὰρ Ἰωάννης πρὸς ὑμᾶς ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, καὶ οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ· οἱ δὲ τελῶναι, καὶ αἱ πόρναι ἐπίστευσαν αὐτῷ.* Hæc igitur verba, *βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν*, persimilia sunt illis *Faciam vos piscatores hominum*. Nempe in utrisque ad institutum vitæ pristinum alluditur. Nec obstat quòd Lucas aliquid non absimile scripsit alibi, *Πᾶς βιάζεται αὐτήν·* potuit enim ex Matthæo mutuari. *Rapi* autem regnum cœlorum solus inter Scriptores sacros Matthæus dixit. Multò minùs autem obstat, quòd hîc Dominus, non Matthæus loquitur: Nam quis nescit Evangelistas non verba, sed sensa Domini reddidisse? Alioqui nulla ratio reddi posset varietatis quæ inter ipsos, tum etiam cùm rem omninò eandem narrant, occurrit. Sensum igitur Domini Matthæus extulit verbis suis, instinctu Spiritus Sancti, cujus propria dos *ἡ παρρησία*.

℣. 21. *Οὐαί σοι Χοραζὶν, οὐαί σοι Βηθσαϊδά, Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida!*] Hanc ideam Orationis Rhetores vocant *σφοδρότητα*, Patres *καταφορικὸν λόγον*, vehementem ac impetuosum, invectivæ in morem: ineptum est autem impetus ejusmodi patheticos revocare sub leges sedatæ orationis in qua nullus flagrat affectus. Frustrà igitur quæritur an aptitudo quædam inesset major ad fidem in Tyriis, Sidoniis, Sodomitis, quàm in Corazinitis, Bethsaïditis, Capernaïtis. Non hoc agitur. Populariter, non accuratè: indignanter & cum æstu increpantis, non autem dogmaticè aut more narrantis, ac præterea comparatè, non absolutè loquitur. Maxima fuit, inquit, in illis contumacia, in vobis etiam major: vos justificatis illos: præ vobis conversi etiam fuissent illi, qui minimè omnium converti poterant. Duobus ex locis Ezechielis hisce

Domini

Domini verbis lux inferenda est. Prior Ezech. 16. 51. *Iustificasti sorores tuas*, &c. *Non peccarunt*, inquit, *illa dimidium peccatorum tuorum*. Atqui peccârant in immensum. Quasi dicat. *Rebellio tua non habet parem.* Alter Exech. 3. 6. ubi Dominus ità Prophetam compellat, *Ad domum Israëlis misi te, non ad populum profundi sermonis*, aut ignotę linguæ: *nam si mittereris ad eos, audirent te*; Chaldęus, *obedirent tibi.* Non hoc vult, Gentes dociliores esse aut procliviores ad Prophetæ dicto audiendum, quem pręsertim non intelligerent, ipsis barbarum; sed Iudęos ad zelotypiam, ut Paulus loquitur. incitat: non sine hyperbole, qua nulla est aptior ad increpandum figura. Cùm autem Gentium nomen apud eos esset infame ac exosum, vix acriùs eos vellicaret, dicendo, *Si mittereris ad asinos aut boves:* quale est illud Esa. 1. 2. Nempe hoc unum voluit, *An est ulla sub cœlo natio tam rebellis?* Non aliter hîc eandem domum Israëlis, institutâ cum Gentibus ijsdem contentione, castigat; sed adhibitis populorum trium singularibus exemplis: qui tres populi & erant, & habebantur à tribus alijs quibus eos opponit, à pietate alienissimi, ac præ cęteris omnibus exsecrandi. *Quia non Idola colitis,* inquit Dominus, *quia non palàm & licenter indulgetis luxui, vobis placetis, alios contemnitis. At ego vobis denuntio fore, ut Tyri, Sidonis, ac Sodomæ potior sit quàm vestra conditio. Quid ità? illa minora beneficia sortita sunt, vos longè majorem lucem usurpatis oculis; quam si usurpâssent illa, si tot mea signa potentia vidissent, jamdudum aliquod edidissent signum pœnitentia.* Non potuit Iudæorum fastum confundere πικντικώτερον, aut ulcus eorum tangere aptiùs, quàm eos illis præferendo, quos ipsi putabant longissimè remotos à regno cœlorum. Sic dicimus nos, *Mallem cum Turca mihi res esset. Nemo Iudæus tot opibus abundans tam lucro deditus esset. Si toties objurgatus fuisset dæmon, à mendacio abstineret.* Πάθος est, non dogma, nec prædictio; sed maledictio & exaggeratio. Præterea notandum hîc est, quod & alibi sępe locum habet, per singularia exempla, sed insignia, universale scitum adstrui. Vide quæ dicentur ad Rom. 9. 3. *Nulla est*, inquit, *gens tam effera, támque indomitæ cervicis (nec Tyrum, nec Sidonios, nec Sodomam excipio) quæ non aut converteretur, aut commoveretur saltem tot signis illis ac virtutibus, quas vos Corazinitæ, Bethsaidita, Capernaïtæ, ludibrio habetis.* Væ igitur tot quæstionibus quibus tanquam pila vexatur hic locus, de quibus persuasissimum habeo nunquam cogitasse Matthæum, nunquam Dominum!

℣. 21. Ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ, *In sacco & cinere.*] Vt vox *sacci* communis omnium linguarum, ità *cineris* in luctu sparsio communis omnium populorum. A Iudæis enim, quos eâ usos esse constat ex Ierem. 6. 26. & Deut. 9. 3. & Iosepho historiæ lib. 20 cap. 5. transit ad Ægyptios, ut patet ex Diodoro Siculo; ab Ægyptijs ad Gręcos, ut docemur ex varijs locis

Demosthenis, Luciani, Plutarchi, & sæpe repetito apud Homerum versu, Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν à Græcis ad Romanos, ut constat ex Ovidio & Apuleio. Nec primoribus Christianis omnino inusitatum fuisse Tertullianus innuit.

ψ. 25. Ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ, *Gloriam tibi tribuo, pater.*] Platonicum dogma erat: Credi à sapientibus quod erat incredibile subtilibus ingenijs & contentiosis. Hermias non editus in Phædrum; Πάνυ δὲ θαυμαστῶς εἴρηται περὶ τῆς ὅλης ἀποδείξεως τῆς παλινῳδίας, τὸ δεινοῖς μὲν, τοῦτ' ἔστι τοῖς ἐριστικοῖς, αὐτὴν εἶναι, σοφοῖς δὲ πιστήν. Longè aliter Christus, qui celatum ait non modò subtiles, sed sapientes ipsos, id quod νηπίοις fide revelatur. Vide Sapientiæ 3. 21.

ψ. 30. Ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς, καὶ φορτίον ἐλαφρόν, *Iugum enim meum facile, & onus meum leve est*] Clemens Alexandrinus Strom. 1. ubi Platonem his consentanea scripsisse docet; Ἄρατέ φησιν ἀφ' ὑμῶν τὸν βαρὺν ζυγὸν, καὶ λάβετε τὸν πρᾶον, ἡ γραφή φησι, καθάπερ καὶ οἱ ποιηταὶ δούλιον καλοῦσι ζυγόν. Pindarus, φέρειν ἐλαφρῶς ἐπαυχένιον λαβόντα ζυγὸν ἀρήγει. Libanius. Τὸ φορτίον τέρψις ἦν. Notum illud Æneæ, —— *nec me labor iste gravabit.* Nota & historia fratrum qui boum vice jugo subière, currumque traxêre, quo parentes eriperent; —— *fraterni semper amoris Dulce jugum.* Ausonius, *Blando vis latet imperio.* Seneca, *Nulla vis major pietate verâ est.* Πειθανάγκη. Cicero Verrinâ 8. in ipso limine, *Atque hoc ego plus oneris habeo, si onus est id appellandum quod cum lætitia feras & voluptate.* Seneca multus est ut probet in vitio plus inesse quàm in virtute difficultatis. Quod & Chrysostomus in hunc locum, Δυσκολώτερον ἡ κακία. Clemens ad Corinthios Epistolâ planè aureâ, Εἰ γὰρ ὁ Κύριος οὕτως ἐταπεινοφρόνησεν, τί ποιήσωμεν ἡμεῖς οἱ ὑπὸ τὸν ζυγὸν τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐλθόντες; Iugum hoc suum Dominus עול תורה *jugo Legis* & peccati, sub quo gemebant οἱ κοπιῶντες & πεφορτισμένοι, opponit gemino epitheto, χρηστὸς & ἐλαφρός. Est autem χρηστὸν modò *utile*, modò *suave*. Glossæ Philoxeni, Χρηστὸς *frugalis, suavis, utilis, jucundus.* Altero sensu τὸ χρηστὸν & τὸ Χριστὸν inter se opponunt scitissimè Patres; altero hîc sumitur: sed alter oritur ex altero: quippe suavis benignusque censetur qui se præbet alijs utilem. Tertullianus Apol. cap. 3. *Christianus (quantum interpretatio est) de Vnctione deducitur. Sed & cùm perperàm Christianus pronuntiatur à vobis (nam nec nominis certa est notitia penès vos) de Suavitate vel Benignitate compositum est.* Nec modò Chrestianos ex Christianis, sed Chrestum ex Christo fecere non modò Ethnici, sed ipsi Patres: Non quòd verùm etymon ignorarent, opinor, sed quòd convincendis Ethnicis opportunus esset hic eorum error, an οἰκονομία; Iustinus Apol. 1. Χριστιανοὶ μὲν εἶναι κατηγορούμεθα, τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον. Vide Iræneum lib. 3. cap. 20. Lactantius errorem *Ignorantium* vocat, *cùm immutatâ litterâ Chrestus* dicitur. Lucianus Philopatride,

χρηστὸς ἂν εἴης ἐκ τῶ σχήματος. Vbi Chrestum non pro Christo, sed pro Christiano posuit: Ἐγὼ δὲ, χρηστοὶ ὀλίγοι ὡς γὰρ βλέπω πανταχοῦ· *Rari quippe boni:* nam hic χρηστὸς bonum frugalemque significat. Idem ibidem, Εἴγε τύχοι Χρηστὸς ἐν τοῖς ἔθνεσι· ubi jam Christum intelligit. Suetonius etiam Christum intellexisse creditur, cùm *impulsore Chresto Iudæos tumultuatos esse* scribit. Sed alius debet, certè potest intelligi, cùm alijs de causis, tum quòd *Chrestus* nomen fuerit Græcis usitatum & Romanis. Apud Photium Dionysius Heracleotarum Rex Χρηστὸς appellatus est, apud Plutarchum Phocion: & alijs non cognomen, sed proprium id hominis fuit, non secùs ac Probus, Lenis, Tranquillus. *Chresti compilatio* memoratur à Tullio ad Cœlium epistolâ. Nihil ergo necesse apud Suetonium verba illa, impulsore *Chresto*, intelligi de Christo: adeóque mirari subit, quod ἀβασανίστως in hanc sententiam plerique omnes iverint.

MATTH Cap. XII.

✝. 32. ΟΥΚ ἀφεθήσεται αὐτῷ οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι, *Non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.*] Peccatum hoc diabolicum est; positum in impudenti blasphemia, & mera malignitate contra veritatem liquidò sese ingerentem ipsis sensibus. Nec est aversantium per incredulitatem Christi conditionem humanam; sed adversantium præ odio miraculis ejus, & demonstrationi Spiritûs, qui *delicata res* est, ut Tertullianus, & nimis zelotypus, ut Scriptura loquitur, quàm ut vim suam exserat ingenerandæ pœnitentiæ (quod est ejus officium) in eorum cordibus qui palàm ejus opera illustrissima ludibrio exponunt, & per summam calumniam dæmoni transcribunt. Sunt certi denique fines Dei patientiæ, qui dum invenitur, quæri debet, nec irrideri potest. Tale peccatum Adami non fuit, quanquam fuit universalis Legis transgressio; nec Pharaonis, quanquam peccavit ביד רמה *elata manu;* nec Pauli, quanquam blasphemus & persecutor Ecclesiæ fuit; nec Petri, quanquam ter Filium hominis abnegavit; nec Ananiæ, quanquam Deo Spirituique Sancto mentitus est; nec denique Simonis Magi, quanquam Spiritum Dei mercabilem putavit ac prostituit. Attamen si quis omnia peccatorum illorum vestigia persequatur, & quicquid turpissimum est in singulis, mentis agitatione in unum conjungat, remotâ omni vi tentationis, qualis in Adamo; omni studio tuendæ supremæ potestatis, qualis in Pharaone; omni ignorantiâ, qualis in Paulo; omni timore mortis, qualis in Petro; omni illecebrâ ingentis lucri, qualis in Anania; omni denique ad spem veniæ rimâ, qualis in Simone ipso fuit; ut sola simplex impudentia & nuda nequitia supersit, is non absimile peccati contra Spiritum instar informaverit; cujus Πρωτότυπον in diabolo cernitur. Hic enim peccat ut peccet, nullo fructu, tota voluntate. Homo igitur qui γυμνῇ κεφαλῇ partes diaboli sequitur contra Deum, & in quo non spiritus contra carnem luctatur, quod est humanum, sed spiri-

tus contra Spiritum, adeò ut pro spiritu Satanæ contra Spiritum Dei contumeliosè tum blasphemias evomat, cùm Deus edendo miracula hominum saluti maximè indulget; non mirum, si talis homo seminis Abrahæ privilegijs abdicatur, & cumulatâ peccati mensurâ, traditus in sensum reprobum, æternam Dei maledictionem cùm diabolo incurrit, nullâ spe veniæ relictâ. Occasio anathematis hujus fortè petenda ex dicto Rabbinorum: החולק על רבו כחולק על שכינה. *Qui contendit contra Magistrum suum, est quasi contendens contra Spiritum Sanctum.* Hoc jactantibus inter discipulos Pharisæis dicit Dominus, Nescitis quid sit peccare contra Spiritum Sanctum? Qui meum, Filij hominis, nedum qui vestrum, contemnit magisterium, non est hujus peccati reus: sed qui blasphemat contra potentiam & demonstrationem Spiritûs, hoc est miracula divina, ut vos.

℣. 36. Πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, *Omne verbum otiosum.*] Id est *verbum malum & improbum*, non quod otiosa verba non sint peccata, cum quicquid loquimur non secus ac quicquid facimus, ad gloriam Dei referri debeat: Sed quod ut sic vertamus, cum series orationis videatur suadere, tum ipsius vocis potestas. Postquam suprà dixit de peccato in Spiritum Sanctum alludere nunc videtur ad vulgare dictum Rabbinorum, *Spiritum Sanctum non habitare inter* ראש קלות *caput levitatis, aut verba otiosa* דברי בטלים, Exemplaria quædam, ῥῆμα πονηρὸν, juxta comma præcedens. Non tantùm de malefactis, sed etiam de maledictis ratio reddetur. Optimo sensu, qui voce ἀργὸν pariter continetur. Est enim ἀργὸν *velox, leve, temerarium*, cùm ἡ γλῶσσα προτρέχει τῆς διανοίας, *Et semel emissum volat irrevocabile verbum.* Homero Πόδαργος equus est ποδας ὠκύς. Moschopolus, Ἀργὸς, ὁ λευκός ἢ ὁ μὴ ἐργαζόμενος, ὃς καὶ ἄργος λέγεται ποιητικῶς ἢ ὁ ταχὺς, κατ' ἀντίφρασιν. *Leve* autem hic non est mutabile aut inconstans, sed vile, improbum; nam *levem hominem* Tullius denique vocat Antonium, postquam in eo maledicendo vim omnem contumeliarum & omnes ideas consumpsit. Ad etymon si respicimus, ἀργὸν est propriè *nequam*, & opponitur non τῷ ἔργῳ, sed τῇ εὐεργεσίᾳ, ut nequam opponitur frugali, & apud Terent. Adelphei *qui alicui rei est*. Cicero 3. Tusc. *Frugalitas, ut opinor, à fruge, quia nihil melius è terra oritur; Nequitia ab eo (etsi erit hoc fortasse durius, sed tentemus, & lusisse putemur, si nihil sit) quod nequicquam est in tali homine, ex quo nihili idem dicitur.* Nec erat quod excusaret, cùm eandem originationem approbârit Varro lib. de Lingua Latina, ut refert Gellius hîc videndus, lib. 7. cap. 11. Eandem laudat Augustinus de Vita beata· Sic nostratibus; *Qui nihil valet, qui nihil facit*, probrosum est. Nec obscura est hæc λιτότης in voce *infamis*, & in voce *improbus*, Tertulliano *imbonus*, & (quod idem est) *immanis*, quæ non virtutis expertem significat, sed malitiosum. Sic ἄσωτοι, & ἀκόλαστοι Græci di-

eunt, & ἄνομον, sed & ἀχρεῖον, & ἄχρηστον, αὐτὶ τοῦ κακοποιοῦντα καὶ μιαρόν. Certè si ἀργὸς *piger*, κατ' ἀντίφρασιν *velocem* significat quidni ἀργὸς quasi ἄεργος, *inutilis*, *infructuosus*, accipi possit pro πανοῦργος, ut *nequam*, pro conscelerato? Glossarium, *Nequam*, ἀχρεῖος· *nequitia*, ἀχρειότητες, κακίαι· *nequius* (fortè *nequis*) πονηρὸς, ἀχρεῖος. Nec aliter ἄκαρπον sumitur Eph. 5. 11. Atque ut μάταιον שוא *vanum* pro falso, sic ἀργὸν *inutile* pro noxio & malo. Tota loci series postulat ut sic intelligamus: *Verba illa & voces ludibriosa, quas vos nihil putatis, à corde malo profecta, maligna sunt, & vos aliquando condemnabunt.*

ỷ. 40. ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς, *Sicut enim fuit Ionas.*] Scholia Bibiothecæ Mediceæ optima & antiquissima in Homerum, ubi de Nestore trisecli-sene; Καὶ γὰρ ὁ ἡλιακὰς ἡμέρας ἀποδημήσας, καὶ τῇ τρίτῃ τῆς ἑωθινῆς ἐξιών, διὰ τριῶν ἀποδημεῖν λέγεται, καίτοι μίαν μόνην τηρήσας τὴν μέσην. Sic Nestor dictus tres vidisse γενεάς· quod ibidem explicatur eruditè. Ità Christus tres dies & tres noctes fuit in sepulchro, i. tria νυχθήμερα, licèt medium tantum νυχθήμερον fuerit integrum: primi nempe ac tertij νυχθημέρου pars accipitur pro toto. Nec Ionas, ut arbitror, diutiùs fuit in ceto. Nec aliter dicitur hîc *in corde terræ* Christus, quod non est vexandum, quàm Ionas, בלבב ימים, LXX. εἰς καρδίαν θαλάσσης· ut *in corde maris* Tyrus, i. in introitu maris. Vt autem forma hæc loquendi de loco non debet accipi, κατὰ τὸ ἀκριβὲς, ità nec illa prior de numero dierum & noctium; sed ex recepta Iudæis loquendi & putandi consuetudine. Accedit quod Iudæi miracula contemnentes Christi, ea vocabant *è terra*, & opponebant miraculis Prophetarum è cœlo; quòd ea Christus ederet in terra. Rectè igitur *in corde terræ*, idest non in superficie terræ, aut super terra, sed sub terra ipsa; Eph. 4. 9. *in partibus infimis terræ*, ac sepulchro. *Cor* igitur *terræ* quicquid sub terra est. Porrò manifestum est Dominum hîc indignabundum loqui, & zelotypiâ incensum. Ex cœlo miracula poscitis, ex terra contemnitis. Non me decet morigerari vestræ proterviæ. Dabo unum pro cunctis, maximum miraculorum, non quale vos optatis; sed quale me dignum est, cui simile nullum Prophetarum vestrorum quisquam edidit, Resurrectionem mei proprij corporis, non tantùm ex terra; sed ex ipso corde terræ, ut vos vestri pudeat, qui signa è terra putatis aspernanda. Nullum è cœlo unquam prodijt huic ex corde terræ comparandum. Ferè ut olim cum Achazus signa & ex cœlo & ex terra recusaret. Propheta ut increduli Regis fastum contunderet, ex Virgine nasciturum Emmanuelem, ac tum ex cœlo, tum ex terra proditurum, irâ percitus pro signo dedit, & obtrusit invito. Vide quæ annotavimus ad Matth. 1. 23.

MATTH. Cap. XIX. ỷ. 24.

Εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διελθεῖν διὰ τρυπήματος ῥαφίδος, *Facilius est Camelum per foramen acus transire.*] Clemens Alexandrinus habet βελόνης pro ῥαφίδος, & διελεύσεται pro διελθεῖν &, quod magis mirabitur qui mi-

nùs fuerit in Patrum lectione volutatus, φιλοσοφεῖν pro εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν. Origenes τρυμαλιᾶς pro τρυπήματος, ubi Celso respondet objicienti totum hunc locum detortum ex Platone, Τοῦ Ἰησοῦ παραφθείροντος τὸ Πλατωνικὸν, ὅτι ἀγαθὸν ὄντα διαφερόντως καὶ πλούσιον διαφερόντως ἀδύνατον. Trita fuit Iudæorum Parœmia, non modò de Camelo, sed etiam de Elephante, fortè etiam de rudente. Certè jam Theophylacti ævo quidam de fune nautico hunc locum intellexere, sibique visi sunt rem acu tangere. Scilicet ex vicinia pronunciationis, ut alibi sæpe, orto errore, non κάμηλον legerunt, sed κάμιλον, quòd significare *rudentem*, ex Suida & Scholiaste Aristophanis docemur. Dominus Syriacè dixit גמל, non חבל, unde Græcum κάμιλον, Gallicum *cable*, Belgicum *cabel*. Est autem camelus gibbosum animal & tortuosum, *quod exigua caverna præterire non patitur*, ut Maximus Episcopus loquitur. Quò tortuosius eò ineptius ad transeundum, & eò aptius hyperboles intentioni. Nec minor apud Arabes affinitas harum vocum. Ex eadem enim radice sunt גָּמַל *Iamalōn*, *Camelus*, & גֻּמַּל *Iummalon*, *rudens*, *funis crassior*, nullo discrimine ubi sine vocalibus leguntur. Habetur & in Corano, capite de Muro, *Potiùs intraret camelus per foramen acus.*

MATTH. Cap. XXII. ℣. 32.

ΟΥΚ ἔστιν ὁ Θεὸς Θεὸς νεκρῶν, *Deus non est Deus mortuorum*] Quantam creârit molestiam hic locus eruditissimis ingenijs, notum est. Contendunt magis animæ immortalitatem ex Domini argumento effici, quàm corporum resurrectionem, de qua tamen disertè agebatur. Nos existimamus & hîc & alibi non meliùs levari posse difficultatem, quàm si occasio dicti perpendatur. Scitum erat inter Iudæos pervagatum, אין הקדוש ברוך הוא מייחד שמו על הצדיקים בחייהם *Deus Sanctus benedictus non tribuit nomen suum Iustis adhuc viventibus*: hoc est, Deus non dicitur esse Deus justi alicujus, dum vivit, sed postquam est mortuus. Benè, an secùs nunc equidem non interpretor: sed hoc volebant, nunquam de aliquo dicere Deum, *Ego sum illius Deus*, nisi post ejus mortem in altero demum seculo: nam hi, hoc est Iudæi promiscuè, resurrectionem credebant; at Sadducæi contrà, οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, qui animam exstingui cum corpore docebant, & nihil hominis post mortem superesse; ijdem, ut erat consentaneum, dicebant, *Deum esse Deum non mortuorum, sed viventium*: id quod ex eorum hypothesi necessariò sequebatur: alioqui Deus neminis unquam fuisset Deus. Assumit hoc eorum principium Dominus admirabili sapientiâ: *Falli Iudæos divitis vos*, inquit, *cùm Deum dicunt mortuorum esse Deum. Esto; non sit Deus mortuorum, sed viventium, hoc vos ipsi docetis. Atqui Deus est Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: hoc Deus ipse dixit, post-*

quam erant mortui. Oportet igitur vivant illi: sed (apud vos maximè qui negatis animam extra corpus posse vivere) quo tandem pacto viventes dici poterunt, si nulla sit resurrectio? Itaque medij tenebantur, ut nisi vellent aut id verum negare quod ipse Deus dixerat, aut proprio renuntiare dogmati, resurrectionem confiteri cogerentur. Planè invictum argumentum, sed πρὸς ἄνθρωπον, ut Philosophus loquitur.

MATTH. Cap. XXIII. ℣. 37.

Ὃν τρόπον ἐπισυνάγει ὄρνις, *Quemadmodum Gallina congregat:*] Rectè notatum est ab alijs, qui proselytos facit, eum dici à Magistris, *eos congregare sub alis divinitatis.* Addo, proselytum ab ijsdem dici לידבק תחת כנפי השכינה *hærere sub alis divinæ majestatis*: quod meruisse dicitur Bathia filia Pharaonis, ut est apud R. Eliezerem. Adde & Maimonidem, apud quem Gentilis qui fœderis est particeps, & ולהסתופף תחת כנפי השכינה *qui congregatus est sub alis divinæ Majestatis*, accipiuntur ἐκ παραλλήλου. Sed his in formulis magis respiciuntur alæ Cherubinorum in Arca. Vide 4. Esdræ 1. 10. Nec Scriptoribus Ethnicis fuit ignota hæc à gallina & pullitie ducta similitudo. Eam enim Homerus Achilli suo induit, & ex eo recitatur à Plutarcho Περὶ φιλοστοργίας, qui τὰς ἀλεκτορίδας ait τοῖς νεοττίοις ἐνδοῦσαι χαλάσας τὰς πτέρυγας. Eandem habes apud Alphęum in Anthologia, & fusè deductam apud Oppianum.

MATTH Cap. XXIV. ℣. 28.

ΟΠΟΥ γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί, *Vbicumque enim fuerit cadaver, illuc congregabuntur aquilæ.*] Chrysostomus *vultures*, non *aquilas* reddidit. Aquilas profectò certum est nunquam vesci cadaveribus, quorum voracissimi sunt vultures. Interpretes Aristotelis: Ὅτι δὲ βασιλικὸς ὁ ἀετὸς δηλοῖ τὸ μηδὲν αὐτὸν θνησιμαῖον ἐσθίειν. Iob. 39. 33. (qui locus à Domino respici videtur) ubicunque חללים τραυματίαι *occisi, ibi aquila*; meliùs *vultur*. Nam eadem vox Hebræis & Arabibus aquilam juxta & vulturem significat. Cætera verò quę Iob eo loco memorat, non minùs in vulturem quàm in aquilam conveniunt. Novi quidem γυπαετὸν (sic enim legendum apud Aristotelem lib. 9. de Hist. animalium cap. 32.) quasi dicas vulturem aquilinum, delectari cadaverum esu; sed hoc ex vulture, non ex aquila trahit. Martialis, *Cujus vulturis hoc erit cadaver?* Seneca Ep. 46. *Si vultur es, cadaver exspecta.* Plinius lib. 10. cap. 6. *Biduo aut triduo volant, ubi cadavera futura sunt.* Quos & Basilius Hexaëmero, castra comitari scribit. Lucianus in limine Πλοίου. Θᾶττον τοὺς γῦπας ἔωλον νεκρὸν διαλαθεῖν. Artemidorus, Νεκροῖς γὰρ χαίρουσι σώμασι γῦπες. De aquila nihil horum lego: Quare igitur hîc Dominus, nec οἱ γῦπες, nec οἱ γυπαετοὶ dixit, sed οἱ ἀετοί; omninò prudens ac de industria, ut καθ' ὑπόνοιαν significaret aquilas Romanorum, & exercitum qui post mortem suam obsessurus erat & vastaturus

Hierosolyma; respexitque simul Deut. 28. 49. & Dan. 9. 27. Hæc illa est *abominatio desolationis*, quam στρατόπεδον Lucas interpretatur, planè dicere solitus quæ Matthæus ἐσχηματισμένος. Idem σῶμα dixit, non πτῶμα, quasi de corpore Domini cogitans, quod antè crucifigendum erat, idque Hierosolymis, quàm Romanorum aquilę advolarent. Opponi præterea videtur hoc oraculum Pharisæis Ioan. 11. 48. dicentibus: *Si dimittamus illum, Romani venient, & urbem ac gentem exscindent.* Contrà verò, inquit Dominus, quia me non dimittent illi; sed occident, Romani postmodùm venient, virga furoris mei, mortémque meam supremo Templi & Vrbis & totius Gentis excidio ulciscentur. Scio tamen hunc locum in sensus alios μυστηριώδεις diffundi posse, ac debere. Cæterum hæc, ut opinor, congregatio Aquilarum conjungi commodè potest cum ijs quæ dicebat Dominus, fine capitis præcedentis, de congregatione pullorum gallinaceorum; *Hierusalem, Hierusalem! quoties volui congregare te sicut gallina congregat pullos suos? & noluistis. Ecce domus hæc deserta relinquetur:* hoc est, templum vestabitur. Romani venient, Aquilæ congregabuntur, & urbem obsidebunt. *Quando autem?* interrogant discipuli, de tempore; postmodum, *Vbi autem?* ut est apud Lucam, de loco. Ad quæstionem de tempore Dominus ità respondet, ut signa præcessura commemoret. Vbi verò, inquiunt, hæc omnia contingent? Quorsum evadet hæc tempestas? Vbi tum erimus nos? ubi te requiremus? Nolite angi, respondet Dominus ad quæstionem de loco; nec enim, ut nunc, & olim sic erit. Nunc frustrà congregare annitor illos, ut gallina pullos: nolunt, enim, & Evangelij mei vocem aspernantur. Tunc autem congregabo vos arcanâ vi spiritûs mei, cui resisti non potest: nam ex nolentibus volentes facit, quemadmodùm corpus mortuum aquilas trahit, quod ubi semel odorantur, non possunt non advolare, ἴυγγι quadam ἑλκυστικῇ. Non aliter vos motu spontaneo congregabimini circa me blanda vi Spiritûs, & instinctu ac ῥοπῇ cœlesti. Quis Aquilam docuit ubi sit cadaver? Quis eorum greges (alioqui vix congregantur) deducit ad prælium? Naturæ ingenium. Corpus eos mortuum hoc est præda & fames cunctos alliciunt, & simul congregant. Non minùs apud vos poterit odor mortis & amoris mei, vitæ ad vitam: coget enim vos, & conjunget mecum omnes, quantumvis dispersos in mundo, supernaturali quodam instinctu, & πειθανάγκῃ suaviter invictâ & quasi magneticâ. non latebo in deserto, non in conclavibus; sed palàm, ut fulgur, apparebo. Videbitis ipsi me surrectis, non conniventibus ad fulgur, ac nè ad Solem quidem, oculis; nec priùs videbitis quàm sponte rapti advoletis in nubibus ocyùs aquilâ. Nam de fine mundi potissimùm loqui Dominum constat ex Luca.

ψ. 50. Οὐ προσδοκᾷ, *Non exspectat.*] Vulgat. *non sperat*: nec malè. Contrà, Græcis, ἐλπίζειν *exspectare*, idque Atticè. Suidas in voce

Ἐλπίσας

Ἐλπίσαι; Οὐ μόνον, inquit, ἐπ' ἀγαθῶν ἀλλ' ἁπλῶς ἐπὶ τῇ τοῦ μέλλοντος ἐκβάσει, λέγεται παρὰ Ἀττικοῖς. Hipppocrates, ἐλπὶς ἐκστῆναι, quod alibi dixit δέος γε ἐξανίστασθαι. *insania metuenda*, vel *exspectanda est*. Democritus Hippocrati, Κάρτα γὰρ ἔλπομαι μηδὲ τὴν σὴν ἰατρικὴν αὐδασθεῖν, *Valdè metuo.* Socrates apud Platonem de condemnatione sua, Οὐκ ἀνέλπιστόν μοι γέγονε τὸ γεγονός. Hinc sperare *dolorem* apud Poëtam, & *quartanam*, *barbaricum incursum* in codice Theodosiano, *damnum* in Pandectis, *inediam* apud Ammianum. Nec aliter Thucydides descriptione pestis. Eadem quoque ratio harum vocum in idiomate Tecto-sagum. Incredibile dictu quàm multa sint apud interpretem illum qui Vulgatus dicitur, in speciem barbara & inepta, quæ postquam æquâ judicij lance libraveris, quæsitiùs quidem usurpata, sed erudita & bonæ frugis plena reperias.

℣. 34. Vide quæ dicentur ad Ephes. 6. 15.

NOTÆ AD MARCVM.

CAPVT IX. ℣. 49.

Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, *Omnis enim igne salietur.*] Occupatio: Quo tandem pacto non solventur in cineres ab igne illo inexstincto gehennæ corpora, nec à verme illo immortali erosa tandem computrescent; quorum alterum fieri videmus, quoties rogo imposita cremantur: alterum, quoties terræ mandantur? Non anima pro sale ipsis erit; sed ignis ille vi præditus conservandi materiam suam ad supplicij perpetuitatem. Πᾶς γὰρ (αὐτῶν) *igni salietur*, hoc est, servabitur à corruptione, quod est proprium salis. Omninò quæ præcessit mentio Vermium de Sale loquendi locum dedit; juxta illud quod ex Magistris observatum est, *Caro sale destituta putrescit, & fit cibus vermium: sic corpus absque anima.* Hîc sale saliri debet omne sacrificium, quod qui non fecerit, in æternum igni salietur: Nam sali non salienti, sed infatuato, non aliud quàm ignis illius condimentum exspectandum est.

Ut Inferno tribuuntur ſepulchri nomina, ità hæ duæ quibus deſcribitur, imagines (quæ pariter in Hiſtoria Iudithæ conjunguntur, & in Eccleſiaſtico, ubi *vermes & ignes* dicuntur *vindicta carnis impiorum*) petuntur ex duplicitatione funerandi mortuos, cremando vel inhumando. Quamvis autem quæ cremabantur, non inhumarentur, nec traderentur eſca vermibus; tamen hæc utraque conjungitur imago quoniam alterutra depingendis æternis illis cruciatibus non ſufficiebat. Nec aliter ex adverſo ignis & ſal conjunguntur, quoniam ignis ille comburet corpora, non abſumet; arrodet vermis ille, non deſtruet. *Igne* autem *ſaliri* dicitur, ut *igne baptizari*, ſeu *lavari*, & *ſanguine dealbari*. Noſter ignis purgat; ſal impedit corruptionem, non ignis: at ignis ille non purgabit, ſed corruptionem impediet, inſtar ſalis, pœnæ perpetuandæ.

℣. 49. *Καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται, Et omnis oblatio ſale ſalietur.*] Hæc verba ter leguntur Levit. 2. quia ter ſal inſpergebatur; in cubiculo Salis; in ſcabello altaris; & in ipſo altari, ſi Magiſtris fides, qui polluta dicunt hæc Sacra, ſi fierent abſque ſale. Iidem Miſnam aceto, Thalmud aromatibus, Legem ſali comparant. Maimonides, Ductore dubitantium, ideò præſcriptum hoc ait in Lege Dei, quòd Idololatræ ſale non uterentur in ſacrificiis; ex adverſo fermentum & mel vetitum, quoniam iis Idololatræ uterentur. Equidem poſterius certum habeo; prius vel de mero ſale intelligendum puto: nam de mola ſalſa notum eſt, omnibus eam ſacris adhibitam; vel de temporibus Abrahami, quibus nondum viguerit ille mos inter ignicolas, maximè cum ſal contrarius igni, atque inde dictus à nonnullis exiſtimetur. Sed magis placet à Maimonide per *Idololatras Ægyptios* intelligi, qui *Typhona* vocabant aquam marinam, quam nullis adhibebant ſacris, ut eſt apud Herodotum. Nec quicquam putabant Typhone inimicius Oſiridi quem colebant. Nec Sacerdotibus Ægyptiis licebat ſalem menſis inferre, quia typhonis eſſet ſpuma. Nec piſces guſtabant, & nautas oderant; & eos Plutarchus ait propter mare averſari eos etiam qui uterentur mari. Non eſt autem dubium, & hoc de ſale inſtitutum, & alia in Lege Moſis fuiſſe ſacris Ægyptiorum oppoſita. Poſtea tamen quàm Deus id Moſi præſcripſerat, diabolus ſalutis diſciplinæ adulter, ut verbis Tertulliani loquar, apud Gentiles & hoc & alia æmulanter affectavit, ut de ſimilitudine fidem infirmaret veritatis. Indè τὸ ἅλας θεῖον dictum eſt Homero, θεοφιλὲς Platoni, θεοφιλέστατον Plutarcho, & *maxima ſalis authoritas è Sacris veterum* Plinio. Romani, teſte Arnobio, ſacras menſas fieri credebant ſalinorum appoſitu. Hinc eſt quòd ſal cum pace conjungitur ultimo capitis hujus commate. Ipſum etymon aperiet quanta ſit utriuſque neceſſitudo Verba ſunt Euſtathii, poſtquam Sal σύμβολον τῆς κατὰ φιλίαν ἑνώσεως dixit; ὡς γὰρ ἅλς ἐξ ὑδατίων πολλῶν ῥυτῶν καὶ χυτῶν παγεὶς ἕν τι στερεὸν γίνεται

σῶμα. οὕτω καὶ οἱ συνελθόντες εἰς ξενίαν ἐκ διεστώτων εἰς ἓν τῷ τῆς πόσεως καὶ τῇ φιλικῇ διαθέσει συνήχθησαν. Il. α. Vnde Lycophroni Salμυσός dicitur ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι, & inde Pax. Εἰρήνη pręterea eidem Eustathio, παρὰ τὸ εἰς ἓν εἴρειν, *quòd in unum nectat*, & compingat, dicitur.

NOTÆ
AD
LVCAM.

CAPVT PRIMVM, ℣. 1.

Ἐπεχείρησαν, *Aggressi sunt.*] Hac voce inter alios crebrò utitur Origenes Φιλοσοφουμένων libro, qui primus est Operis quod adversus omnes Hæreses scripsit, & in Bibliotheca Florentina servatur. Nam & in ipso procemio, postquam de Stoïcis dixit, Ἐπίκουρος δὲ σχεδὸν ἐναντίαν δόξαν πάντων ἐπεχείρησεν· & paulò pòst, ἵνα παύσωνται τῆς ἀλογίστου γνώμης, καὶ ἀθεμίτου ἐπιχειρήσεως. tum, Ὅπως τὰ ἐπιχειρήματα αὐτοῖς γένηται, καὶ ὅτι μηδὲν ἐξ ἁγίων γραφῶν λαβόντες ταῦτα ἐπεχείρησαν, &c. ἀλλ' ἐκ δογμάτων φιλοσοφουμένων, καὶ μυστηρίων ἐπικεχειρημένων, καὶ ἀστρολόγων ῥεμβομένων. Et subindè, Ἔπειτα συμβαλεῖν ἑκάστην αἵρεσιν ἑκάστῳ, ὡς τούτοις τοῖς ἐπιχειρήμασιν ἐπιλαβόμενος ὁ πρωτοπλαστήσας τῆς αἱρέσεως ἐπλεονέκτησε λαβόμενος τὰς ἀρχὰς, καὶ ἐκ τούτων ἐπὶ τὰ χείρονα ὁρμηθεὶς δόγμα συνεστήσατο· ἔστι μὲν οὖν πόνου τὸ ἐπιχειρούμενον, καὶ πολλῆς δεόμενον ἱστορίας. Et initio libri, Λέγεται Θαλῆν τὸν Μιλήσιον πρῶτον ἐπικεχειρηκότα φιλοσοφίαν φυσικήν. Mirum sanè vocem hanc occurrere toties in tam paucis versibus. Quam cùm constet esse medij generis, nec semper significare τὸ παρεγχείρημα, non tam ea, quàm universus color τῆς προσφωνήσεως quâ Lucas utitur, maximè verò illud (ἀκριβῶς) innuit parùm cumulatè satisfecisse Theophilo, certè quotquot de Christi rebus anteà scribere instituerant. Quos necesse non est aut Apostolos aut Pseudo-Apostolos fuisse, cùm pij quidam homines & pleni fidei, sed haud plenâ rerum tantarum notitiâ imbuti, nè memoria earum abolesceret, animum ad scribendum appellere potuerint, At quis hic Theophilus? Nemo veterum, nemo recentiorum docet. Liceat suspicari fuisse illum, quem Areo judicio falsi damnatum Athenienses concedere noluerunt precibus Pisonis, si tempora convenirent. Apud Tacitum Annal. 2.55. Nec enim ijs accedo qui cum Epi-

phanio ſentiunt Θεόφιλον eſſe Dei amantem, quemvis Chriſtianum: parum quippe ſequentia cohærent.

℣. 4. περὶ ὧν κατηχήθης, *De quibus inaudiviſti.*] Nondum enim opinor Catechumeni qui poſteà dicti. Vide Act. XXI. 21. & 24. Plutarchus de fluvijs, eodem planè ſenſu vocem hanc adhibuit. Pactolus, inquit, Demodiæ ſorori cùm imprudens vitam abſtuliſſet, περὶ τῶν συμβεβηκότων κατηχηθείς. in fluvium Chryſorrhoam ſe projicit, hoc eſt *cùm talia inaudiviſſet*, Polybius, ἀκοὴν ἐξ ἀκοῆς vocat, cùm aliquid relatu modo & auditione accipimus.

℣. 18. Ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Oriens ex alto.*] Verti debet *oriens* non *germen*. Apud Prophetam verò צמח *germen*, non *oriens*. Nec alia opinor de cauſa Lucas addidit ἐξ ὕψους, quàm nè germen daretur intelligi, quod ἀνατολὴ pariter ſignificat; ſed ex terra prodiens, & ex Davidica domo ἀνατεταλκώς, Hebr. 7. 14. ὑποκάτωθεν αὐτοῦ, ut eſt apud alterum Zachariam 6. 12. ἐκ βάθους potiùs quàm ἐξ ὕψους. Hebræum צמח optimè LXX. & eruditè reddiderunt ἀνατολὴ, longéque meliùs quàm alij Græci, qui βλάστημα, vel qui ἀναφυή. Quæ vocabula ſunt humilia præ illo; ἀνατολὴ vox auguſtior. Autor Euſtathius ad Iliad. ί. Ἀμβροσίαν οὐ φύεσθαί φησι, τοῦτο γὰρ ταπεινὸν εἰπεῖν. ἀλλ' ἀνατέλλειν ἐκ γῆς· σεμνοτέρα γὰρ καὶ θειοτέρα ἡ τοιαύτη λέξις. Religioſiores autem omninò videntur qui pertendunt ἀνατολὴν ortum Solis, aut regionem unde oritur, ſignificare, non orientem Solem. Ἀνατολὴ, hoc eſt, ὁ ἀνατέλλων, ut Spiritus *unctio*, Chriſtus *pax*. Nec aliter Plinius dixit *Solem principale naturæ regimen*, pro *rectore*.

LVC. Cap. II. ℣. 14.

ΚΑΙ᾿ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, *Et in terra pax.*] Abarbinel in Eſa. 11. inter decem privilegia Meſſiæ putat *abundantiam pacis* ipſius tempore. Quę nunquam in mundo, aut ſub id tempus quo natus eſt Chriſtus, contigit, cum Ianum Auguſtus tertiùm cluſit. Hoc verò etſi jucundam & contra Iudæos utilem contemplationem habet, non eſt hîc præcipuè intelligendum, nec præcipuè fuit à Prophetis de Meſſia prædictum, Eſa. 2. Mich. 4. Pax illa quam Auguſtus orbi peperit, ſemper alicubi ſollicitata, nec diuturna fuit: nam ſub Tiberio & inſecutis Imperatoribus plena tumultûs omnia fuere. Iam *ſene Auguſto patefactus Ianus* (Taciti verba ſunt) *uſque ad Veſpaſiani duravit imperium.* Tranquillum miror dicentem ab Auguſto *terrâ maríque, pace partâ, ter cluſum.* Pręſtabat ſemel cluſiſſe: nam quod id toties fecit, pacem infidam & identidem interruptam feciſſe arguit. Qualiſcunque verò fuit externa illa pax, οὐκ ἀθεεὶ contigit, cùm ut daretur locus cenſui, cujus occaſione Chriſtus natus eſt in Bethleem, tum ut pervius fieret orbis Evangelio: ſed ab Angelis annuntiari debuit pax interna & æterna.

℣. 14. Ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, *In homines benevolentia.*] Nihil temerè

ſollicitari debet in textu Sacro: tamen cùm antiqui & optimæ notæ codices, complures etiam Græci legant εὐδοκίας, cùm nihil ſit proclivius quàm ut σῖγμα finale tranſeat in σῖγμα, cùm denique nulla ſit ratio cur in ſecundo membro καὶ adhibeatur, tertium verò ſit ἀσύνδετον, in hymno perbrevi; laboro ut credam & cordatè feciſſe qui lectionem hanc ſaltem ad oram poſuerunt, & poſſe hymnum eſſe bimembrem, in quo gloria Deo tribuatur in excelſis inter beatos Angelos, & pax annuntietur in terra, inter homines electos. Quos dum Angeli vocant ἀνθρώποις εὐδοκίας, tacitè opponunt generi ſuo, in quo nullus reconciliatus eſt Deo: quæ Dei εὐδοκία eſt. *Vobis* eſt natus, inquiunt.

℣. 16. Ἐν τῇ φάτνῃ, *In præſepi.*] Breviloquium, ſeu prægnans loquendi forma, in qua ſuppleri debet aut hoc, aut ſimile aliquid: *Et peperit primogenitum ſuum, & involvit eum faſcijs, & reclinavit eum in præſepi* (ſtabuli in quo peperit) *quia non erat ipſis locus in diverſorio.* Quod minus animadverſum locum dedit ſummorum Criticorum ſententiæ, quâ ſtatuunt, in ſtabulo natum, non tamen in præſepi, Dominum, quoniam φάτνη Græcis, ut *præſepe* Latinis, *ſtabulum* ſimpliciter interdum deſignat. Eſto. Sed ubi tota conſentiens præit antiquitas, cur non magis placeat vocis propria & uſitatior ſignificatio? Deinde, ſiquidem cùm peperit, & cùm faſcijs obligavit eum, jam erat in ſtabulo, quid adjici opus erat illud, *Et reclinavit eum in ſtabulo*, quaſi extra ſtabulum peperiſſet? Cùm verò dicitur eum repoſuiſſe in *præſepi*, hoc ipſo ſignificatur in ſtabulo fuiſſe, cùm peperit eum, & cùm faſcijs obligavit. Denique, non abs re mentionem τῆς φάτνης poſt mentionem faſciarum bis diſtulerunt Lucas & Angelus, nempe quia compoſito faſcijs puero, nihil propius eſt quàm ut cunis imponatur. Quarum cunarum ſupplementum & ſimilitudinem commodam exhibuit capetum illud, quod præſepe dicitur: Ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, καὶ ἀνέκλινεν ἐν τῇ φάτνῃ· tum ἐσπαργανωμένον, κείμενον ἐν τῇ φάτνῃ.

℣. 29. Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, *Nunc dimittis ſervum tuum.* Atqui per mortem Deus ſervos ſuos ad ſe vocat, non dimittit. Supplendum igitur, *ex hoc ſeculo.* Nam Iudæi vocant mortem פטרה מן העלם *Solutionem à ſeculo.* Quod Clemens Alexandrinus Strom. 4. dixit τοῦ τοῦ βίου ἀπολύεσθαι. Tertullianus eleganter, *Seculo eximi, & exire de ſeculo, atque ad Dominum recipi.* Alterum eſt, ἀπόλυσις Simeonis *exire de ſeculo: alterum* ἀνάλυσις Pauli, atque *ad Dominum recipi.* Ἀπόλυσις *exitum*, ἀνάλυσις *reditum* deſignat. Ἀπόλυσις eſt ἔξοδος, Petri 2. Cath. 1. 15. ἀνάλυσις ἐπάνοδος à Philopono redditur. Vtriuſque vocis eadem ferè poteſtas, non idem terminus: Nam utraque ſæpe *abitum* ſimpliciter ſignificat: ἀπόλυσις Polybio non ſemel; ἀνάλυσις Scriptoribus Eccleſiaſticis, quibus ἀναλύειν πρὸς τὸν Κύριον eſt *abire ad Dominum. Abitus* autem vel *abitio* in omnibus linguis mortem ſignificat κατ' εὐφημι-

ἐμόν· sed ἀπόλυσις est abitus *ex hoc mundo*, Ioan. 13. 1. ἀνάλυσις est abitus idem, quatenus fertur *ad Deum*. Vtrumque conjunxit & Tertullianus jam laudatus, & Epictetus insigni loco: Ὅταν ὁ Θεὸς ἀπολύσῃ ὑμᾶς τῆς ὑπηρεσίας ταύτης, τότε ἀναλύσετε πρὸς αὐτόν. Nam quod Strom. 4. apud Clementem Alexandrinum legitur, θανάτῳ ἀπολυόμενοι πρὸς τὸν Κύριον, præcisa locutio est, pro θανάτῳ ἀπολυόμενοι πρὸς τὸ ἀναλῦσαι πρὸς τὸν Κύριον. Hinc est quod Ethnici quoties mortem ἀπόλυσιν vocant, plurimùm intelligunt *solutionem à corpore*. Plato Phæd. Δῆλός ἐστιν φιλόσοφος ἀπολύων ὅτι μάλιστα τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῆς τοῦ σώματος κοινωνίας. Et paulò pòst, Καθαρεύωμεν ἀπὸ τοῦ σώματος, ἕως ὁ Θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς. Ex eodem, oberrant circa sepulchra, ψυχαὶ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι. Marcus Imperator, ἀπολυθῆναι τοῦ σώματος. Themistius apud Stobæum, ἀπολύεσθαι τὸν τεθνηκότα, καὶ τὴν τελευτὴν ἀπόλυσιν καλοῦσιν· τοῦτο γὰρ δέμας ὀνομάζουσι, quasi *vinculum*. Δέμας λέγεται, inquiunt Grammatici Græci, διὰ τὸ συνδεδέσθαι τὴν ψυχὴν ἐν αὐτῷ, vel etiam *dimissionem à vita*, ut à convivio; Lucret. *Cur non ut plenus vitæ conviva recedis?* Plutarchus ineditus de Musica, ἀπέλυσε τοὺς δειπνοῦντας· Horat. ——*Ipse Deus me solvet, opinor.* Hoc sentit *Moriar*. Idem, *Quis te solvere Thessalis Magus venenis poterit?* quod optimè Græcè dixeris, Τίς ἀπολύειν σε δυνήσεται; Idem de equo emerito, *solve senescentem*, dixit. Dicitur & de milite; Glossarium, ἀπόλυσις, *missio*, ἀπολυθεὶς στρατείας, *emeritus*. Et de reo: quod tamen ut ἰδιωτικὸν Pollux notat; sed immeritò, ut equidem arbitror, cùm Lucianus ille totus Atticus de Augusto dixerit, ἀπολύσας τοῦ ἐγκλήματος; & de uxore ἀπόλυσις γαμετῆς, repudium; & de liberis idem Glossarium ἀπόλυσις χειρός, *emancipatio*. Ac denique de servis; quod imprimis ad rem nostram. Hinc suprà laudato loco; ἀπολύειν τῆς ὑπηρεσίας, nempe ut Act. 13. 36. David ὑπηρετήσας τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ ἐκοιμήθη. Quod eleganter vocat Marcus Imperator ἀπολειτουργεῖν, *defungi*: ἀποθνήσκεις καὶ ἀπολειτούργησας, inquit. Vita *munus humanum assignatum à Deo* Tullio. Glossarium, ἀπολειτουργῶν. *Refunctus*; legendum *Defunctus*, vel *Re functus*. Est autem idem propemodum λειτουργεῖν, ὑπηρετεῖν, δουλεύειν. Hesychius, Λειτουργός, ὑπηρέτης· Λειτουργεῖν, δουλεύειν· Vt igitur quid voluerit Simeon, cùm dixit ἀπολύεις intelligas, etiam ea quæ sequuntur expende, τὸν δοῦλόν σου, δέσποτα. Rhythmus *Gallica* vellem feliciùs reddidisset; contrarium enim canere videtur. Cæterùm nihil frequentius apud Authores, quàm ut mortem optent ij quibus summa contigit quædam felicitas. *Nunc tempus est*, inquit ille, *cùm me patiar interfici, nè hoc gaudium contaminetur ægritudine*. Alia notârunt alij: sed miror excidisse illud Homeri de Vlysse, qui, modò possit

——— ———καπνὸν ἰδέσθαι
Ἧς γαίης, θανέειν ἱμείρεται.
———mortémque libenter adibit,
Fumum de patriis possit modò cernere tectis,
Dux Laërtiades.

LVC. Cap. IV. ✠. 23.

Ἰατρὲ, θεράπευσον σεαυτὸν, *Medicè! cura te ipsum.*] Solus hoc habet Lucas Medicus, ut solus Matthæus Publicanus illud, οἱ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτὴν, quod de Publicanis dictum docuimus. Solus discipulus dilectus, *Regnum meum non est de hoc mundo*, notante Augustino. Notus est Senarius ab alijs laudatus, qui non semel apud Plutarchum legitur, & quem sic Nazianzenus orationi solutæ aptavit: Ἄλλους ἰατρεύειν ἐπιχειροῦντες, αὐτοὶ βρύοντες ἕλκεσι. Servius Sulpitius dixit: *Neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere Medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt.* Hippocrates medico præscribit, ut optimè habito sit corpore ac benè colorato: Ἀξιοῦνται γὰρ ὑπὸ τῶν πολλῶν, οἱ μὴ διακείμενοι τὸ σῶμα οὕτως, ὡς οὐδ᾽ ἂν ἑτέρων ἐπιμεληθῆναι καλῶς. Euripides,

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὐτῷ σοφός.

Tullius, *qui sibi ipsi sapiens prodesse nequit, nequaquam sapit.* Non est autem insolens ut sapientia & virtus cum medicina comparentur. Cicero. *Nimium opera consumitur à Stoïcis, maximè à Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo.* Tusc. 4.

LVC. Cap. V. ✠. 36.

Ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ, *Panniculum novi vestimenti.*] Stilbo apud Diogenem Laërtium, algenti Crateti, Ὦ Κράτης, δοκεῖς μοι χρείαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ, ὅπερ ἦν νοῦ καὶ ἱματίου. Lucianus, Epist. Saturnal. Ὁλόχρυσον μὲν τὰ ἔξω, κατάρραφον δὲ τὰ ἔνδον, ὥσπερ αἱ τραγικαὶ ἐσθῆτες ἀπὸ ῥακῶν πάνυ εὐτελῶν συγκεκομμέναι.

LVC. Cap. VI. ✠. 45.

Ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ, *Ex abundantia enim cordis loquitur os.*] Hoc vult; Qui loquitur, de ijs libenter loquitur quæ vehementer amat. Alioqui omnis affectus non est loquax: nam dolores ingentes stupent. Interdum nihil effunditur ex eo quod plenum est. Quâ similitudine alio in argumento usus erat Archytas Pythagoricus apud Porphyrium in MS. Medic. ubi & quosdam sonos ob nimiam intentionem non audiri docet. Verba, ὡς κεῖται, ità fideliter descripsimus: Πρᾶτον μὲν οὖν ἐσκέψαντο ὅτι οὐ δυνατόν ἐστιν ἦμεν ψόφον, μὴ γενηθείσας πληγᾶς τινων ποτ᾽ ἄλλαλα. πλαγὰν δὲ ἔφαν γίνεσθαι ὅκκα τὰ φερόμενα ἀπαντιάζοντα ἀλλάλοις συμπίπτῃ. τὰ μὲν οὖν ἀντίαν φορὰν φερόμενα ἀπαντιάζοντα αὐτὰ αὑτοῖς συγχαλᾶν, τὰ δὲ ὁμοίως φερόμενα, μὴ ἴσως δὲ τάχει περικαταλαμβανόμενα περὶ τῶν ἐπιφερομέναν, πληττόμενα ποιεῖν ψόφον. Πολλὼς δὲ αὐτῶν οὐκ ἔστιν ∴ ∵ ∴ ∵

τῇ φύσει οἵους τε γινώσκεσθαι. τὼς μὲν διὰ τὴν ἀσθένειαν τᾶς πλαγᾶς, τὼς δὲ καὶ διὰ τὸ μᾶκος τᾶς ἀφ' ἁμῶν ἀποστάσιος, τινὰς δὲ καὶ διὰ τὰν ὑπερβολὰν τῶ μεγέθεος. οὐ γὰρ παραδέχεσθαι εἰς τὰν ἀκοὰν ἁμῶν τὼς μεγάλως τῶν ψόφων, ὥσπερ οὐδὲ τὰ στόματα τῶν τευχέων ὅκκα πολύ τις ἐγχέῃ οὐδὲν ἐγχεῖται, &c. At si quid effunditur, non aliud effunditur quàm quod intus est. Quintilianus lib. 11. cap. 3. *Sonatque vox ut feritur*: hoc est, pro eo quem concipimus affectu.

LVC. Cap. XI. ✝. 44.

Μνημεῖα ἄδηλα, *Monumenta quæ non apparent.*] Lucem debet hic locus ijs quæ perreconditâ doctrinâ vir ad Maimonidis Præfationes ad Commentarios ad Misnajoth eruit ex monumentis Hebræorum. At vix tamen persuadet pro eodem accipi debere Matthæi ὡραῖα & Lucæ ἄδηλα. Contraria enim sunt, non minùs quàm destructa & ædificata denuò, ἠφανισμένα *parietinæ*; ut habes in Glossis, & φαινόμενα *spectabilia*, ut habet Matthæus; vel, si liberet μυθολογεῖν, ut Latona & Delia; seu mavis, ut ædificanda atque ignorabilia, & ædificata jam notissima. Nihil tamen contrarium Evangelistæ dicunt. Bipertitâ similitudine, quantum arbitror, usus erat Dominus, cujus parte alterâ contentus fuit Matthæus, alteram supplevit Lucas. Dixerat Dominus, Vos latere putatis, & dissimillimi patrum vobis videmini sub illo specioso colore, dum instauratis sepulchra Prophetarum ab illis interemptorum. Nugæ. Vestro ipsis vos indicio proditis: nam in hoc ipso quod affectatis opere bis pelluceris, & ante inceptum opus, cùm adhuc sunt ἄδηλα sepulchra; & post peractum opus, cùm jam sunt ὡραῖα. Primò quippe, in illa macerie incondita, quæ nullâ notâ nec ציון nec נפש insignita dubium relinquit, sepulchri cippus aut septum fuerit, an aliud ædificium, apparet imago vestra: sicuti enim viatores inambulant ejusmodi sepulchris nescij, à quibus tamen legali pollutione contacti discedunt; ità qui vobiscum propiùs versantur, quorum vultus ἠφανισμένοι tristes, & σκυθρωποὶ altè callidos mores & vulpinum celant ingenium, cujusmodi sitis, albi an atri, non facilè internoscunt, & consuetudine vestra priùs contaminati sunt quàm se contaminari sentiunt. Deinde, postquam ædificata sunt à vobis hæc sepulchra, inest rursus in ijs quædam quasi pictura vestrî. Nam ut illa jam tota opere albario inducta, & fulgenti tectorio prælita מסוידות visuntur; sed nihil interea præter cineres, & pulverem, & ossa intus recondunt: ità vos fucum facitis, personato vultu præferentes candorem, & eximiæ sanctitatis instar, quo nihil speciosius; at sub illis oculis serijs & fronte ficta, plena sunt omnia operibus mortuis, & rapinâ & immunditie. Digna omnino vobis est ars hæc ædificandi sepulchra, & undecunquè convenit. Hæc Dominus; quæ partiti sunt inter se Matthæus & Lucas: & ille ad pollutionem *physicam*, ut ità loquar, cadaverum (non enim soli Iudæi fugiunt mortuorum visum, contactum & odorem) hic ad pollutionem *legalem* respexit.

respexit. Nam in ea parte quam occupavit Matthæus, non erat metus à legali; quippe nihil ἄδηλον· at in ea quam addidit, Lucas sola hæc locum habet; immundos enim eos fieri imprudentes notat, qui super monumentis ignotis ingrediuntur. Vide quæ ad Matth. 23. 27.

℣. 48. Ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα, *Ædificatis eorum monumenta.*] Salsè dictum. Quos patres vestri funerarunt, ijs vos sepulchri honorem non invidetis. Euge! sanguis minimè degener! Quod unum supererat, eos componitis mortuos quos ipsi interfecerunt. Hoc est verè patrissare. Sic filios talium patrum decet. Gratum scilicet officium, sed & jucundum. Nempe sicut qui Romulum necârant, ijdem eum non ægrè retulerunt in numerum Deorum, quod ex Plutarcho rectè colligas: atque ut ille dixit quondam de fratre Geta, *Sit Divus, modò non vivus*; ita hi perlibenter hunc supremum honorem habebant Prophetis quos noluissent vivere, ut ex eo satis constat, quòd continuantes ac perficientes eorum doctrinam ferre non poterant. Hoc igitur pacto ipsi continuabant & perficiebant incepta patrum, in eodem perseverantes instituto, quanquam videri volebant in alia omnia ire. Sed quo facto se sperabant à patribus longissimè separandos, eodem facto sese ijs addebant imprudentes; dum eorum sepulchra curabant quos patres morte affecerant, quasi opus absolventes; quod *implere mensuram* hîc dicitur, & verbis Scripturæ dici quoque posset, ἀναπληροῦν τὰ ὑστερήματα τῆς πονηρίας αὐτῶν. Specie quidem honestâ colendi memoriam Prophetarum populo fortè imponebant: apud eos autem à quibus intelligebantur, hæc ostentatio & pompa justiùs trahebatur in argumentum consensûs arcani cum patribus: nam qui tam libenter ornabant Prophetarum sepulchra quos patres interemerant, eosque vivos interea persequebantur qui Prophetarum quàm simillimi erant, à se ipsi diffidentes, quidni dici poterant à patribus minimè diffidere? Non alienum est Martialis illud,

E servo scis te genitum, blandéque fateris,
Dum Dominum appellas, Sosibiane! patrem.

LVC. Cap. XX. ℣. 36.

Καὶ υἱοί εἰσι τοῦ Θεοῦ τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες, *Et sunt filij Dei, quandoquidem filij resurrectionis.*] Sicut *filij sæculi* dicuntur, non omnes qui vivunt in hoc sæculo, sed qui ei addicti sunt: nam Fideles etiam in hoc seculo vitam degunt; ita *Filij Resurrectionis* dicuntur non omnes qui resurgent. Sed ij qui resurgentes regnabunt; quasi eorum propria sit Resurrectio, quæ alijs longè diversæ sortis continget. Hebræis בן קימא Filius Fœderis est idem *Filius Resurrectionis*, ἀναστάσεως, vel ὑποστάσεως seu firmitatis: nam utrumq; pariter ex potestate vocis efficitur. Quam & Syrus Interpres hoc loco vocem posuit. Itaq; Dominus Syriacè loquens, vulga-

tum illud *Filios Fœderis esse Filios Dei*, traxit ad Resurrectionem, dextra metalepsi.

ꝟ. 37. 38. *Θεὸς γὰρ οὐκ ἔστι νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων, Deus autem non est mortuorum, sed vivorum.*] Notavit optimus Interpres ad Thargum Onkeli, opinionem fuisse Iudæorum, Deum non se dicere Deum esse alicujus in hac vita: Ergò in altera. Nec dixit Dominus in rubo, *Ego fui Deus Abrahami*, sed *Ego sum* (nam ità Matthæus, quod non est in Hebræo, disertè scripsit, non sine causa.) Etiam tum sic loquutus est, cùm Abrahamus in vivis non erat. Non igitur illi mortui sunt ità ut nunquam resurgant. Quid ergò? Dormiunt. Sed ubi eorum vita? Latet apud Deum abscondita, & corporibus reddenda. Πάντες γὰρ ζῶσι Θεῷ, inquit Lucas; *toti enim vivunt Deo.* Deus igitur est Deus viventium, contrà quàm vos Iudæi dicitis; sed viventium Deo. Non est enim vita quàm hîc vivitis. Nec est mortuorum Deus, ut vos dicere soletis; non enim sunt mortui, quos putatis, aut mortis filij. Quàm vitæ opponitur mors, tam resurrectio morti. Quos vocatis mortuos, eos postquam resurrectio novo partu ediderit, Filij Dei vocabuntur, & jam sunt. Deus enim est eorum Deus: hoc est, Pater, 1. Pet. 1. 3. etiam latentium in alvo matris. Non est autem pater qui corpus non generat. Resurrectio autem generationis & *παλιγγενεσίας* instar habet. Matth. 19. 28. Adoptionis enim, quam regeneratio (quæ totius est hominis novi) sancit, ultimus apex corporis redemptio, Rom. 8. 23. Vide quæ ad Matth. 22. 32. Nec abludit Platonis illud in Phæd. *Εἴπερ ἐστὶ τὸ ἀναβιώσκεσθαι, ἐκ τῶν τεθνεώτων ἂν εἴη γένεσις εἰς τοὺς ζῶντας αὕτη, τὸ ἀναβιώσκεσθαι.*

NOTÆ
AD
IOANNEM.

CAPUT PRIMUM, ꝟ. 1.

EN *ἀρχῇ, In principio.*] Cicero diceret, *In ipso temporis Principatu.*

ꝟ. 5. *Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν, Et lux ista in tenebris lucet, sed tenebræ eam non comprehenderunt.*] Arguté dictum à Diogene, *Illi me rident, sed ego non rideor.* Nec absimile Ciceronis illud, Paradoxo, *Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται, Iactam &*

immiſſam à te nefariam injuriam ſemper duxi: perveniſſe ad me nunquàm putavi. Vix aliter hîc: Lux tenebras illuminat; hoc enim eſt, ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνειν. ſed tenebræ non illuminantur; hoc enim eſt τὸ φῶς ἐ καταλαμβάνειν, Nam quòd ità Nazianzenus enarrat, ὑπὸ τῆς σκοτίας διώκεται μὲν, ἐ καταλαμβάνεται δὲ, alienum puto. Habuit in animo Eccleſ. 27.8. Sed hîc alia ſimilitudo eſt, & à flamma peti videtur, quæ materię admota contrarijs qualitatibus imbuta, non concipitur. Videtur autem obſervatus fuiſſe Ioannis ſępè Chaldaïſſantis animo Chaldæus lepos, qui Græcè reddi non poteſt. Illis enim כבל *Cabhal* eſt καταλαμβάνειν, כבל *Cebhel* verò σκοτία.

IOAN. Cap. III. ℣. 3.

Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, *Niſi quis genitus ſit iterum.*] Qui compellatur hîc à Chriſto Nicodemus, ἄρχων τῶν Ἰουδαίων dicitur, vir natalibus & dignitate inter eos præcipuus. Nec malè *vir nobilis* à veteribus redditur, quanquam id Græca verba non primò ſignificant. Nihil verò magis impediebat quominùs palàm Chriſtum profiteretur quàm ille ſplendor. Itaque noctu ad eum venerat, nè quid ſuæ familiæ ſuiſque neceſſitudinibus ægrè faceret, Principiſque Iudæorum nobilitati derogaret. Hoc ulcus tangit dextrè Dominus, cùm reſpondet ei, *renaſcendum eſſe.* Sic illi juveni qui ſuis opibus erat addictior, dixit, *Vende omnia quæ habes.* Sic mulieri Samaritanæ multa de putei altitudine, deque Iacobo putei datore jactanti, *Qui biberit ex aqua quam ego ei dabo, non ſitiet.* Sic illi turbæ quæ propterea ſequebatur ipſum, quòd eam panibus piſcibuſque paverat, commodùm de pane cœleſti, déque manducatione carnis ſuæ multa pręcepit. At Nicodemo nihil tale dixit, nec bibendum, aut manducandum; ſed naſcendum eſſe denuò reſpondit: appoſitè omnino & electè; ſimul ut altioris eum nobilitatis admoneret, atque à nimia ſui generis & proſapiæ admiratione deduceret; ſimul ut inſinuaret ei ſuſpiciendum eſſe baptiſmum quo fieret Evangelij proſelytus. Atqui ſub Lege ipſa ſi quis proſelytus fieret (ubi & baptiſmus aliquis locum habuit) renuntiabat omnibus affinitatibus, & univerſæ cognationi ſuæ, tanquam ex Nova matre naſceretur, *quaſi recens natus infans,* דמו כקטן שנולד, ut Maimonides alijque tradunt. Quod contritum apud Magiſtros, meritò miratur Dominus neſcire Principem Senatûs Iudaïci, Magiſtrum illum Iſraëlis ſanè πανάριστον, ut Chryſoſtomus eum alibi vocat.

IOAN. Cap. XI. ℣. 39.

Τεταρταῖος γὰρ ἐστι, *Quatuor enim dierum eſt.*] Hoc etiam apud Gentiles miraculum dæmon affectavit ac æmulatus eſt. Nonnullos enim revixiſſe legimus, cùm efferrentur (inſtar filiæ viduæ Nain) tertio poſt obitum die; Ruffum quoque Macedonem τεταρταῖον, alios decimo quinto die, alios denique nono menſe poſtquam ſepulti fuerant. Proclus docet

Commentario (luce publicâ digniſſimo) in X. de Rep. Platonis qui Commentarius quantivis pretij non pretio habetur ſuo, malè conſervatus in Bibliotheca Nobilium Salviatorum Florentiæ. Poſtquam igitur dixit ſuo etiam tempore viſos eſſe nonnullos in monumentis, in quibus conditi fuerant poſt mortem, ijſdem inſidentes, aut etiam ſtantes, quod & antiquitùs proditum de Ariſtea, Hermodoro & Epimenide; Καθάπερ γὰρ καὶ ἐπὶ τῶν πάλαι γεγονότων ἱστοροῦνται καὶ Ἀριστέας ὁ Προκοννήσιος, καὶ Ἑρμόδωρος ὁ Κλαζομένιος, καὶ Ἐπιμενίδης ὁ Κρής, μετὰ θάνατον ἐν τοῖς ζῶσι γενόμενοι· quinque ſubjicit exempla tanquam certiora, quorum primum ex hiſtoria Clearchi Ariſtotelis diſcipuli deſumpſit, ſequentia quatuor ex Naumachio Epirota. Primum eſt Cleonymi Athenienſis, qui poſtquam ſibi mortem conſcivit ob deſiderium amici & ſtudiorum ſocij cujaſdam, tertio poſt obitum die cùm efferretur, vivus matri redditus eſt. Κλεώνυμος ὁ Ἀθηναῖος, φιλήκοος ἀνὴρ τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ λόγων, ἑταίρου τινὸς αὐτῷ τελευτήσαντος, περιαλγὴς γενόμενος καὶ ἀθυμήσας, ἐλιποψύχησέν τε, καὶ τεθνάναι δόξας, τρίτης ἡμέρας οὔσης, κατὰ τὸν νόμον προὐτέθη. περιβαλοῦσα δ' αὐτὸν ἡ μήτηρ, καὶ πανύστατον ἀσπαζομένη τοῦ προσώπου θοιμάτιον ἀφῃροῦσα, καὶ καταφιλοῦσα τὸν νεκρὸν, ᾔσθετο βραχείας ἀναπνοῆς ἀπό τινος ἐγκειμένης. Περιχαρὴ δ' αὐτὴν γενομένην ἐπισχεῖν τὴν ταφήν. τὸν δὲ Κλεώνυμον ἀναφέροντα κατὰ μικρὸν ἐγερθῆναι, καὶ εἰπεῖν ὅσα τε ἐπειδὴ χωρὶς ἦν, καὶ οἷα τοῦ σώματος ἴδοι καὶ ἀκούσειε. τὴν μὲν οὖν αὐτοῦ ψυχὴν φάναι παρὰ τὸν θάνατον οἷον ἐκ δεσμῶν δόξαι τινῶν ἀφειμένην, τοῦ σώματος παραδοθέντος μετέωρον ἀρθῆναι, καὶ ἀρθεῖσαν ὑπὲρ γῆς ἰδεῖν τόπους ἐν αὐτῇ παντοδαποὺς, καὶ τοῖς σχήμασι, καὶ τοῖς χρώμασι, καὶ ῥεύματα ποταμῶν ἀπρόσοπτα ἀνθρώποις· καὶ τέλος ἀφικέσθαι εἴς τινα χῶρον ἱερὸν τῆς Ἑστίας. ὃν περιέπειν δαιμονίων δυνάμεις ἐν γυναικείων μορφαῖς ἀπεριηγήτοις. Alterum exemplum petitur ex Naumachio Hiſtorico, qui floruit, inquit, ἐπὶ τῶν ἡμετέρων πάππων, de Polycrito inter Ætolos illuſtri ac principe viro, qui nono poſtquam obijt menſe, redivivus exſtitit, quaſi ex utero terræ, novo partu, editus. Hunc enim narrat, τὸν ἐπιφανέστατον Αἰτωλῶν καὶ Αἰτωλαρχίας τυχόντα, καὶ ἀποθανεῖν, καὶ ἀναβιῶναι μηνὶ μὲν μετὰ τὸν θάνατον ἐννάτῳ, καὶ ἀφικέσθαι εἰς ἐκκλησίαν κοινὴν τῶν Αἰτωλῶν, καὶ συμβουλεῦσαι τὰ ἄριστα περὶ ὧν ἐβουλεύοντο· καὶ τούτου εἶναι μάρτυρας Ἱέρωνα τὸν Ἐφέσιον, καὶ ἄλλους ἱστορικοὺς, Ἀντιγόνῳ τε τῷ βασιλεῖ, καὶ ἄλλοις ἑαυτῶν φίλοις ἅπασι τὰ συμβάντα γράψαντα. Tertium eſt Eurynoi, qui decimo quinto poſt obitum die diu revixit & juſtiùs, Καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ Νικοπόλει, τῶν οὐ πρὸ πολλοῦ γεγονότων, Εὔρυνον τὸ ὄνομα ταυτὸν παθεῖν, καὶ ταφέντα πρὸ τῆς πόλεως ὑπὸ τῶν προσηκόντων, ἀναβιῶσαι μετὰ πέντε καὶ δεκάτην ἡμέραν τῆς ταφῆς, καὶ λέγειν ὅτι πολλὰ μὲν ἴδοι καὶ ἀκούσειεν ὑπὸ γῆς θαυμαστὰ κελευσθῆναι δὲ πάντα ἄρρητα φυλάττειν, καὶ ἐπιβιῶναι χρόνον οὐκ ὀλίγον, καὶ ὀφθῆναι δικαιότερον μετὰ τὴν ἀναβίωσιν ἢ πρότερον. Quartum Ruffi Pontificis Theſſalonicenſium, qui propè ipſo Naumachij ævo, tertio die reſtitutus in vitam eſt, ad Sacra facienda, quibus peractis redijt ad inferos. Ait enim, Χθὲς, ὥς φησι, γεγονότα Ῥοῦφον, τὸν

ἐκ Φιλίππων τῶν ἐν Μακεδονίᾳ, τῆς δὲ ἐν Θεσσαλονίκῃ μεγίστης ἀρχιερωσύνης ἀξιωθέντα. τοῦτον γὰρ ἀποθανόντα τριταῖον ἀναβιῶναι, καὶ ἀναβιῶντα εἰπεῖν ὅτι ὑπὸ τῶν χθονίων ὑπεπέμφθη θεῶν, ἵνα τὰς θείας ἐπιτηρέσῃ τῷ δήμῳ ἃς ὑπισχόμενος ἐπύγχανε, καὶ μέχρι τῶν ἐκείνων συμπληρωθείσας ἐπιβιῶντα αὖθις ἀποθανεῖν. Poſtremum Philonæi Demoſtrati filiæ, quę ſexto menſe revixit, ità ut illicitis amoribus potiretur, cùm nuper nupta deceſſiſſet; ac, ut ſcias hæc omnia æmulanti dæmoni adſcribenda, vacuum ejus, ut Chriſti ſcilicet, ſepulchrum narratur inventum: Καὶ τὴν κολοφῶνα τούτου ὑπάρχειν Φιλόναιον κατὰ τοὺς Φιλίππου βασιλεύσαντος χρόνους. εἶναι δὲ αὐτὴν θυγατέρα Δημοστράτου καὶ Χαρίτης τῶν Ἀμφιπολιτῶν νεόγαμον τελευτήσασαν, ἐγεγάμητο δὲ Κρατερῷ. ταύτην δὲ ἕκτῳ μηνὶ μετὰ τὸν θάνατον ἀναβιῶναι, καὶ τῷ νεανίσκῳ Μαχάτῃ, παρὰ τὸν Δημόστρατον ἀφικομένῳ ἐκ Πέλλης τῆς πατρίδος, λάθρα συνεῖναι διὰ τὸν πρὸς αὐτὸν ἔρωτα πολλὰς ἐφεξῆς νύκτας· καὶ φωραθεῖσαν αὖθις ἀποθανεῖν, προειποῦσαν κατὰ βούλησιν τῶν ἐπιχθονίων δαιμόνων αὐτῇ ταῦτα πεπρᾶχθαι, καὶ ὁρᾶσθαι πᾶσι νεκρὰν ἐν τῇ πατρῴᾳ προκειμένην οἰκίᾳ, καὶ τὸ πρότερον δεξάμενον αὐτῆς τὸ σῶμα τόπον ἀνορυχθέντα κενὸν ὀφθῆναι τοῖς οἰκείοις ἐπ' αὐτὴν ἐλθοῦσι διὰ τὴν ἀπιστίαν τῶν γεγονότων. καὶ ταῦτα δηλοῦν ἐπιστολὰς τὰς μὲν παρ' Ἱππάρχου, τὰς δὲ παρ' Ἀρριδαίου γραφείσας, τοὺς τὰ πράγματα τῆς Ἀμφιπόλεως ἐγκεχειρισμένους πρὸς Φίλιππον. Quæ deſcripſiſſe, licet prolixiora, cùm in una tantùm reperiantur Bibliotheca, in qua cum blattis luctantur & tineis, eruditi, ſpero, ut cæteris æquiores ferè ſunt, operæ prætium ducent. Hâc ſpe fretus pergo, & quæ ad explicationem quæſtionis, ubi fuerit anima Lazari, & loci de Eutycho Act 20. 10. nonnihil faciant, ſubjicio. Cùm igitur hęc Proclus à dæmone divinorum operum paracharacte profecto non agnoſceret, naturalem cauſam philoſophicâ inveſtigat ſolertiâ. Τὴν μὲν περὶ τῶν ἀποθανεῖν δοξάντων, ἔπειτα ἀναβιούντων, ἱστορίαν ἄλλοί τε πολλοὶ τῶν παλαιῶν ἤθροισαν, καὶ Δημόκριτος ὁ φυσικὸς ἐν τοῖς περὶ τοῦ ᾅδου γράμμασι, καὶ τὸν θαυμαστὸν ἐκεῖνον Κολώτην, τὸν Πλάτωνος ἐπαῖρον, Ἐπικούρειον, ὄντα πάντως .·. ·.· .·. καθηγεμόνος .·. ·.· .·. ·.· .·. ·.· .·. ·.· .·. ·.· .·. ·.· .·. ·.·
μὴ ἀγνοῆσαι, μηδ' ἀγνοήσαντα ζητεῖν πῶς τὸν ἀποθανόντα πάλιν ἀναβιῶναι δυνατόν. οὐδὲ γὰρ ὁ θάνατος ἦν ἀποσβέσεως, ὡς ἔοικε, τῆς συμπάσης ζωῆς τοῦ σώματος, ἀλλ' ὑπὸ μὲν πληγῆς τινος, ἴσως τοῦ τραύματος, παρεῖτο. τῆς δὲ ψυχῆς οἱ περὶ τὸν μυελὸν ἔμενον ἔτι δεσμοὶ κατερριζωμένοι καὶ ἡ καρδία τὸ ἐμπύρευμα τῆς ζωῆς εἶχεν ἐγκείμενον τῷ βάθει. καὶ, τούτου μένοντος, αὖθις ἀνεκτήσατο τὴν ἀποσβηκυῖαν ζωὴν ἐπιτηδείαν πρὸς τὴν ψύχωσιν γενομένην. Vide dicenda inferiùs ad Act. 20. 10. Huic Procli judicio non abſimile Galeni judicium eſt, Περὶ τῶν πεπονθότων τόπων, lib. 6. Sed aliter Patres judicare videntur, Origenes in primis, cùm ex ejuſmodi τῶν παραδειγμάτων exemplis apud Ethnicos Reſurrectionis myſterium probant. Ac improvidè quidem, niſi nos vehementer fallimur, quod ſalvâ honorificentiâ dictum velim, quæ tantis nominibus debetur. Itaque fœtere jam Lazarum Evangelium diſertè annotavit, quod de nullo aliorum dictum legi: non

de Platonico illo Armenio, quo uno maximè nititur Origenes, quique Zoroaster Clementi Alexandrino dicitur; non de fœmina illa, cujus exemplum ex Heraclide Laertius refert; non de nova illa nupta, cui simile quid accidisse Philostratus narrat; non de tribus illis quorum Varro meminit; non de alijs qui celebrantur à Plinio. Fœtor igitur ille, manifestum corrupti corporis & animæ seductæ indicium, Lazari veram resurrectionem ab aliorum animæ deliquijs lato limite discernit.

IOAN. Cap. XII. ℣. 38.

Βραχίων Κυρίου, *Brachium Domini.*] Τὸν βραχίονα, inquit Procopius, δηλαδὴ τὸν μονογενῆ. Nec aliter Athanasius & Hieronymus Dei brachium interpretantur Filium Dei. Hesychius in Catena Græca, Βραχίων τοῦ Κυρίου ὁ Χριστὸς, οὐχ ὡς μέλος, ἀμερὲς γὰρ τὸ Θεῖον καὶ ἀσχημάτιστον, ἀλλ᾽ ὡς ἰσχὺς καὶ δύναμις. Hinc error Sabellij, qui Deum υἱοπάτορα dicebat, & sicut brachium non constituit alteram personam, ità nec Filium. Aug. *Nam & homo hominem per quem solet aliquid agere, brachium suum appellat,* &c. (Franci, *bras droit.*) *Intelligant ergò quomodo Filius dictus sit brachium, per quod Pater operatus est omnia; nè hoc non intelligendo, & in sui erroris lateris permanendo, similes sint Iudæis, de quibus dictum est:* Et brachium Domini cui revelatum est? At quod idem, ad *Quod-vult-Deum;* Hæresi. 41. miratur id quod scripsit Epiphanius in Anacephalæosi, hoc uno Sabellium à Noëto dissidere, quod Sabellius Patrem passum esse non affirmaret, inter ἀπροσεξίας opinor, Augustini censendum est. Equidem Augustinum miror, qui disertè asserit Tract. in Ioan. *36. Sabellianos esse quosdam hæreticos qui vocantur Patripassiani.* Noëtianos dixisset meliùs quorum hæresin cùm amplexus est Sabellius, hoc de suo disertè addidit: Ex unitate personæ divinæ non sequi Patrem passum esse. Dicebat enim Filium veluti radium emissum in plenitudine temporis, qui peractâ Redemptione, ut radius ad Solem, redivisset ad Patrem. Adde quòd Athanasius docet Orat. Περὶ τῆς σωτηριακῆς ἐπιδημίας, dogma Samosateni à Sabellio fuisse admissum. Atqui Samosatenus minimè omnium Patripassianus fuit. Simile hoc est, ut cùm idem Augustinus alibi affirmat Audianos alio nomine dici Anthropomorphitas, quos ab Epiphanio ait excusari. Non excusat eos Epiphanius: sed nec ijs aliquid quod non senserint, affingit. Anthropomorphitarum error fuit objectus Audio, sed ab eo nunquam admissus: Patripassianorum error fuit objectus Sabellio, tanquam ex ejus sententia consequens, quia Deum υἱοπάτορα dicebat, sed ab eo rejectus. Quod neque temporibus nostris est insolens. Quantò satius erat, brachium Dei simpliciter intelligere *vim Dei,* Evangelium, δύναμιν τοῦ Θεοῦ, ut Paulus habet Rom. 1. hoc est virtutem Dei conspicuam in miraculis? Conjungitur enim cum illis, *auditui nostro,* brachium, tanquam objectum

visûs. Iudæi quærebant signa, Græci sapientiam, illi volebant videre, hi volebant audire ac doceri. Sed vocatis utrisque affulsit & Dei sapientia per auditum, & potentia per visum. Nam sermonem audimus, signa verò contemplamur. Paulus, Rom. 10. 16. hunc eundem Esaiæ locum ità recitat ut ad priora verba hemistichij respiciat: *Fides enim ex auditu.* At hîc Ioannes in his vim facit, *Et brachium Domini cui revelatum est?* Nam Christi commemorabat modò miracula. Nempe miraculis comitatum Evangelium, cum sapientia quam defert per auditum, potentiam per visum, exserit in conscientijs vocatorum, ut ad fidem per illud brachium, sed revelatum, hoc est, per aures; atque oculos, adducantur. At miseri Iudæi neque crediderunt, ut impleretur illa vox, *Quis credidit?* neque credere potuerunt, quoniam iterum dixit Esaias, *Cæcavit oculos eorum.* Quæ duo cave confundas, quod viri summi, famigeratissimi Criticorum, fecere. Nollem factum. *Quid obstat,* inquiunt, *quominùs quod versu 37.* οὐκ ἐπίστευον *dixit, ibi* οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν *dixerit?* Quid verò, inquam, obstat, quominùs aliud jam dicat? *non crediderunt*, primò; deinde, *nec potuerunt credere.* Ascendit oratio gradatim. Tanta fuit in ijs vecordia, & malignitas, & contumacia, ut nisi vi quadam cœlesti, & ut ità dicam, vorticordiâ, funditùs immutarentur, non modò non crederent; sed neque fieri posset ut crederent; ob inolitum & inexpugnabile voluntatis vitium; penè dæmonum instar, qui nec Deum amant, nec amare possunt, nec ideò excusationem habent. Quamobrem duos Prophetæ locos Ioannes adducit, quorum prior simplex prædictio est, *Quis credidit?* hoc est, nemo, certè paucissimi: Alter causam reddit, & τὸ διότι, *Excæcavit eos Deus*, &c. hoc est non dedit eis mentis oculos illustratos, ut Paulus loquitur. Nam sicut Noë *vivificavit* animalia quæ servavit in Arca, cùm non occîdit; ità Deus *excæcavit* eos, cùm lucem Spiritus non affudit; & induravit, cùm non emollijt. Porrò suum ità sermonem variavit ac distinxit Ioannes, ut aliud atque aliud intelligi detur. Nam primò quidem dixit, *Non crediderunt in eum, ut impleretur vox Esaiæ*; subindè verò, *Propterea non potuerunt credere, quia iterum dixit Esaias,* &c. Quæ duo longè diversa esse quis non videt, atque in altero alterius rationem reddi? Agnosco equidem apud probatissimos Autores, & in communi quoque consuetudine, *non possum* sæpè significare *nolo*: nec ubivis urgeri debere, quod esset ὀψιμαθοῦς καὶ ἀπαιδεύτου. Nam & Hippocrates dixit τοὺς κάμνοντας ἀδυνατεῖν πείθεσθαι, cùm imperata medicorum detrectant, & grata magis quàm salutaria eligunt, καρτερεῖν ἀδυνατέοντες. Sed quoties conjunguntur, ut si quis dicat, *Nec volo, nec possum velle*, hoc posterius aliquid addere priori contendo. Sic ubi hæc duo conjunctè legis, *Non crediderunt, nec potuerunt credere*, necesse est duo νοήματα distinguas, & majorem emphasim in posteriori fatearis. Clara res erit exemplo.

Paulus. Rom 8. 7. Carnem ait Legi Dei *non ſubjici*, *nec ſubjici poſſe*, οὐχ
ὑποτάσσεται, οὐδὲ γὰρ δύναται. Quæ duo ſi quis unum & idem ſignificare di-
xerit, aut ità reddendum *Non ſubjicitur; nec enim vult*; vel Paulum
ταυτολογοῦντα, vel certè dilutè ac frigidè loquentem faciet, maximè
cùm ſequatur: Qui ſunt in carne, placere Deo *non poſſunt*, quod abſur-
dè reddas, *nolunt*. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

IOAN. Cap. XIV. ℣. 16.

Ἄλλον παράκλητον, *Alium advocatum.*] Tradit Abulfaraius, opinari do-
ctiores Arabum in omnibus libris à Deo demiſſis Mahumedis fieri
mentionem. In Lege, Deut. 30. 2. in Pſalmis, Pſal. 52. in Evangelio au-
tem hoc loco. Sed quid Mahumedi cum Paracleto? Sibi quidem hoc
nomen ille planus arrogat: ſed quo jure? Nempe *Sigillum* ſe Propheta-
rum vocat, id eſt ultimum. Sigillum autem tribuitur Spiritui Sancto.
Deinde, παράκλητον, opinor accepit ἀντὶ τοῦ περίκλυτον. Eſt autem περίκλυ-
τος Græcis quod מחמד dageſſatum *Mohammed* Arabibus, *valdè lauda-
tus, inclytus* vaniſſimo errore. Cæterùm in hac voce Ioannes, ut in voce
λόγος, atque alijs, Chaldaïſſat. Occurrit enim apud Paraphraſten Chal-
dæum, à Græcis mutuò ſumpta & apud Thalmudicos; ut cùm elegan-
ter dicunt in Sanhedrin, פרקליטין של אדם תשובה ומעשים טובים
Paracletin, hoc eſt. *Paracleti hominis ſunt reſipiſcentia & bona opera.*
Vnde factum quod Syrus & Arabs hoc loco vocem Græcam retinuerint;
deſinentiâ tantùm ad linguæ ſuæ ingenium aptatâ.

NOTÆ
AD
ACTA.

CAPVT VII. ℣. 22.

HΝ τε δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἔργοις, *Eratque potens dictis & factis.*]
Elogium hîc Moſis, & Chriſti Luc 24 19. Oracula & miracula Mo-
ſis intelligit. Nec aliter Homerus commendat Heroës ſuos, quàm à ſer-
monis præſtantia & egregijs operibus. Notum eſt illud Phœnicis, qui
ſe datum ait Achilli formatorem ad bellum, ut eum efficiat.

Μύθων

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Rectè maximus CCCC capitibus prologo, Οἱ λόγοις ἐνοχλοῦντες πολλοὶ ἴσμεν σήμερον, οἱ δὲ ἔργοις παιδεύοντες καὶ παιδευόμενοι πάνυ εἰσὶν ὀλίγοι. Vrbicius MS. τακτικὰ sua στρατηγικὰ sic orditur: Ἡγεῖσθω τοῦ λόγου καὶ τοῦ ἔργου ἡ παναγία Τριάς. *Scripta* per λόγον & per *opera* militaria intelligit. Socrates apud Xenophontem, Καὶ λόγῳ, καὶ ἔργῳ δεῖ ποιῶν. Plato Symposio, de Socrate, Ὅ, τι ἂν λέγῃ ἢ πράττῃ. Idem; Protagorâ, Δυνατώτατος καὶ λέγειν καὶ πράττειν. Hippocrates Νόμῳ, Οὐ λόγῳ μοῦνον, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἰητρὸς νομιζέσθω, Filius ejus Thessallus, Παντόθεν δ' ἡμῖν καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀξίην τιμὴν ἀπόντα. Lycurgus apud Photium, Ἐπολιτεύσατο καὶ λέγων, καὶ πράττων ἐπιφανῶς. Mosi, cùm Deo diceret, nescire se quo pacto, ἰδιώτης ἀνὴρ καὶ μηδεμιᾶς ἰσχύος εὐπορῶν, persuadere populo posset exitum contrà Pharaonem, pollicetur Deus apud Iosephum, Καὶ ἐὰν δέῃ μὲν λόγων, πειθὼ παρέξειν· ἐὰν δὲ ἔργων, ἰσχὺν χορηγήσειν. Idem Iosephus in Mosis elogio funebri, lib. 4. extremo, Καὶ στρατηγὸς μὲν ἐν ὀλίγοις, Προφήτης δὲ οἷος οὐκ ἄλλος, ὥσθ' ὅ τι ἂν φθέγξαιτο, δοκεῖν αὐτοῦ λέγοντος ἀκροᾶσθαι τοῦ Θεοῦ. Idem de eodem, Εἰπεῖν τε καὶ πλήθεσιν ὁμιλῆσαι κεχαρισμένος. At Moses erat infans, non eloquens, & *lingua impeditioris*, Exod. 4. 10. & præputiatus, aut ut Latinè loquar, *impuratus* labijs, Exod. 6. 11. Nempe naturâ suâ: non ità postquam dixit ipsi Deus, *Ego ero in ore tuo*; vitium enim naturale affusa labijs ejus cœlestis gratia compensavit. Deinde, concionibus aptior quidem fuit Aaron: at Moses oracula & leges dictabat, vi præditus quadam eloquij ad hæc idoneâ. Blæsi nonnulli (nam blæsus cùm esset, balbum se dixit, opinor, pro cætera sua humilitate, Moses) si tantùm intelligi commodè possint, jucundè satis audiuntur; cùm præsertim inest in ijs, qualis in Mose fuit, dos oris eximia, & majestas rerum, sensuumque gravitas accedit. Cui minùs hæc satisfacient, reddere potest ità verba Stephani, *scriptis & factis pollens*. Iosephus πεπαιδευμένα & γεγραμμένα dixit, lib. 3. extremo. Pro scriptis enim λόγος accipitur interdum. Vide quæ dicentur inferiùs de Paulo ad. 2. Cor. 11. 6.

ACT. Cap. XIII. ℣. 33.

Ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γέγραπται, υἱός μου εἶ σύ, σήμερον γεγέννηκά σε, *Quemadmodum in Psalmo II. scriptum est. Filius meus es tu: hodie genui te.*] At Psalmus ille secundus nihil minus respicere videtur, quam resurrectionem. Atque haud scio, absque Petro fuisset, an quisquam tractatorum eò retulisset. Nimirum resurrectio sumi debet cum eorum complexu quæ resurrectionem consequuntur, dignitate maximè Regiâ, de qua totus ille Psalmus canit. Nec enim aliter hæc verba in Davidem conveniunt, quam ut genitus dicatur, cum creatus fuit Rex. Nam Reges *Filij Dei*, & inde *Dij*, & eorum præstantissimi *primogeniti*

dicuntur aliis in Psalmis. Nempe ità fert usus linguarum propemodum omnium, ut ij dicantur *nasci* qui redeunt in lucem ac dignitatem, vel in officio excellenti constituuntur. *Diem natalem reditus mei* Cicero dixit eum diem quo ab exilio reversus est, epistolis ad Atticum: Neque id modò, sed etiam alibi se *natum consularem* dicit: *A parentibus id quod necesse erat, parvus sum procreatus: à vobis natus sum consularis*: ut omittam notum illud ejusdem: *O fortunatam natam, &c.* Plinius panegyrico: *laceras nobilitates colligere, & renasci jubere.* Quasi nobilitatis restitutæ quædam sit nativitas, quoniam qui nascuntur, tunc primum noscuntur, & γένεσις quædam sit ἡ γνῶσις, ut Græci Patres loquuti sunt. Claudianus hoc idem voluit:

——tectisque suis redduntur, & agris
Damnati fato populi, virtute renati.

Statius eodem sensu *patrem renatum* dixit, cum ab exilio reversus est, & de se ipso cum Imperatoris mensæ adhibitus est:

Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.

Nequis fortè miretur Ambrosium diem quo Sacerdos electus est, dixisse *sui natalem Sacerdotij*. Sed apud Hebræos nihil clarius, aut magis obvium. Nam ijs יום מולדת *dies natalis* est *dies Regni*, quo Rex creabatur. Saül filius *unius anni* dicitur, cum annum regnasset: Filius, & quasi dixeris genitus hoc anno. Nec semel dies vitæ Regum intelliguntur qui fluxerunt ex quo regno inaugurati sunt. Alioqui ratio non constaret. Sic & cum adoptari & eligi populus aliquis dicitur à Deo, dicitur *gigni* passim in Scriptura. In Christum autem cùm non propriè cadat adoptio, aliquid divinum, æternum quid & longè longéque sublimius datur intelligi. Petrus tamen unicè ad resurrectionem refert; quæ nativitas est quædam *& regeneratio* corporis. Quid mirum? cùm de nobis etiam dicatur idem planè Luc. XX. 36. Sed nostra resurrectio summus erit apex adoptionis nostræ; cùm Christi resurrectio quantumvis gloriosa, & regno Davidico tantum adumbrata, nihil sit aliud quàm typus & imago altissimi mysterij ἄρρητα juxta & ἀκατάληπτα quo ex Patre quo cum eo *unum* est, Scriptura teste, *Deus de Deo, lumen de lumine* generatur ac emanat, ut veteres loquuntur.

ACT. Cap. XV. ℣. 20.

Ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς, τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων, καὶ τῆς πορνείας, καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος, Sed ad eos scribendum ut abstineant à pollutis per simulachra, & scortatione, & suffocatis rebus, & sanguine.] Nihil videtur nobis vero dissimilius quàm τὴν πορνείαν bis inter Adiaphora συναριθμεῖσθαι. ab ipsis Apostolis in tam venerando cœtu, nec tantùm à Iacobo in sententia sua, sed ab omnibus in Epistola Synodica conceptissimis verbis, & absque ulla διαφωνίᾳ. Nollem tam exercitam posuissent ope-

tam eruditissimi homines in corrogandis Poëtarum & Politicorum dictis, ut probarent ab Ethnicis ità existimatum esse: nam plura in contrarium adducere Sapientiorum dicta possumus etiam nos. Nec aliter accipienda illa sunt, quàm quæ hodie passim audiuntur in Scenâ vel in jocosâ consuetudine planè similia. Quanquam hoc ut verum esset, difficultatem adeò non tollit, ut augeret. Nam quis credat Apostolos in Concilium coactos adeò molli fuisse indulgentiâ, ut fœdum errorem foverent prudentes, quasi cum Stoïcis peccata facerent æqualia, ea promiscuè commemorando quæ lato limite separantur? Cur non duo decreta de rebus tam diversis conderent; Cur ea quę ad τ̃ πολιτείαν καὶ οἰκονομίαν, cum ijs quæ pertinent ad τ̃ εὐσεβείας τὸ τί ὅσιον ἐστὶ, uno & eodem articulo complecterentur, nec saltem verbo admonerent, ut si dixissent καὶ μάλιστα τ̃ πορνείας, aut si primo eam posuissent loco? Vix est ut sibi persuadeat hic agi de Adiaphoris, qui rectè pensârit hujus vim & potestatem vocis, ἀλισγημάτων, hæc sunt εἰδωλόθυτα in ipso præsertim Idolio accumbentibus proposita, quæ βδέλυγμα Iudæis fuerunt; sed & Christianis pariter esse debuerunt, nisi Paulo non credimus 1. Cor. 10. vocanti hæc ἀλισγήματα, *calicem Dæmonum*, & *mensas Dæmonum*, & *societatem cum Dæmonibus*, ac veluti fœdus. Hesychius, Ἀλισγηθῆ, συνεσπάθη, lege συνεστιάθη: &, ad hunc opinor ex Actis locum respiciens, ἀλισγημάτων, τῆς μεταλήψεως τ̃ μιαρῶν θυσιῶν· per quam eruditè ac Theologicè, *Participationem sacrificij* Tertulllanus dixit. Vt ex Iudæis Christiani vix ac ne vix quidem poterant dediscere Legem; ità Christiani ex Gentibus ægrè carebant festivis post sacrificia convivijs, & fugiebant quidem oblationem; at non ita convivium, quod erat participatio sacrificij ex oblatis. Dicebant enim, Esto; sint hæc idolosacra: Idolum nihil est. Quid Paulus autem? Sub idolo Dæmon latet: sicut qui fornicatur, conjungitur cum scorto, vos pariter mensæ Dæmonum accumbentes; cum Dæmone miscemini, tanquam ipsius fœderati. Nam respexit omnino Paulus ad Historiam Zabiorum quæ legitur apud Magistros, & ad opinionem inolitam apud Ethnicos, Dæmonas pasci sanguine: de qua videndus Origenes contra Celsum. Quærebatur an Ethnici qui Christo nomen dabant, circumcidi deberent, &, quod indè consequitur, Legem Mosis universam observare. Multa, ut fit, ultrò citróque jactabantur, ac illud opinor, vel potissimùm, Ethnicos Christianos quia circumcisi non essent, promiscuè scortari, atque in idolijs accumbentes, prout assueverant, victimarum carnibus & sanguine impunè vesci: quod non facerent si circumcisionis sanctiori vinculo essent obstricti. Quid Concilium omnium quotquot fuerunt, aut futura sunt, facilè sanctissimum? Non eos quidem Legi Mosaïcæ vel in totum, vel ex parte mancipat; sed interea quod solum ἐπάναγκες, id est summè necessarium, omnem ijs idololatriæ participatum, & scortationem pariter interdicit;

nè libertas in licentiam exeat. Vt, inquit, præcidatur ansa Iudæis, qui vos circumcidi volunt, & hoc uno maximè nituntur, quòd semel fœderati non minùs quàm ipsi jam fugeretis omnem cum idolis communionem, & concubitus illicitos cum vestris mulieribus quas ipsi tanquam alienigenas abhorrent, quæque vobis adeò pro alienigenis tunc essent, nolite tamen circumcidi, nec servate Mosis Legem: tantùm ab utraque illa idololatria temperate, tanquàm circumcisi essetis; etiam cum præputio, etiam sine Lege illa permanetote puri ab omni labe corporis & animi, quod pernecessarium est sub Evangelio Christi: nec ideò quia sub Lege non estis, vobis permittite Lege vetitam cum idolis aut mulieribus consuetudinem, quod hactenus fecistis. At, inquies, illa duo, τοῦ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος, videntur obstare. Nam quæ necessitas in ambobus erat? Crediderim hæc non primò ac προηγουμένως vetita, sed velut appendices τῶν εἰδωλοθύτων. Nempe in convivijs illis quæ celebrabantur ab Ethnicis (post sacrificia ex immolatitijs) discimus ex Tertulliani Apologetico, *botulos sanguine distentos ad tentamenta Christianorum admòveri*, & intermisceri solita; ut qui carnibus abstinerent, saltem gustarent ex illo sanguine deducto: à quo, præsertim in botulos ingeniosè redacto (Galli dicunt *déguisé*) minus temperabant, qui carnibus tamen vesci noluissent. Sed & altera fraus fiebat, opinor, ab Ethnicis omnia facientibus nè desererent convivia sua Christiani: quorum si qui non minùs à sanguine sepulto in botulis quàm ab ipsis carnibus abhorrerent, inter cætera fercula proponebatur in eorum gratiam aliquid πνικτὸν, ut certi essent non fuisse immolatum, cujus sanguis effusus non esset. Nam & πνικτὸν edulij cocti genus est, quod afferri non debuit à summo, sed juvene tunc, non viro. Non enim animal suffocatum hoc sensu, verùm edulium intelligitur ollę inclusum, vel inter duas patinas ita coctum in succo suo, ut nulli vapores exhalent, quod hic quidem οὐδὲν πρὸς ἔπος. Nam de suffocato accipi debet. Omitto vocem πνικτὸν & apud Irenæum & in pervetustis exemplaribus desiderari, & ab ijs additam videri qui septem hîc præcepta Noë quærebant, ut constaret numerus. At omittere non debeo quod Iacobus in sententia sua dixerat, Τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων, καὶ τῆς πορνείας, καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος. post idolothyta statim collocans τὴν πορνείαν· quod opinor fecerat, ut idololatriæ cum fornicatione (quas sorores Tertullianus vocat, Scriptura passim conjungit) necessitudinem tangeret: id alio positum esse ordine in Epistola Synodica sic, Ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτου καὶ πνικτοῦ καὶ αἵματος, (nam hîc semel tantùm interpungendum reor) καὶ πορνείας· nè quatuor esse viderentur, quæ tantùm duo sunt capita: Vnum enim caput faciunt Idolothyta cum suffocato & sanguine, pertinentibus eòdem; alterum πορνεία. Si cui autem prior illa verborum collocatio magis placebit, & in Epistola positum fuisse contendet eodem quo Iacobus di-

xerat ordine, non repugno, & magnopere difficultas levabitur, πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων, ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων καὶ πορνείας, quæ duo necessitatem habent; καὶ πνικτοῦ, καὶ αἵματος ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, εὖ πράξετε hoc est à quibus abstinendo, quanquam res non sit ejusdem necessitatis, bene feceritis. Nam quæ legebantur in vetustissimis exemplaribus, φερόμενοι ἐν ἁγίῳ πνεύματι, non cum εὖ πράξετε conjungi debuerunt, sed cum eo quod sequitur, φερόμενοι ἐν ἁγίῳ πνεύματι, ἔρρωσθε· ut ita sanctificaretur illud Ethnicorum, *Valete.* Dabit veniam conatui nostro qui seriò cogitaverit quantis difficultatibus aliæ interpretationes laborent.

Neque tamen inficiari velim aliquatenùs respici septem illa universalia præcepta Noachi, omnibus omninò Proselytis imponi solita. Primum erat על עבודה זרה *de cultu peregrino*, id est de renuntiando idolis Gentium, & de non colendis alienis dijs. Illuc spectat manifestò id quod de abstinendo ab idolothytis hîc præcipitur. Alterum על ברכת השם *de benedictione nominis*, id est de adoratione veri Dei, quod eodem pertinet, cùm sit affirmativa pars ejusdem præcepti. Tertium על הדינים *de judicijs*, respicitur hic quoque ubi de abstinendo à sanguine præcipitur: Fuit autem judicialis Iudæorum lex. *Non comedes carnem in sanguine*, Levit 17. 13. sed communis Gentium & Noachi posterorum omnium, ut patet ex Genes. 6. 4. Quartum על גלות עריות *de revelanda nuditate*, id est de abstinendo ab omni pollutione. Hoc autem πορνεία hîc disertè vetita respicit. Quintum, על שפכות דמים *de fundendo sanguine*, contra homicidas. Quòd hîc quoque tangitur, cum non alia de causa vesci sanguine prohibeamur, quàm ut à sanguine fundendo apprimè caveamus. Sextum, על הגזל *de rapina*, sive de faciendo alijs ut nobis factum vellemus. Quod vix respicitur hoc loco, nisi hæc addamus, ut addunt veteres libri non pauci, & Æthiopica versio, (καὶ ὅσα μὴ θέλουσιν ἑαυτοῖς γίνεσθαι ἑτέρῳ μὴ ποιεῖν) sed hoc addito, & hoc, & tertium *de judicijs*, facilè respicitur. Septimum, מן אבר החי *à membro viventis*, hoc est de abstinendo ab omni creatura, in qua sanguis; atq; ideò hic τὸ πνικτὸν interdicitur. Verùm, si res dicenda est, septenarij hujus numeri ratio nimis anxiè putatur. Non enim agebatur de rapina, neque lis movebatur, utrùm alteri faciendum, quod nobis factum vellemus: sed, de sanguinis esu, de suffocato, de idolothytis, deque scortatione: nempe sibi hæc omnia permittebant Gentiles, à quibus Iudæi abhorrebant: Neque coalescere poterat ex Gentilibus conflata & Iudæis Antiochena Ecclesia, nisi utrinque pariter ab ijs rebus abstineretur.

ACT. Cap. XVII. ℣. 18

Ἰησοῦν καὶ Ἀνάστασιν, *Iesum & resurrectionem.*] Quasi Deum & Deam. Ἀνάστασις hîc est nomen proprium. Libenter & sexum alterum Gentiles divinis honoribus prosecuti. Quod hæretici quoque fœminas circum-

ducentes, quibus attribuebant vim divinam, æmulati sunt. Vnde nati & Hermaphroditi Dei, nec tantùm Eunuchi, ut Minutius Attidem vocat. Athenagoras, Legatione pro Christianis, Αἰγὰ δὲ φυῆ ἀρσενόθηλυν τὸν Δία λέγουσι: Hesychius, Ἀδαγοῦς (nam sic legendum) θεὸς ἑρμαφρόδιτος. Sed & Hermaphroditum quendam Deum introducere Marcion & Valentinus dicti Nazianzeno, Orat. 36. Nicomacho apud Photium ἡ μονὰς dicitur ἀρσενόθηλυς καὶ Θεός. Vt Indi Solem, ità Phryges Lunam apud Clementem Protreptico. Sol fœmina Hebræis, & Luna Lunus alijs. Bardesanes de Idolo Indorum, Τὸ μὲν δεξιὸν τοῦ ἀγάλματος εἶναι ἀνδρικὸν, τὸ δὲ εὐώνυμον, θηλυκόν. Manethon Ægyptius Apotelesmaticῶn libris, qui nusquam alibi quàm in Bibliotheca Medicea reperiuntur, Astra non filios, sed filias Iovis facit;

Αὐτὰρ ἐγὼ Μούσῃ καὶ αἰθερίοισιν ἅμ' ἄστροις
Εὐξάμενος, λιγὺν ὕμνον ἐμὴν καταπαύσω ἀοιδὴν·
Ἀστέρες εὐφεγγεῖς, Διὸς αἰγιόχοιο θύγατρες, &c.

In Corano etiam graviter ille planus nescio quos increpat, qui dicebant Angelos esse Dei filias, cùm ipsi tamen sibi nasci filios magis optarent. Hinc Dæmon principibus hominum, Ἔσεσθε ὡς Θεοί, *Adam & Eva*: Deus enim & Θεὸς communis generis. Basilius Seleuciæ, Τί ἂν φάγῃς, ὦ γύναι, φυτὸν δι' οὗ γένοιτο Θεός, Multis fœmineum numen magis placuit. Qua de re vide Macrobium, & Arnobium. Dicebant tamen, *Si Deus, si Dea*, distincti numinum sexûs amatores. Ità Demosthenes Deos Deasque omnes in Orationis principio invocat. Idem Plato Timæo, Ἀνάγκη Θεούς τε καὶ Θεὰς ἐπικαλουμένους εὔχεσθαι. Idem Cicero fecit, pro Rabirio. Idem & Hippocrates, Ὅρκῳ, statim initio. Varro procemio de agricultura memorat præterea duodecim Deos Consentes, sex mares & sex fœminas; tum Iovem & Tellurem, Liberum & Cererem, Robigum & Floram, Bonum eventum & Lympham; quibus adde Neptunum & Thetidem, Plutonem & Proserpinam, &c. Alij Neptunum & Amphitriten, Occeanum & Thetidem, Iovem & Iunonem, Vranium & Tellurem conjunxit. Sanchoniathon Sacerdos Ægyptius, apud Platonem Timæo, Terram & Vulcanum. Pater & filiæ in numero Deorum sunt apud Tullium, 3. de natura Deorum, ubi de Erichteo. Ità Virbius & Diana, Attis & Cybele, Ericthonius & Minerva, Adonis & Venus conjunguntur à Servio in 7. Ænæid. Herculis & Astartes filius dicitur Melchisedec apud Epiphanium, qui Deorum in numerum relati. Sidonijs Baal & Astaroth, Ægyptijs Osiris & Isis, Rex & Regina. Eorum sapientibus & Pythagoræ, ut est apud Diogenem Laërtium, Sol & Luna, ut plerisque populorum; alijs Liber & Libera, ut est apud Tacitum, frater & soror: Romanis Mars & Ilythia, Ignis & Vesta; Cilicibus Mopsus & Niobe; Arabibus Lucifer & Venus, idem sidus, conjuncta fuere numina. Sic *Augusto & Romæ* templa dicata: nec aliter passus Augustus.

Sic & Inſcriptionibus, ἈΣΚΛΗΠΙΩι ΚΑΙ ὙΓΕΙΑι, *Æſculapio & Saluti,* Quadrigam fecit Hippocrates: ὄμνυμι, inquit, Ἀπόλλωνα ἰητρὸν καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγίαν καὶ Πανάκειαν, καὶ Θεοὺς πάντας καὶ πάσας. Deniq; Chriſtum & Mariam duos Deos fecere quidam apud Patricidem & Elmacinum. Vix igitur dubitem quin hoc loco per *Ieſum & Anaſtaſin* Deum & Deam intellexerint, aut certè ità præ ſe tulerint χλευάζοντες; quod habetur infrà, labiorum geſtu *ſubſannantes*: Ariſtophanes diceret διαμυλλαίοντες. Vnde dicitur ab ijs Paulus καταγγελεὺς ξένων δαιμονίων, multitudinis numero pro duali. Nec magis mirum τὴν Ἀνάστασιν ab iſtis θεοποιεῖσθαι, quàm Veritatem à Polybio, ab Euripide τὴν Τυραννίδα Θεὸν πάντων μεγίστην vocari: maximè cùm Athenis excitata eſſent Verecundiæ Famæque delubra, teſte Pauſaniâ. Fuit & Alexandriæ templum quod Anaſtaſis, vel Anaſtaſia, dicebatur, ut habes apud Nazianzenum in carmine de vita ſua. Ne quis autem hoc quidquid eſt interpretamenti tanquam novum exagitet, diſertiſſimè Chryſoſtomus, Καὶ γὰρ τὴν Ἀνάστασιν Θεόν τινα εἶναι ἐνόμιζον, ἅτε εἰωθότες καὶ θηλείας σέβειν.

℣. 35. Ἐν οἷς καὶ Διονύσιος Ἀρεοπαγίτης, *In quibus fuit Dionyſius Areopagita.*] Falsò huic Areopagitæ adſcribi quæ ſub ejus nomine leguntur, multa perdocent. Ac primò, quòd nulla ejus mentio apud Euſebium, Hieronymum, Sophronium, Gennadium, Iſidorum. Deinde, quòd in lib. de Hierarch. & in epiſtola ad Demophilum, altaria, choros, Catechumenos & templa ſui temporis magnifica deſcribit, ad inſtar Hieroſolymitani, & Sancta Sanctorum Monachis & Laïcis interdicta. Vide Act. 1. 13. & 12. 12. & 20. 8. Monachos certè nullos tum fuiſſe Chryſoſtomus author, ad Hebr. Homil 26. Cur autem idem ille Chryſoſtomus, cur Auguſtinus, tum etiam cùm in hunc locum ſcribunt, nullam feciſſent mentionem operum tanti Scriptoris? Adde quòd Epiſtolâ 7. ad Polycarpum, Heliopoli à ſe & Apollophane viſam memorat Eclipſin Solis, Domino patiente: quod cur nemo veterum docuit, aut ejus ſaltem fide recitavit? Cur Origenes id à nullo Scriptore traditum prærer Evangeliſtas non negavit? Cur Hieronymus, eos refellens qui Solis hunc defectum naturalem aiebant, qui nunquam niſi ortu Lunæ contingit, ut *pleniſſimâ Lunâ*, Panſæ ſcilicet tempore id factum eſſe ſupernaturaliter doceret, Dionyſij hoc diſertè teſtantis authoritatem non adduxit? Cur denique ſcribit Hypatius Metropolita Epheſinus, ea in Epiſtola quæ legitur apud Baronium A. 532. reſpondens teſtimonijs ex Dionyſio tanquam Areopagita prolatis: *Si pro certo ſciviſſet Athanaſius ea Dionyſij fuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adversùs Arij blaſphemias. Sed nullus ex antiquis recordatus eſt ea.* Accedit quòd librum de Divinis nominibus ad Timotheum ſcribit Epiſcopum Epheſinum, quem & filium vocat; de quo vide Euſebium lib. 6. cap. 40. & lib. 7. cap. 26. Citat autem verba

Ignatij eodem in libro: atqui mortuus erat Timotheus antequam Ignatius aliquid ſcriberet, mortuus & ipſe Dionyſius, martyrium paſſus ſub Domitiano, ut teſtatur Methodius in ejus martyrij libro; at Ignatius ſcripſit imperante Trajano, ut eſt apud Euſebium, Chronico. Denique, narrat ibidem, ſe tunc Hieroſolymis fuiſſe cùm Beata Virgo obdormijt, quod incidit in annum Domini 48. quo anno converſus nondum fuit: nam converſio ejus conjicitur in annum 52. Alioqui perantiquus, & magni ſpiritûs, nec aſpernandus author, ſi tantùm nomen ſuum apertè prodere maluiſſet, quàm piâ ſcilicet fraude alienum ementiri. Hæc nos ita jamdiu antè ſcripſeramus & edideramus in lucem, quàm prodiret accurata omnino, & fuſa de ſcriptis quæ ſub Dionyſij nomine falsò circumferuntur, Demonſtratio.

ACT. Cap. XIX. ℣. *28.*

Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις, *Magna eſt Diana.*] Dionyſius Afer in Periegeſi, Παρράλιον Ἔφεσον μεγάλης πόλιν Ἰοχεαίρης. Dictam volunt hoc nomine Dianam διὰ τὸ ἀρτεμὲς Plato & Strabo, quòd *integritati ſalutique* præſit. *Magnam* porrò dici conſtat ex vi & poteſtate quâ maximâ pollet, eadem quà Luna; quæ ideò *lumen magnum*, alioqui non ita magnum, à Moſe; *Sed minor*, ab alijs dicta. Quid ſi Ἄρτεμις eadem de cauſa dicatur? Ità heroës dicebantur & magni viri. Perſis Ἄρτης *magnus*. Heſychius, Ἀρταῖοι, οἱ ἥρωες παρὰ Πέρσαις. Idem, Ἀρτας, μέγας καὶ λαμπρός. Herodotus lib. 6. Ξέρξης, ἀρήϊος· Ἀρταξέρξης, μέγας ἀρήϊος. Cum igitur *Magna Diana* dicimus, perit alluſionis lepos conſpicuus in Græcis, Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις. Ideóque dicunt iterum, τὸ τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερὸν, atque iterum, τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς. Putem fortè Ἄρτεμις contractum ex Ἀρτεμάρτις, id eſt, *magna virgo*: nam Diana Βριτόμαρτις etiam dicebatur.

ACT. Cap. XX. ℣. *10.*

Ψυχὴ ἐν αὐτῷ, *Anima in ipſo eſt.*] Pravum imitamentum hujus hiſtoriæ diſcipulus Ariſtotelis Clearchus memorabat, in libris de Somno, & ex ea perſuaſum Ariſtoteli animam eſſe χωριστὴν, poſtquàm eam vidiſſet virgâ neſcio quâ in corpus revocari: quod in media calamitate fortunato huic Eutycho Pauli manu contigit. Narrat Proclus, Diſſertatione in 10. Πολιτείας Plat. jam laudatus; Ὅτι δὲ καὶ ἐξιέναι τὴν ψυχὴν, καὶ εἰσιέναι δυνατὸν εἰς τὸ σῶμα, δηλοῖ καὶ ὁ παρὰ τῷ Κλεάρχῳ τῇ ψυχουλκῷ ῥάβδῳ χρησάμενος ἐπὶ τοῦ μειρακίου τοῦ καθεύδοντος, καὶ πείσας τὸν δαιμόνιον Ἀριστοτέλη καθάπερ ὁ Κλέαρχος, ἐν τοῖς Περὶ ὕπνου, φησὶ περὶ τῆς ψυχῆς, ὡς ἀπεχωρίζεται (leg. ἀναχωρίζεται) τοῦ σώματος, καὶ ὡς εἴσεισιν εἰς τὸ σῶμα, καὶ ὡς χρῆται αὐτῷ οἷον καταγωγίῳ τῇ γὰρ ῥάβδῳ πλήξας τὸν παῖδα, τὴν ψυχὴν ἐξελκύσειεν, καὶ οἷον ἄγων ὅτ' αὐτῆς πόῤῥω τοῦ σώματος, ἀκίνητον ἐνέδειξε τὸ σῶμα, καὶ ἀβλαβῆ σωζόμενον ἀναισθητεῖν ∴ ∵ περὶς ∴ ∵ ∴ ∴ ∵ ∴ ∵ ∴

χαρόντων

γραφόντων ὁμοίων ἀψύχων. ἐκείνην δὲ μεταξὺ δι' ἐλέγχθη πόῤῥω τοῦ σώματος ἔξωθεν αὐτῆς ἀγομένην πάλιν τὴν ῥάβδον μετὰ τὴν εἴσοδον ἀπαγγέλλειν ἕκαστα. τοιγαροῦν ἐκ τούτου πεῖσαι τοὺς τῆς δίκης τῆς τοιαύτης ἱστορίας θεατὰς, καὶ τὸν Ἀριστοτέλη χωριστὴν εἶναι τοῦ σώματος τὴν ψυχήν. Vide dicta ſuperiùs ad Ioan. 11. 39.

ACT. Cap. XXV. ℣. 23.

Μετὰ πολλῆς φαντασίας, *Cum multa oſtentatione.*] Hippocrates, Μηδὲ περιέργως, μηδὲ μετὰ φαντασίας *citra operoſitatem ac oſtentationem.* Artabanus in oratione ad Xerxem apud Herodotum; Τὰ ὑπερέχοντα ζῶα κεραυνοῖ ὁ Θεὸς οὐδ' ἐᾷ φαντάζεσθαι. Nempe ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι, quod opponitur τῷ εἶναι apud Philoſophum.

ACT. XXVI. ℣. 14.

Πρὸς κέντρα λακτίζειν, *Contra ſtimulos calcitrare.*] Nota parœmia Græcis, Æſchylo, Euripidi, ſed & Pindaro Pyth. Od. 2. Ποτὶ κέντρα λακτιζέμεν· quod ipſi eſt πρὸς Θεὸν ἐρίζειν, Ibid. Et Latinis; Terentio, *Adversùs ſtimulum calces:* Plauto: *Si ſtimulos pugnis cadas, manibus plus dolet.* Conſimiliter Chryſoſt. in 2. Cor. 11. Οἱ λακτίζοντες ἥλους, ἐλέους ἄξιοι

NOTÆ IN EPIST.

AD

ROMANOS.

CAPUT PRIMUM. ℣. 4.

Ὁρισθεὶς υἱὸς Θεοῦ, *Declarato filio Dei.*] Vox juridica. Dictionarium Eccleſiaſticum, Ὁρίζει, ἵστησι, ὅρον δίδωσι, κρίνει. Sumpſit ex Heſychio (niſi Heſychius ex ipſo) ſed omiſit quæ ſequuntur, θεματίζει, διαιρεῖ, ἀφορίζει, quia hi ſignificatus ad Scripturam Sacram non ità pertinent. Aliter fuerat ὁρισθεὶς per mortem ſuam ὑποκείμενος τῷ δανειστῇ, pro nobis obligatus chirographo Legis, tanquam ὅρῳ, de quo videndus Harpocration: aliter poſt reſurrectionem factus liber, lacerato chirographo, velut ἄστικτον χωρίον dijudicatâ lite; ità jam ὁρισθεὶς Dei Filius, ut non ampliùs ei ſtatûs controverſia moveri poſſit. Quod dicitur ὁμολογουμένως, &c. δικαιωθεὶς πνεύματι, 1. Tim. 3. 16. dicitur hîc ὁρισθεὶς κατὰ πνεύ-

μα· & optimè Chrysostomus, Κειθεὶς, ὁμολογηθεὶς ἀπὸ τ̃ ἀπάντων γνώμης ϗ ψήφε. *Iudicatus à Patre, confessus ab hominibus.* Lis hactenus pendebat, quæ resurrectione tanquam decreto publico definita est. Decretum exstat Psal. 2. 7. ejusque interpretatio Act. 13. 13. Et καὶ ἀναλογίαν etiam nos filij Dei tum demum ὁειζόμεθα, cùm resurgemus. Adoptio enim est resurrectio, Rom. 8. 23. & filij resurrectionis filij Dei, Luc. 20. 36. Est igitur ὁειθεὶς *justificatus*, aut *judicio sancitus* Dei filius. Galeno, De optima disciplina libro, ἀοειςία est ἐποχή. Post resurrectionem Christi, summum & palmarium fidei Christianæ argumentum, adhuc ἐπέχειν, stupenda pertinacia.

ỷ. 5. 6. 7. Ὑπακοὴ πίστεως, *Auditio fidei.*] Non est hoc loco alienum quod οἱ ἔξω dixerunt, ἀπιστεῖν pro ἀπειθεῖν sic enim ex adverso elucescit obedientiæ ac fidei necessitudo. Harpocration, Ἀπιστεῖν, ἀντὶ τ̃ ἀπειθεῖν λέγουσι ὃ ϗ ἀπιστίαν τ̃ ἀπείθειαν. Autores laudat Antiphontium, Isocratem, Demosthenem. Similitudo ducitur à servis fidelibus, qui statim ut audiunt, obediunt. Hinc משמעת Hebræis *obedientia;* & Ezech. 3. 6. *audirent te*, quod est in Hebræo, Chaldæus interpretatur *obedirent tibi*, & ἀκούειν Græcis ὑπακούειν, & *audire*, Latinis *obedire* est. Quò respexit mos aures perforandi servis apud Hebræos: & apud Græcos ὑπακούειν propriè dicitur de servo qui pulsantem fores exaudit, eique respondet. Vix aliter apud Latinos *dicto audiens*, id est obediens. Apostolus cum populo Christiano communes suos titulos habet, *servum* se Christi dixerat; nunc ait, *ut sit obedientia fidei inter omnes Gentes in ejus nomine*, hoc est, *ut omnes sint servi Christi.* Se dixerat κλητὸν ἀπόστολον, eos dicit κλητοὺς Ἰησοῦ Χριστοῦ. Se vocârat ἀφωρισμένον eos etiam vocat κλητοὺς ἁγίους. Est autem propriè ἅγιος, ἀφωρισμένος τῷ Θεῷ. Plura in hanc rem diximus ad Esa. 53. 1.

ỷ. 14. Ἕλλησί τε ϗ βαρβάροις, *Et Græcis & Barbaris.*] Per Barbaros hîc Romanos intellige, *agreste Latium.* At, inquies, ad Romanos scribit, eosque recèns laudavit. Omnino, sed ipsi se Romani Barbaros interdum vocant κατὰ συγχώρησιν. Manifestum erat Græcos Artium cultu præcellere, Romanos Marte. Hesychius, Ἕλληνες φρόνιμοι, ἤτοι σοφοί. Idem Βάρβαροι, ἀπαίδευτοι. Sic Paulus pro Ἕλλησί τε ϗ βαρβάροις, statim subjiciet σοφοῖς τε ϗ ἀνοήτοις· Loquitur enim ex usu Græcorum, qui subacti Romanorum armis, tamen eos præ se barbaros censebant, sibique ingenium & os rotundum soli vindicabant. Romani contrà Græcis hoc ipsum nomen probro vertebant, & Romæ *Græculus esuriens*, vel etiam *Græcus*, dicebatur homo vanus, mendax, sciolus. Plutarchus de Cicerone, Γραικὸς ϗ σχολαστικὸς, *Græculus & otiosus*, ut ipse Cicero verteret; quem vide Orat. pro Flacco. Paulus utrisque se debere profitetur; nec suis tantùm Græcis, quorum, ut vanam, sapientiam ludibrio Romanus habet, sed illis etiam barbaris, quos appellitat Græcia. Non impedient,

inquit, mutua inter utramque gentem odia & convitia, quin ego, Græcus Romanusve fuat, nullo discrimine annuntiem Evangelium.

ψ. 16. Οὐ γὰρ ἐπαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ· δύναμις γὰρ Θεοῦ, *Non enim me pudet Evangelij Christi: virtus enim est Dei.*] Confer cum hoc loco 2. Tim. 1. 8. & 12. & 16. Audax facinus ad Crucem vocare terrarum dominos. Nazianzenus de sorore Gorgonia, καλὴν ἀναισχυντίαν ἀναισχυντεῖ. Contrà, *pudor malus*, ut loquitur Flaccus, urgebat Augustinum Confessionibus; *Pudet non esse impudentem.* Non pravè pudens Paulus audet etiam Romam Evangelium perferre. Non quærit enim τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, ut mysteria gentium. Nihil erubescendum, nulla pars in eo tegenda. Vndique se lustrandum & ubique præbet: non lucem hominum reformidat, ne Prætorium quidem. Roma pollens brachio carnis potentiam suam in ultimas oras extendit: Evangelium brachium Dei latiùs regnat, & vim suam exerit *in omnes credentes*, ne Romanis quidem exceptis; nam cùm Iudæi Græcis hîc jam opponuntur, sub Græcis cæteri omnes, Romani verò præcipuè, intelliguntur. Libenter audiebant Romani potentiam suam victis etiam gentibus salutarem, & mundi fluctuantis anchoram, quod Plutarchus ait adulans eos; re quidem verâ tyrannidem, ut ait Galgacus, *raptorum orbis:* dum pro *fide* aut pro *salute* semper arma capiunt scilicet. At Evangelium verè ἄμαχον πρᾶγμα, potentia victrix omnium gentium, beabit omnes Fideles æternâ salute. Græcorum *sapientia* & ingenium, Romanorum erat *potentia* & imperium; Græcorum Artes, Romanorum vis bellica. Hinc est quòd Græcia corrupta tulit Hæreticos, Roma Dominos; ut conversa Græcia dederat Doctores, Roma Martyres. Nec pudet igitur Paulum Evangelium prædicare Athenis aut Corinthi, *Sapientiam inter perfectos*, 1. Cor. 2. 9. nec Romæ adeò, *Potentiam* nulli non credenti salutarem. Cicero de Oratore lib. 3. *Vt Virtutis à nostris, sic Doctrinæ sunt à Græcis exempla repetenda.* Plutarchus in limine Coriolani, ὅλως μέντοι ἐν τοῖς τότε χρόνοις ἡ Ῥώμη μάλιστα τῆς ἀρετῆς τὸ περὶ τὰς πολεμικὰς καὶ στρατηγικὰς ἐκύδαινε πράξεις & quæ ibidem sequuntur, ostendunt *Virtutem* apud ipsos olim Fortitudinem ac Potentiam significasse. Ἀνδρείαν dixit Plutarchus: redde *virtutem* à *viro*, ut ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, ἀνδρεία. Nec ullus literis aut sapientiæ studijs Romæ locus ante Scipionem, nec ullus nominatur Scientiarum cultor. Sapientiæ in primis studium neglectum. Cicero, *Philosophia jacuit ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen literarum Latinarum.* Sed & Philosophos Vrbe pellebant Romani, potentiam quærentes, de sapientiæ doctrina minùs laborantes.

Græcia capta ferum victorem cepit, &c.

& quæ talia passim occurrunt. Vide quæ dicentur ad 1. Cor. 1. 23.

ψ. 19. Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, *Id quod de Deo cognosci potest.*] Qui pernoscere volet vim hujus vocis, adeat Galenum ad Artes Protreptico,

Docet esse Atticam, ridetque Phavorinum Atticismi perquàm studiosum, qui pro ea τὸ καταληπτὸν Stoïcorum usurpet: quod nihil est aliud quàm non modò τὸ γνωστὸν, sed τὸ βεβαίως γνωστόν. Itaque Pauli κατειληφέναι Phil. 3. est *perfectè nôsse*. Vide & fusè disputantem hac de voce Tullium Academicis quæstionibus. At hîc τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ significat, *quod idoneam Dei cognitionem afferre potest*. Non enim est necesse τὸ γνωστὸν reddere *cognobile*, seu *quod cognosci potest*; reddi potest, & Latinè quidem, *quod notificat*, seu *id quo cognosci potest*. Terent. *Paulò qui est homo tolerabilis*, id est, tolerantior, commodior. Sic Arion rogavit ut sibi permitteretur canere carmen casûs illius sui *consolabile*, pro quo dicerent alij *consolatorium*. Passiva enim *activo* primùm, deinde *transitivo* etiam accipiuntur sensu. Vtriusque non desunt exempla: Nam ut omittamus Hebræa in Hophal, ità Græci dicunt ἀνόητος, & contrà εὐπερινόητος, non tantùm de re quæ facilè perspici potest, sed etiam de eo qui facilem habet rei percipientiam. Quod & apud alios legitur, & apud Porphyrium Bibliothecæ Mediceæ, ubi loquitur de Ptolemæo, libro in in ejus Ἁρμονικὰ commentario: Τὴν δ' ἐν τούτοις κατόρθωσιν καὶ μόνον ἀπὸ τὸ εὐπερινόητον τῆς φύσεως τῆς οἰκείας παρέχει· σχεδὸν γὰρ ἐν πᾶσιν οἷς συνέγραψε τοιοῦτος, &c. Sumitur & *ignotus* pro ignaro; Cicero, *Illi artifices corporis simulachra ignotis nota faciebant:* ut contrà *gnarum* pro noto passim apud Tacitum. Nec aliter ἄγνωστος apud Pindarum non semel pro eo qui non novit, sed & pro eo qui notum non facit: nam sic illa interpretor, φωνᾶς ἀκούειν ψευδέων ἄγνωστον, *vocem audire quæ mendacia nulla nôrat*, aut potiùs, nota faciebat. Certè 1. Cor. 8. 3. ἔγνωσται pro ἐδιδάχθη accepit Augustinus in Ioan. Serm. 98. & Gal. 4. 8. γνωσθέντες ὑπὸ Θεοῦ, August. *Tunc eos cognoscere seipsum fecerat:* quem secuti sunt præstantes ævo nostro Theologi. Vide quæ dicuntur ad 2. Tim. 2. 19. Γνωστὸν igitur ἀντὶ τοῦ γνωστικὸν erit vi notificandi præditum. Clemens Strom. 3. Πιστὴ τοίνυν ἡ γνῶσις, γνωστὴ δὲ ἡ πίστις, Θείᾳ τινὶ ἀκολουθίᾳ καὶ ἀντακολουθίᾳ γίνεται· *Cognitio autem facit credere, Fides verò facit cognoscere, Divina quadam consequentiæ vicissitudine.* Nec aliter Chrysostomus ad Colossenses dixit, ξύλον γνωστὸν καλοῦ καὶ πονηροῦ. Vbi sanè γνωστὸν reddere non potes, *quod cognosci potest:* reddendum, *Arbor quæ notificat bonum & malum.*

ROM. Cap. VI. ℣. 4.

Οὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς, *Ita & nos nova vita ambulemus.*] Consentaneum est, ut qui malè vixit, quod in Christo locum non habet, meliùs vivat postquàm resurrexit; quemadmodum Christus post resurrectionem non ampliùs miserè vivit, sed novâ ratione. Memorabile est exemplum quod refert Proclus in X. de Rep. Platonis Commentario præclaro illo jam à nobis laudato. Ait Eurynoum quendam Nicopoli antè ipsam urbem sepultum, à multis diebus revixisse meliorem, id-

que Patrum suorum memoriâ mandâsse literis Naumachium Epirotam, Historicum; & addit, Ἐπιβιῶναι χρόνον οὐκ ὀλίγον, καὶ ὀφθῆναι διηγούμενον μετὰ τὴν ἀναβίωσιν, ἃ εἶδε... Vide suprà Ioan. 11. 39.

ROM. Cap. VIII. ℣. 7

οὐδὲ γὰρ δύναται; *nec enim potest.*] Vide Notam ad Ioan. 12. 38. extremam.

℣. 28. Πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν, *Omnia simul adjumento esse ad bonum.*] Odorati sunt & hoc Ethnici meliores, Plutarchus & Seneca: Ille Περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, fine; Πανταχοῦ ζῶν ἡδέως μαθήσῃ, καὶ ἀπὸ πάντων. εὐφρανεῖ σε πλοῦτος πολλοὺς εὐεργετοῦντα, καὶ πενία μὴ μεριμνῶντα, καὶ δόξα τιμώμενον, καὶ ἀδοξία μὴ φθονούμενον. Seneca, *Tu illum premi putas malis? utitur.* Idem æquè scitè atque cordatè, *Quare tot mala perdimus?* His adde Socratem, Apologiâ; Χρὴ ἓν τι τοῦτο διανοεῖσθαι ἀληθές, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν οὔτε ζῶντι οὔτε τελευτήσαντι· οὐδὲ ἀμελεῖται ὑπὸ θεῶν τὰ τούτου πράγματα. Ovid.

——*aliquisque malo fuit usus in illo.*

Plinius *malum nullum esse sine aliquo bono*, & venena etiam *in usum humanæ salutis* converti docet, lib. 27. cap. 2. *Et subtexta malis bona sunt.* Notabilis vox, συνεργεῖ. Mala non producunt vi suâ bonum, sed à Deo salutari temperamento alijs permixta in bonum vertunt: *Bina venena juvant* interdum, ut in illo Ausonij. Cicuta cibus est salutaris apud Ligures Taurinos. Nec minùs probo sensu legunt exemplaria quędam, Πάντα συνεργεῖ ὁ Θεὸς εἰς τὸ ἀγαθόν· ità ut respondeat Paulinum hoc dictum illi gnomæ Magistrorum, כל דעביד רחמנ לטוב, *Quicquid Deus misericors facit, in bonum* vertit. Sed meliùs Paulus συνεργεῖν. Dei opera non sunt singula seorsum spectanda, sed ἀθρόως aut συλλήβδην, ἐν συνόψει, ut gesta singularium gentium in historia Catholica, de qua Polybius; atque adeò composita, vel etiam opposita, ut in arte salutari pharmaca, ut actus in dramate, ut umbræ in pictura, ut in oratione antitheta: quod postremum Augustinus in primis urget. Hac de re plura vide sis in Præfatione ad Strangium nostra.

ROM. Cap. IX. ℣. 3.

Εἶναι ἀνάθεμα ἀπὸ Χριστοῦ, *Esse Anathema à Christo.*] Οὕτως συγγενὴς ἦν ἡ Μωσέως ψυχὴ τῆς Παύλου ψυχῆς, inquit hoc loco Photius (nec tantùm συγγενὴς κατὰ σάρκα, ut hîc Paulus ait.) Hoc votum certè Pauli παράδοξον, ut veteres appellant, persimile est voto Mosis Exod. 32. 32. Deut 9. 4. Moses enim, fractis Legis tabulis, ne populus id ab odio profectum putaret, quanto flagret in populum amore satis demonstrat, & quantopere doleat ejus vicem, cùm Deum rogat ut aut populo parcat, aut nomen suum è libro vitæ deleat: ità Paulus, effractor ille qui credebatur tabularum Legis; sed aliter quàm Moses, ἀποστάτης & ut sic dicam, Legi-

rupa; Iudæisque suis ea propter maximè invisus, ne Iudaica gens id quod dicturus erat, odium interpretaretur sui, operosè amolitur odij suspicionem hâc amoris gravissimâ contestatione, quam Patres eleganter vocant *Hyperbolen amoris*; nec minùs eleganter Clemens ad Corinthios eam ait esse charitatis & perfectionis cujusdam non tantùm hyperbolicæ, sed ἀνυπέρβλητε· pro quo Chrysostomus dixit ἐκ ἔχειν ὑπερβολὴν, id est, *exstare supra omnem hyperbolen.* Hoc discrepat quod Moses æmulatus morem videtur τ̃ συναποθνησκόντων, quibus decretum erat simul vivere, simul mori; quales dicuntur amantes Athenæo & Plutarcho, & servi quidam apud Livium; juxta illud,

Tecum vivere amem, tecum obeam libens:

at Paulus τ̃ ἀντιψύχων, quales fuere Damon & Pythias, Terentius & Brutus, alteri pro alteris parati mortem oppetere, juxta illud ejusdem,

Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mecœnas, tuo.

Vtriusque in Sacris exempla sunt; prioris in Davide & Ionathane, qui verè ἰσόψυχοι· posterioris in Davide & Absalomo: *Quis dabit mihi*, inquit David, *ut pro te moriar*; Sed hi mortem solùm corporis; illi etiam æternam subire optârunt, *cum fratribus* Moses, *pro fratribus* Paulus. Hic enim non modò συναποθνήσκειν τῷ λαῷ, instar Mosis; sed etiam, in morem τ̃ ἀντιψύχων, anathema esse voluit in vicem fratrum, & συναποθνήσκειν τῷ Χριςῷ quidem: at ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τ̃ λαῦ, ut Christus; nempe κατ᾽ ἀναλογίαν, & in quantum fas est. Οὐ συναπολέσθαι μόνον, ἀλλ᾽ ἑτέρων σωζομένων, αὐτὸς ἐκπεσεῖν τ̃ δόξης τ̃ ἀφθάρτε, ut habet Chrysostomus. Scilicet hic acerrimus imitator Christi, ne quid desit imagini crucis in quam se totum transformat, hoc etiam lineamentum duxit quod est in exemplari, *maledictio*, & *Quare me dereliquisti?* cùm optavit *anathema* esse *pro fratribus*, sive *separari à Christo*, ac derelinqui. Nec in corpore jam, sed in anima Domini stigmata circumtulit, certè circumferre voluit ac vovit. Factus est Christus κατάρα ὑπὲρ ἡμῶν, Gal. 3. 13. Hanc etiam subrogationem (sed quâ parte imitabilis est) ipse Paulus expressit, cùm fieri voluit ἀνάθεμα ὑπὲρ τ̃ ἀδελφῶν· ut amplificet charitatem quâ fervet in fratres; & ostendat eos non aliter à se diligi quàm Christus dilexit nos. Quanquam igitur fieri non potest quod vovet, non tamen inane votum fuit. Amor enim, præsertim cœlestis, non habet modum, & *charitas exuberans fertur in impossibilia*; quia in ijs quæ fieri possunt, nihil satisfacit. Hyperbole, quod de Ironia dixit Fabius, *diversum ei quod dicitur intellectum petit.* Notandum porrò, quod Basilius in Asceticis admonuit, in Hyperbolica locutione ab hypothesi ad thesin eundum, nec tam quod dicitur, quàm quod intelligitur, spectandum esse. Nam quia meliùs ultrà quàm citrà stat ratio, unum aliquid summum & singulare dicitur quod fieri neutiquam potest, sub quo cætera quæ in-

strà sunt maximè ardua, sed quæ fieri possunt, universa intelliguntur. Conceditur enim ampliùs dicere quàm est in re, quod idem ait Fabius, quia dici quantum est, non potest. Hoc sibi concessere Moses & Paulus, cùm ijs animus esset dicere, nihil se posse gravius ac intolerabilius experiri calamitate illâ publicâ populi sui, rem sibi facilè atrocissimam dirissimamque omnium adduxere, sed quæ fieri non poterat; non ut illam, sed per illam in universum quicquid in rerum natura dici vel animo informari potest maximè horribile ac truculentum, designarent. Non est igitur magis vexandum quod optavit Moses, aut quod optavit Paulus, quàm id quod Paulus dixit de Galatis, *Eruissetis oculos vestros;* qui tamen, credo, nunquam de sibi exculpendis in Pauli gratiam oculis cogitârunt; ut significaret, Nihil esse ipsis adeò charum, cujus non jacturam ultrò fecissent illius ergô: vel quod præscripsit Dominus Matth. 5. 39. de *prabenda cadenti altera maxilla;* quod nec ipse fecit, Ioan. 18. 22. nec Paulus, ejus imitator, Act. 23. 3. ut significaret, Nihil esse tam durum ac inamabile quod non sit patiendum, tametsi crebrescat, nè tutelæ inculpatæ moderamen transeas: vel quod idem Dominus dixit, Eleemosynam non esse largiendam *ad tubæ sonitum;* Μὴ σαλπίσῃς, inquit, Matth. 6. 3. quod quis fecit unquam? tantùm ut doceret, Nihil esse quavis ostentatione in eleemosyna eroganda odiosius. Vix aliter intelligi debet aut quod optavit Moses *deleri nomen suum è libro Dei*; aut quod optavit Paulus *anathema fieri à Christo:* non quòd hoc vellent propriè, sed ut demonstrarent, Nihil se detrectare quo Deus placaretur; Nihil sibi magis in votis esse quàm populi salutem. Non enim singulare illud quod in eo genere summum ab ijs profertur in exemplum, sed per illud quicquid homini potest contingere gravissimum datur intelligi. Verùm sicut ex prædictis exemplis optimè colligas, nihil esse oculis charius, nihil alapâ contumeliosius, nihil tubæ clangore ad ostentationem ambitiosius; ita ex illo Mosis voto rectè concludas licet, nihil ei fuisse inscriptione sui nominis in libro Dei pretiosius, ut tantò antè impleverit quod à Domino præscriptum est. Luc. 10. 10. & ex hoc Pauli voto, Christum ab eo unicè fuisse adamatum. Non enim optat fortunis exui, non oculis, non amicis, ac nè vitâ quidem orbari. Levia omnia præ illo, χωρὶς τοῦ Χριστοῦ· nam ei summa votorum, *esse cum Christo.* Non desunt qui Paulum peccasse dicunt in hoc voto concipiendo, & inter eos Ahmed Persa, libro cui titulum fecit, *Politor speculi.* Mea longè aliter ratio est, qui nihil arbitror cœlesti dignius Apostolo aut Deo gratius ab eo scriptum. At cur non dixit Paulus, ut Moses, *Optarem deleri nomen meum è libro Dei?* Contrà rogare pariter possis, cur non dixerit Moses, *Anathema sim.* Eadem rationem utriusque. Scilicet ambo locuti sunt, ut fit, pro re natâ, *ex occasione*, atque appositè ad ea quæ præcesserant. Dixerat, Mosi Dominus, *Sine, dimitte me*, ut accensâ irâ consumam eos,

ואמחה את שמם מתחת השמים, *& delebo nomen eorum de sub cœlis*, quæ verba ideò parùm animadversa fuere; quia non leguntur in Exodo, sed Deut. 9. 14. ubi eadem planè historia narratur. Apprimè tamen animadverti debent: nam plusquam verisimile est ea Mosen hîc recogitare. Prout enim acria sunt & aculeata in primis, hæserant ejus animo: itaque reponit, *An vis eorum nomina delere sub cœlis? Ne feceris: aut nomen pariter meum dele non modò de sub cœlis, sed è libro tuo quem in cœlis scripsisti.* Vide Phil. 4. 3. Heb. 12. 23. Luc. 10 10. Ad Paulum quod attinet, novissimè dixerat, nihil esse in cœlo, vel in terra, vel in ipso Tartaro, quod sese ab amore Dei in Christo separare queat: si tamen fieri posset, inquit, nunc (paucis & quidem huc pertinentibus interjectis) εἰ ἐνεδέχετο, εἰ ἐνεχώρει, εἰ οἷόν τε ἦν, ut habent Patres; εἰ δυνατὸν, ut ipse Paulus alibi, quod hîc supplendum, optarem esse anathema חרם, id est, separari à Christo. Videtur enim habuisse in animo χωρισθῆναι, quod rectè construitur cum illis, ἀπὸ Χριστοῦ· at ἀνάθεμα εἶναι ἀπό τινος videtur insôlens (visum certè Photio, adeò ut putârit hâc particulâ principium designari, non terminum, & optare Paulum non tam separari à Christo capite, quàm durum ac dirum in modum plecti à Christo judice.) *Anathema* tamen posuit Paulus pro *separari* simpliciter, sive ut aliquo charactere sermonem insigniret suum, pro eo ac solet, à cruce Christi desumpto, qui factus est anathema pro nobis à Deo; sive ut superjectionem augeret graviori vocabulo, & quidem Judaïcâ usus de Iudæis loquendi formulâ. Iudæi porrò Paulo dicebant anathema tanquam apostatæ à Mose: proprium enim erat ijs anathema contra משומדין *apostatas.* Ac demum ipsi Iudæi exscindendi & anathema futuri erant à Christo; & hoc ipsis jam Paulus denuntiaturus erat, separandos eos esse à Christo, & anathemate ac maledictione Dei percutiendos, ut prædictum Zach. 4 24. & Gentes in eorum vicem suffectum iri. Quod adeò non libenter fecit, ut se dicat paratum nullas vitare vices, ac nè vicarium quidem anathema pro ijs (non alternis, ut fratrem Pollux redemisse fingitur) id quod Græci Patres eleganter ἀντιψύχως dicunt. *Adeò mihi dolet*, inquit, *quòd fratribus meis denuntio fore ut exscindantur à Christo, & alij pro illis Dei fiant benedictio, ut optem pro illis luere. Quod ne quis putet ideò me jactare quia non potest fieri, cùm nulla me creatura vel in cœlo vel sub cœlo separare possit à Christo, ut jam docui; sanctè juro atque contestor ità me animatum esse ut si quidem fas esset, eorum salutem exitio meo redemptam velim, & quasi permutatione facta fieri, pro ipsis, anathema, nè fierent ipsi anathema loco Gentium, ut jam docebo.* Meliùs perciperetur hoc Paulinum votum si Paulina flagraret in nobis charitas. Chrysostomus; Ἐπειδὴ πόῤῥω τῆς ἀγάπης ἐσμὲν ταύτης, οὐδὲ νοῆσαι τὰ λεγόμενα δυνάμεθα. Quàm procul autem ab ea sit ævum nostrum, contemplemur in querela Nazianzeni

-zianzeni de suo; Quando, inquit, in gratiam conservi tui καὶ συνδούλου simile aliquid audebis ei quod Paulus, καὶ διακονῆσαι, καὶ εἰπεῖν ἐτόλμησεν, ἑαυτῷ, εἰ οἷόν τε, τὸν Ἰσραὴλ ἀντικαταλλάξασθαι, διὰ τὸ συμπαθὲς, ὃς ἐξ ἐπονοίας πολλάκις μόνης ἀπειπάμενος τὸν ἀδελφόν; Vide omnino Photium Epistolâ 116.

NOTÆ
AD PRIOREM AD
CORINTH.

CAPUT PRIMUM, ℣. 22.

Ἰουδαῖοι μὲν σημεῖα αἰτοῦσιν, *Iudæi signum petunt.*] Clemens Strom. 1. Ἑβραῖοι μὲν γὰρ σημεῖα αἰτοῦσι, ὥς φησιν Ἀπόστολος, Ἕλληνες δὲ σοφίαν ζητοῦσι. Proverbium apud Græcos erat, Athenæo teste, θαύματα μωροῖς. Itaque Græci non quærunt signa, sed sapientiam. Pervagatum erat apud Iudæos, *Maledictus qui aluerit suem, & qui didicerit sapientiam Græcorum:* & Hasmonæorum temporibus decretum legitur, *Maledictus qui docuerit filium suum philosophiam Græcam.* Itaque Iudęi non petunt sapientiam, sed signa. Ea pro se quisque optat quibus assueverat.

℣. 23. Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρίαν, *Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam.*] Cur non æquè Iudæis *stultitiam,* & Græcis *scandalum?* Signatè dicitur Iudæis fuisse *scandalum* præ infirmitate, quoniam pro signis quæ petebant, invenerant Crucem, quâ nihil remotius à magnificentia signorum; itaque vocârunt eum תלי: Græcis autem *stultitiam,* quòd & morti se dari pateretur Dei Filius, & talis crederetur Χριστὸς ἐσταυρωμένος, quem propterea Σοφιστὴν ἀνεσκολοπισμένον, & Γαλιλαῖον πλάνον dixêre. Non ità displicuisset Iudæis, si magnifico robore succinctus fuisset, quamvis nullâ præditus dicendi vi, nullâ disputandi solertiâ: nam hi philosophias Græcanicas & universum illud genus διαλεκτικὸν in totum aspernabantur. Nec ità displicuisset Græcis, si quidem Attico pollens eloquio & arguta subtilitate mirabilis, omnium in se oculos atque ora convertisset, quamvis nullâ sæculi potentiâ fuisset instructus: nam suos Græci sapientes & sub pallio & in dolio admirati jam erant. At Iudæis commune cum Romanis hoc fuit, quòd armorum potentiam & imperij gloriam unicè adamarent. Quod enim Romani tenebant Imperium, Iudæi spe devorabant sub Messia suo,

quem ſub illud tempus de Cæſaribus ipſis triumphaturum exſpectabant. Nec minùs apud hos obſtabat Evangelio imperij vana perſuaſio, quàm apud illos vera poſſeſſio. Vtriſque Scandalum fuit Crux; Stultitia verò Græcis, qui poſitis armis, omnes ſuas ætates in literarum ſtudijs conterebant. Vocatis autem Iudæis (ut Romanis) pro ſcandalo & infirmitate potentia Dei fuit, ſed & ſapientia, dona ſua cumulante Deo; Græcis pro ſtultitia non modò ſapientia, ſed etiam Potentia: ut fuerit verè Chriſtus in omnibus omnia, Eph: 1. 23. Vide quæ diximus ad Rom. 1. 16.

I. Epiſt. ad COR. Cap. II. ✝. 6.

Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις, *Sapientiam autem loquimur inter perfectos.*] Perpetuus fuit uſus Eccleſiæ, ut nec intempeſtivè obtruderet ſubliomiora dogmata, nec pectoribus crudis committeret, quod ῥίπτειν ἀφειδῶς veteres vocant & οἰκονομικῶς fieri negant. Baſilius hunc uſum ab ipſis Apoſtolis repetit; Κατὰ τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ οἱ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἐξ ἀρχῆς διαθεσμοθετήσαντες ἀπόστολοι καὶ πατέρες, ἐν τῷ κεκρυμμένῳ καὶ ἀφθέγκτῳ τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλασσον. οὐδὲ γὰρ ὅλως μυστήριον τὸ εἰς τὴν δημώδη καὶ εἰκαίαν ἀκοὴν ἐκφερόμενον. Orat. 28. de Spiritu S. Nazianzenus, ut apud Hebræos τοῖς ἀστηρίκτοις ἔτι καὶ ἁπαλωτέραις ψυχαῖς interdicebantur quidam Scripturæ libri, optat apud Chriſtianos pariter diſputationes non permitti gloriæ cupidis, vel parùm ingenioſis, Orat. 26. Et neque doceri probat ἀθρόως omnia, neque verò perpetuò celari; Τὸ μὲν γὰρ ἄτεχνον, τὸ δὲ ἄθεον. Orat. 37.

I. Epiſt ad COR. Cap. III. ✝. 15,

Ὡς διὰ πυρὸς, *Quaſi per ignem.*] Parœmia eſt, quod ij etiam quibus non eſt odora vis, olfacere potuerunt; ſed juridica. Hic enim Apoſtolus, præ cæteris, non rarò utitur formulis è medio Iure petitis, quarum alio in opere catalogum teximus. Cujuſmodi hoc loco eſt illud ζημιωθήσεται, *mulctabitur*, atque adeò σωθήσεται οὕτω δὲ ὡς διὰ πυρὸς, *ægrè abſolvetur*, ex judicio tanquam ex *incendio effugiet.* Vſi ſunt eadem ſimilitudine Amos Propheta, & Apoſtolus Iudas. Reſpondet hîc σώζεσθαι τῷ Hebræorum הנצל, *evadere* condemnationem. Sed cum hoc additamento, ὡς διὰ πυρὸς, *vix evadere*, quod rectè Latinè dicas, *amburi.* Nam qui penitùs ac ſimpliciter condemnabatur, quaſi de cœlo tactus, dicebatur *uſtus* fulmine; qui nec abſolvebatur, nec damnabatur in totum, *ambuſtus.* Artemidorus, Καὶ γὰρ τοὺς καταδικασθέντας ἐν τῇ συνηθείᾳ κεραυνοὺς φαμέν. Quid clarius? ita fert, inquit, noſtri conſuetudo ſermonis, ut condemnati fulminati dicantur. Sic Ariſtides dixit, Ἄνδρα σώζειν ἐκ μέσου πυρός. Sunt enim judiciorum quædam veluti *flammæ*, ut loquitur Ammianus, lib. 25. Petronius, *Poſt litem judicij commiſſam fulminatus hâc pronuntiatione.* Cicero pro Milone, *Declarant hujus*

ambusti Tribuni plebis illa intermortua conciones. Idémque Philipp. 2. *Tu, tu illas faces accendisti, & eas quibus semi-ustulatus ille est.* Καπνι-ζόμενος. Nec longè hinc abit illud Athanasij de Iuliano, Οὐ οἱ ἄνθρακες ἡμᾶς ἔτι διαθλίβουσιν, εἰ καὶ τὴν φλόγα διαπεφεύγαμεν. Quod est, *incedere per ignes suppositos cineri*, Horatio. Plinius lib. 3. ep. 11. *Tot circa me jactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurarer.* Valerius Maximus de judicijs publicis insignibus librum divisit in tria capita, quorum primum inscribitur ABSOLVTI, secundum DAMNATI, tertium AMBVSTÆ, quod de duabus agit mulieribus, quæ in discrimen capitis adductæ, nec absolutæ, nec damnatæ sunt: evaserunt tamen, sed vix ac nè vix quidem, non plenâ & integrâ laude. In explicatione hujus auri & ignis veterum nemo meliùs Chrysostomo defungitur ad hunc locum.

I. Epist. ad COR. Cap. IV. ℣. 3, 4, 5.

Ὁ δὲ ἀνακρίνων με, Κύριός ἐστι, *Qui autem judicat me, Dominus est.*] Illustrat egregiè totam hanc Pauli ῥῆσιν locus ex libro Asceticωn Nili Monachi Constantinopolitani Biblioth. Medic. nondum editus, quem hîc edendum putavi, vel ad piorum qui maledicuntur, solatium ἵνα ἡ τῆς ἀληθοῦς φιλοσοφίας εἰκὼν τὸ οἰκεῖον ἀπολάμπουσα κάλλος μήτε ψέγηται παρὰ τῶν θρασυνομένων, μηδὲ χλεύης ὑπόθεσις διὰ τὴν τῶν γραφῶν ἀπειρίαν γίνηται, ἐπαινεῖται κἂν μὴ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, ἀλλά γε παρὰ τῶν ἄνω δυνάμεων, ἢ παρ' αὐτοῦ τοῦ Δεσπότου Χριστοῦ. παρ' οὗ καὶ οἱ ἅγιοι ἐζήτουν τὸν ἔπαινον. ὡς ὁ μέγας Δαβίδ, ὁ πατήσας τὴν ἀνθρωπίνην δόξαν, καὶ παρὰ Θεοῦ τὴν εὐφημίαν αἰτῶν, φησί, Παρὰ σοῦ ὁ ἔπαινός μου· καὶ πάλιν, Ἐν τῷ Κυρίῳ ἐπαινεθήσεται ἡ ψυχή μου. ἄνθρωποι μὲν γὰρ πολλάκις καὶ βασκανίᾳ διαβάλλουσι τὰ καλά· τὸ δὲ ἄνω θέατρον ἀδεκάστως κρίνει τὰ πράγματα, καὶ τῇ ἀληθείᾳ τῶν γινομένων τὴν ψῆφον βραβεύει. τοῦτο οὖν ὃ καὶ ἀνάγκη τέρψαι, τῇ τῶν ἔργων τερπνότητι τερπέσθω τὸ θέατρον. περὶ δὲ τῶν οὔτε ἀμοιβὰς ἀποδοῦναι τῶν εὖ βεβιωμένων οὔτε ὑπὲρ τῶν ἀδίκως ἐχόντων τιμωρήσασθαι δυναμένων ἀνθρώπων, οὐ πολὺς ὁ λόγος, ἐὰν ἢ φθόνῳ ἢ προσπαθείᾳ τὰ τῆς ἀρετῆς ἔργα κακίας ὀνόματι συσκιάζοντες, τὸν τῷ Θεῷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις ἐγνωσμένον βίον πεπλασμέναις διαβάλλουσι δυσφημίαις. ἔσται γάρ, κατὰ τὸν καιρὸν ἀνταποδόσεως, τοῖς εὖ βεβιωκόσιν, οὐκ ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων ὑπολήψεως, ἀλλ' ἀπ' αὐτῆς τῶν βεβιωμένων τῆς ἀληθείας ἡ ἀμοιβὴ τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν.

I. Epist. ad COR. Cap. IX. ℣. 24.

Οὕτω τρέχετε, ἵνα καταλάβητε, *Sic currite ut comprehendatis.*] Redde, pace omnium. *Itá currite ut vincatis.* Quantum inter victoriam & coronam, tantum discriminis est inter λαμβάνειν τὸ βραβεῖον, quod hîc præcessit, & καταλαμβάνειν, quod magis ad antagostinas referebatur, *occupare.* Cyprianus, *ut occupetis*, hoc est, ut victores sitis. Nam, quod Plutarchus ait Περὶ ἀδολεσχίας, in cursu ἡ νίκη τοῦ φθάσαντος. Hesychius,

καταλαβέσθαι, φθάσαι. Ipse Paulus optimus sui interpres Rom. 9. 30. 31. & Phil. 1. 6. ubi cùm ait οὐκ ἔλαβον, suppl. τὸ βραβεῖον ex hoc loco. Λαμβάνειν τὸ βραβεῖον & τὸν στέφανον perpetuò dicitur, nunquam καταλαμβάνειν· hoc enim est idem quod προλαμβάνειν, utrumque absolutè ponitur: sic προειληφότες dicuntur qui priores alicubi fuerunt. Gallicè, *qui ont pris le devant*. Non igitur ad bravium refertur τὸ καταλαμβάνειν. Atq; haud scio an rectè vulgò dicatur ab Athletis corona occupari, atque adeò in sublimi loco posita, & indè rapi solita. Vellem alia certè producerentur hujus rei argumenta quàm quod petitur è Plutarcho Περὶ φιλοπλουτίας commemorante dictum Hippomachi cujusdam; Ἱππόμαχος ὁ ἀλείπτης, ἐπαινούντων τινῶν ἄνθρωπον εὐμήκη καὶ μακρὰς ἔχοντα χεῖρας ὡς πυκτικόν, Εἴπερ, ἔφη, καθελεῖν ἔδει τὸν στέφανον κρεμάμενον. Hinc effici volunt coronam ex edito deripi solitam, scilicet: quod adeò non efficit hic lepos, ut contrarium planè persuadeat; saltem sequentia legissent, Τοῦτ' ἔστιν εἰπεῖν πρὸς τοὺς τὰ μεγάλα χωρία καὶ τὰς μεγάλας οἰκίας, καὶ τὸ πολὺ ἀργύριον ἐκπεπληγμένους καὶ μακαρίζοντας, εἴγε ἔδει πωλούμενον πρίασθαι τὴν εὐδαιμονίαν. Mira supinitas! Simili errore Plutarchi ejusdem verba de Catone Censorio perperam eò trahuntur, ut significent fuisse Athletas qui toto vitæ curriculo in rigida illa σκληραγωγίᾳ perseverarent: Ὥσπερ ἀθλητὴν νικηφόρον ἐγκαρτεροῦντα τῇ τάξει τῆς ἀσκήσεως καὶ διαμιλλώμενον μέχρι τῆς τελευτῆς. Non dicit Plutarchus Athletis hoc in usu fuisse; dicit tantùm Catonem fuisse similem Athletæ qui hoc faceret. Ita Chrysostomus in Epistolam ad Rom. dixit, Χωρὶς συμπλοκῆς εἶναι τὸ τρόπαιον, καὶ πρὸ τῆς πάλης ἁρπάσαι τὸ βραβεῖον· nempe in agone spirituali, quod in alio non licuit. Sed de his plura in notis ad hos libros uberioribus. Nunc satis esto, καταλαμβάνειν idem esse quod καταλείπειν, *strenuè anteire* Horat. Καταλαμβάνεσθαι, *relinqui, vinci*. Nam ità Cicero interpretatur has voces apud Platonem in Timæo plus vice simplici: Plato de Planetis, Καταλαμβάνουσι καὶ καταλαμβάνονται ὑπ' ἀλλήλων· ubi de cursûs celeritate. Cicero reddit, *Vincunt alij alios, vicissimque vincuntur*.

I. Epist. ad COR. Cap. IX. ℣. 25.

Πάντα ἐγκρατεύεται, *Ab omnibus se abstinet*.] Sibi hoc imperat ut omnia faciat ad præscriptum alienum; nam tum etiam ἐγκρατεύεται, cùm plus edit quàm vellet. Labori, ciborum observationi, diætæ, vigilias addit Chrysost. Homil. ad Antioch. 66. Mirantur, & vigilias aiunt non fuisse præscriptas Athletis. Non tamen dormitavit ὁ χρυσόρρημων cùm hæc scriberet: haud paulò limatiora certè sunt quæ Antiochiæ, quàm quæ Constantinopoli evigilavit. Hoc voluit, somni modum ijs ut cæteris præscribi solitum statis horis, ut nec quamdiu, nec quando vellent, dormirent: hoc autem, prout somnolenti erant, quod in ijs Plato notavit, pars magna fuit σκληραγωγίας. Notus Galeni jocus in ἀθλητὰς ἀθλίους; & quod Ælianus narrat, iratum nescio quem servo minari se

missurum illum Olympiam; ſed ut ſpectaret (nam & ſpectantium ærumnæ graves) non ut certaret, quod ſervis inconceſſum. Hinc ſcitum acumen Galeni βίον ἐλεύθερον opponentis athletarum vitæ, quanquam athletæ omnes ingenui erant. Nam ſervilis eſt vita quæ tota poſita eſt in alterius arbitrio. Hæc mirè concinunt cum ijs quæ præceſſerunt commate 19. Ἐλεύθερος γὰρ ὢν ἐκ πάντων, πᾶσιν (vel ἐν πᾶσιν) ἐμαυτὸν ἐδούλωσα· & 22. Τοῖς πᾶσι γέγονα τὰ πάντα. Liber erat Paulus, nec liberè tamen vivebat, ut athletæ; nam ſe totum uſibus proximi mancipabat. Charitas ipſi erat quod Epiſtates athletis.

℣. 26. Οὕτω τρέχω, ὡς οὐκ ἀδήλως, *Sic curro non quaſi in incertum.*] Non tantùm curſor, ſed etiam pugil: nam curſus inter levia; longè graviſſimum certamen erat pugillatus. In utroque ſe Paulus exercuit ſeriò: in priori οὐκ ἀδήλως, in poſteriori ὡς οὐκ ἀέρα δέρων· quorum altero ſignificatur præludium curſorum, altero præludium pugilum. De poſteriori nota res eſt, *ventilatio.* De priori Statius Theb. 6.

——tunc ritè citatos
Explorant, acuuntque gradus, &c.
——nunc ignea tollunt
Crura, brevemque fugam, nec opino fine reponunt.

Vt pugiles alterna brachia jactabant proludentes, ità curſores breves curſus inſtituebant nullo ſcopo, nullo fine, niſi ut excitarent ſeſe, ſine adverſario, nullum ob præmium, hoc eſt, ἀδήλως, vel εἰς κενόν; Gal. 2. 2. & alibi ſæpè. Menander, quem Paulus legerat,

Ἀνὴρ ἄβουλος εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων.

Suidæ, Ἀδηλία, ἀπορία. Hinc ἀδήλως, ἀορίστως, *ſine termino*, nullo fine propoſito, non κατὰ σκοπόν. itáque Chryſoſtomus interpretatur. Miror autem ſummos Criticorum ἀδήλως interpretari de *progreſſu qui non appareat*, quaſi teſtudo currere dicatur. Sequitur, Ὑπωπιάζω τὸ σῶμά μου, quod eſt pugilum; non parco corpori, ut in ludicro certamine, nec σκιαμαχῶ· ac præterea δουλαγωγῶ, tanquam *ſervum* habeo, quod jam ad curſum ſpectat; ſervitio corporis tanquam ſervi curſoris utor. Nimirum à cæteris certaminibus arcebantur ſervi, non à curſu. Quanquam vox δουλαγωγῶ meliùs, opinor, ſumeretur intranſitivè, poſt σῶμα interpungendo, ità ut idem hîc dicatur quod antè comm. 19 Ἐμαυτὸν ἐδούλωσα.

I. Epiſt. ad COR. Cap. XI. ℣. *10.*

Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *Ideò debet mulier poteſtatem habere ſupra caput.*] Mirè ſibi placebat Iacobus Gothofredus noſter, ὁ μακαρίτης, in ea conjectura; legendum ἐξουβίαν pro ἐξουσίαν (proclivi mutatione τοῦ β in σ) *exuviam*, traductâ voce Latinâ in Græciam, *tegmen*, capitis. At ſi quid audendum, ſi fas, inquam, eſſet, mallem legere ἐξουσία pro ἐξουσίαν· obſervavimus enim non rarò in veteribus libris ex interpunctione natam eſſe literam ν, calami laſciviâ. Quod ſi conce-

deretur, plana essent omnia. Diceretur enim ἡ γυνὴ, ἐξουσία, nimirum τ ἀνδρὸς, per appositionem, ut δόξα dicebatur præcedenti commate: non est enim alterum altero durius, nec significatus discrepant. Clarè Achmetes Oneirocriticῶν 123. Ἡ γυνὴ τ ἀνδρὸς δύναμις καὶ ἐξουσία ἐστι. Plinius Panegyrico, *Tibi uxor in decus & gloriam cedit.* Non voluptatis nomen, sed *dignitatis*, ut ille dixit quondam. Subjicitur, Διὰ τοὺς ἀγγέλους, qui cùm ipsi sint ἐξουσίαι & δυνάμεις (est enim aliqua inter ipsos etiam ὑποταγὴ nobis ignota) cum pedibus tegere dicuntur oculos & caput coram Deo, Esa. 6. 2. Porrò, ἔχειν ἐπὶ τ κεφαλῆς de muliere non aliter hîc sumendum, quàm paulò antè de viro, κτ κεφαλῆς ἔχειν. Non enim præscribit quod aut quale tegmen inducere capiti debeant, sed ut aliquid omnino imponant. Plenè igitur sic; Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ, ἥτις ἐξουσία, ἤτοι δόξα, τοῦ ἀνδρός ἐστιν, ἔχειν ἐπὶ τ κεφαλῆς.

I. Epist. ad COR. Cap. XIII. ✠. 1.

Χαλκὸς ἠχῶν. *Æs sonans.*] Æris Corinthij pretium auro & argento prælatum, testis Plinius. Ex eo fiebant vasa, quibus cùm impensiùs oblectaretur Augustus Cæsar, Corinthius dictus est. Maro de Corinthijs,

Excudunt alij spirantia molliùs æra.

Non mirum igitur hanc similitudinem à Paulo ad Corinthios scribente usurpatam, & è medio petitam. Quæ licet in universum conveniat; appositè tamen & electè ad Corinthios adhibetur.

I. Epist. ad COR. Cap. XV. ✠. 33.

Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.*] Versum ità lectum in Menandri *Thaide* Paulus redegit in formam orationis solutæ: quod factum à Clemente, à Nazianzeno, alijsque Patribus non semel. Magnus hic honor Poëtarum est; nullum enim Paulus Oratorem adduxit unquam in testimonium. At sicut Libanius, quadam Epistolâ ex ineditis (quæ magno numero in Bibliotheca Medic.) si puerum quendam eximij profectûs aurum vocet, hanc fore laudem ait non pueri, sed auri: pari planè pacto commemorandis Poëtis non Epistolæ Pauli, sed Poëtæ ipsi probabiliores fiunt & illustrantur. Libanius Acacio, Χρυσὸν ἢ εἰ φαίην γεγονέναι τ ψυχὴν τῷ νεανίσκῳ τοσαῦτα καλὴν ἀδεξαμένην, τιμήσαιμ᾽ ἂν τ χρυσὸν αὐτὸν, καὶ εἰ βούλει γε τ κολοφώνιον. Porrò hæc Gnome ante Paulum & post ipsum apud Ethnicos & Christianos mirè percrebuit. Romani: Iuvenalis Sat. 2.

——*Dedit hanc contagio labem,*
Et dabit in plures; sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, &c.

Seneca, *Sumuntur à conversantibus mores, & ut quædam in contactu*

corporis vitia transiliunt, ità animus mala sua proximis tradit. Idem, *Malignus comes quanquam candido & simplici rubiginem suam affricat. Serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt: Itaque ut in pestilentia cavendum est,* &c. Græci: Epictetus, Ἐὰν ὁ ἑταῖρος ᾖ μεμολυσμένος, καὶ τὸν συναναστρεφόμενον αὐτῷ μολύνεσθαι ἀνάγκη, κἂν αὐτὸς ὢν τύχῃ καθαρός. Ferè ut Sirac. 13. 1. Nec dissimilia sunt ejusdem quæ legimus apud Arrianum lib. 3. cap. 16. Xenophon lib. 2. Ἀπομνημ. τὴν μὲν τῶν χρηστῶν ὁμιλίαν ἄσκησιν τῆς ἀρετῆς, τὴν δὲ τῶν πονηρῶν κατάλυσιν, dixit. Plutarchus Περὶ παίδων ἀγωγῆς in eo multus est, Καθόλου δὲ ἀπείργειν προσήκει τοὺς παῖδας τῆς πρὸς τοὺς πονηροὺς ἀνθρώπους συνουσίας. ἀποφέρονται γάρ τι τῆς τούτων κακίας. Iterùm, Ἐκδιωκτέον δὲ καὶ τὰς τῶν συμφοιτητῶν μοχθηρίας· καὶ γὰρ οὗτοι καὶ ἐπιεικεστάτας φύσεις ἱκανοὶ διαφθείρειν εἰσί. Xenocrates apud eundem lepidè suadet eapropter juvenibus magis quàm athletis amphotidas dari, Ὡς ἐκείνων μὲν τὰ ὦτα ταῖς πληγαῖς, τούτων δὲ τοῖς λόγοις τὰ ἤθη διαστρεφομένων. Demosthenes apud Athenæum, Οὔτε ἐκ θύμβρας λόγχη, οὔτε ἐκ τοιούτων λόγων ἀνὴρ ἀγαθὸς γίνεται. Aristoteles in eundem sensum. Ἀπὸ μὲν νόσων ἐνίων νοσοῦσιν οἱ πλησιάζοντες, ἀπὸ δὲ ὑγιείας οὐδεὶς ὑγιάζεται. Naumachius,

Κεδνὰ κακοὶ φθείρουσι γυναικῶν ἤθεα μῦθοι.

Scholiastes Pindari, verbis alijs, non alia mente,

Χωλῷ παροικεῖς κἂν ἑνὶ, σκάζειν μάθης.

Quem versum, ut diximus de Paulo, Plutarchus redegit in formam solutæ orationis hoc pacto, Ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσῃ. Euripides non tantùm Andromachâ,

Κακῶν γυναικῶν εἴσοδοι μ᾽ ἀπώλεσαν,
Αἵ μοι λέγουσαι, τοὺς δὲ ἐχαύνωσαν λόγους·

sed etiam ferè idem Phœnice,

Ὅστις δ᾽ ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνὴρ,
Οὐ πώποτ᾽ ἠρώτηκα, γιγνώσκων ὅτι
Τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Hinc factum arbitror quòd hunc apud Paulum senarium non à Menandro Comico; sed ab Euripide Tragœdo mutuatum esse opinati sunt Nicephorus, Socrates & Clemens, ut videtur, Alexandrinus, Strom. 1. Theognidis notum illud,

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ᾽ ἐσθλὰ διδάξεαι, &c.

& hoc Æschyli,

Ἐν παντὶ πράγει δ᾽ ἐσθ᾽ ὁμιλίας κακῆς
Κάκιον οὐδέν.

At Paulus maluit ex Menandro longè præstantissimo Comicorum & quasi Græcorum Terentio, quia non semel disertis verbis eundem sensum expresserat: nam & hæc Menandri leguntur,

Σοφοῖς ὁμιλῶν κ᾽ αὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός·
Κακοῖς δ᾽ ὁμιλῶν κ᾽ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Patres, Latini Græcique pariter, hanc gnomen celebrârunt. Latini præter Augustinum Sermone De resurrectione, & Hieronymum ad Magnum Epistolâ, Tertullianus varijs locis, qui & ὁμιλίας modò *congressus*, modò *confabulationes* pessimas (ut Hieronymus ad Nepotianum) reddidit, quibus *convictum atque commercia Deo digna* opposuit. Græci: Iustinus, Ψωρᾷ ἡ γνώμη καὶ πολλοὺς ἐμπέπλησται κακοχυμίας ἀπὸ τῶν ἀνόμων ὁμιλιῶν. Nazianzenus & ipse Poëta in Tetrastichis,

Κακοῖς ὁμιλῶν καὶ κακὸς πάντως ἔσῃ.

Eundem vide Orat. Apologet. fusiùs agentem. Cyrillus, Τὸ συνδιαιτᾶσθαι τοῖς φαύλοις ἐπιβλαβὲς καὶ ἐπίψογον. Basilius, Βλαβεραὶ αἱ πρὸς τοὺς κακοὺς συνουσίαι· quas & Pesti deinde comparat, Ὡς ὁ ἀὴρ λανθάνουσαν νόσον τοῖς ἐνδιαιτωμένοις ἐναποτίθησιν, οὕτως ἡ πρὸς τοὺς φαύλους συνουσία, &c. Vtramq; verò, tum Iustini à scabie, tum Basilij à peste desumptam similitudinem (ut suprà Iuvenalis & Seneca) Chrysostomus conjunxit in Ioan. Δεινὸν γὰρ, δεινὸν ἡ τῶν πονηρῶν συνουσία, καὶ οὐχ οὕτω ταχέως λοιμὸς ἅπτεται, καὶ ψώρα διαφθείρει. Eusebius Præpar. Evang. lib. 6. cap. 6. Οἶδε συνουσία φαύλη κακοῦν· & lib. 8. cap. 9. Κακοῖς ὁμιλήσαντες διάστροφον λαμβάνουσιν οἱ ἄνθρωποι. Agmen claudat Nilus Ascetico inedito, Ἐπιβλαβὴς γὰρ (vel ἐπιβλαβεῖ) καὶ τῆς εἰρηνικῆς καταστάσεως φθοροποιὸς ἡ μετὰ τῶν ἐναντιωτέρων συνδιαίτησις. ὡς γὰρ οἱ ἐν ἀέρι λοιμικῷ γινόμενοι πάντως νοσοῦσιν, οὕτως οἱ ἐν ἀνθρώποις ἀδιαφόροις διάγοντες μεταλαμβάνουσι τῆς ἑαυτῶν (αὐτῶν) κακίας

I. Epist. ad COR. Cap. XV. ℣. 29.

Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis?*] Post digressionem versu 20. cœptam, thesin quam protulerat versu 19. duplici confirmat hypothesi. Dixerat, *Miserrimos fore mortalium Christianos, si tantùm in hac vita sperarent in Christo:* quod jam probat exemplo Martyrum; deinde suo proprio. Si nulla est omnino resurrectio & spes post hanc vitam, quid illis fiet qui mortem oppetunt pro Christo ità mortuo, ut nec ipse resurgat? Quid miserius erit illis? Aut quid nobis, inquit, fieri poterit stultius, qui pro illo mortuo non quidem oppetijmus mortem, sed tamen, totidem quasi mortes, quotidie discrimina capitis adimus? An non meliùs illi vitam redemissent, abnegato illo mortuo? Annon prudentius nos jucundè vitam ageremus Epicureorum in morem; quam Sectam sibi præ cæteris placitam, cùm Christianus non esset, Augustinus confitetur. Ad verba quod attinet, nulla difficultas esset, si Paulus dixisset, οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ, vel οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ. Nam *baptizari pro Christo* nihil aliud significare potest quàm quod alibi dicitur *baptizari baptismate Christi*. Baptismum *sanguinis* vocant. Cur autem dixit, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, pro ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ; non insolenti enallage, ut 2.

Paralip.

Paralip. 24. 25. & Genes. 21. 7. *filij* de unico. Sic, *Mortui sunt qui quærebant animam tuam*, de solo Pharaone, Exod. 4.14 & de solo Herode, Matth. 2. 20. nam solum Herodem tunc mortuum constat ex Iosepho. Accessit causa propria cur Paulus nollet Christum districtè vocare τ̃ νεκρὸν, quia res erat infanda Christum ità mortuum esse, hoc est perijsse: nam ejusmodi mortuorum Deus non est Deus. Vt igitur mitigaret duritiem ac diritatem rei, quæ nec sine horrore audiri, nec sine blasphemia cogitari potest, in universum dicere maluit. Vicarij baptismatis error haustus videtur ex his verbis perperàm intellectis, tametsi de eo nullus cogitârat Paulus.

℣. 50. Σὰρξ καὶ αἷμα, *Caro & sanguis.*] Magistri dicunt, in resurrectione fore ut homines tanto permoti miraculo abjiciant idola sua, nec ampliùs serviant לבשר ודם *carni & sanguini*; cùm omnes in seipsis admissuri sint מלכות שמים *regnum cœlorum.* Sunt igitur hæ formulæ Iudaïcæ, sed in diviniorem, ac celestem sensum à Paulo traductæ, ut alibi sexcenties.

℣. 55. Πȣ̃ σȣ, θάνατε, τὸ κέντρον; Πȣ̃ σȣ, ᾅδη, τὸ νῖκος, *Vbi, ô mors! victoria tua? ubi, ô inferne! stimulus tuus?*] Mors & ᾅδης non tantùm hîc; sed Apocal. XX. 13. & Esa. XXVIII. 15. & XXXVIII. 18. exhibentur instar personarum per προσωποποιίαν.

I. Epist. ad COR. Cap. XVI. ℣. *22.*

Εἴ τις ȣ̓ φιλεῖ τ̃ Κύριον, *Si quis non osculatur Filium.*] Reddo, *Si quis non osculatur Filium*, ex Psal. 2. quod additur appositè ad sanctum quod præcessit inter Fideles φίλημα. Nullam alioqui video rationem insertæ hujus hoc loco clausulæ.

NOTÆ
AD POSTERIOREM AD
CORINTH.

CAPVT TERTIVM. ℣. 7.

Ὥστε μὴ δύνασθαι ἀτενίσαι, *Vt non potuerint intueri.*]

NEmpe contrà & rectà, cùm primùm ad eos venit Moses, quin præstringerentur eorum oculi. Clarum hoc est Exod. 34. 30. Primo

aſpectu perterriti ad eum venire timuerunt. Sed Moſes vocavit eos, & reverſi ſunt, *& præcepit eis omnia quæ locutus erat Dominus cum eo*, brevi ſpatio facie retectâ, non autem velata, ut vulgò creditur, inter alloquendum eos. Quibus peractis cùm diutiùs ferre non poſſent hunc tantum ſplendorem, velavit faciem ſuam, uti propiùs cum ijs verſaretur, nec enim continuum fulgorem ferre potuiſſent, qui vix tulerant eum quamdiu loqueretur. R. Menachem innuit Iſraëlem, cùm loqueretur Moſes, faciem ſuam (fortè manu) texiſſe, ut fieri ſolet in acriori luce. Ait enim, Seniores Iſraëlis in lectione libri Legis operire faciem ſuam, dicentes, *Qui audit Legem ab ore lectoris, perinde eſt ac ſi audiret ab ore Moſis.* Quod apprimè conveniret cum duplici velo de quo Paulus, altero ſuper libro Legis, altero ſuper corde Iſraëlis. Duplex pariter viſitur in hodiernis Synagogis; alterum quo liber Legis involvitur, alterum quod ſuo quiſque capiti geſtant impoſitum. Neq; verò neceſſariò debet auditor eum qui loquitur ἀτενίσαι, & contentis oculis intueri, ſive ἀντοφθαλμεῖν, ut loquitur Clemens diſcipulus Apoſtolorum, ad eoſdem ſcribens Corinthios. Vide Exod. 3. 6. ubi Moſes ipſe μὴ δυνάμενος ἀτενίσαι, Deum tamen abſque velo rectè audit.

℣. 13. Καὶ οὐ καθάπερ Μωϋσῆς ἐτίθει κάλυμμα. *Et non ſicut Moyſes ponebat velamen*] Conqueſti apud me ſunt, Iudæorum nonnulli, quòd ex Paulo dicamus nos Moſem allocutum eſſe populum velata facie: ſecùs enim ſe rem habere, ut patet Exod. 34. 33. Fieri poteſt, dixi, ut alicui exciderit: ſed id Paulus nec dixit unquam, nec ipſius inſtituto neceſſarium erat. Satis eſt ſi Moſes à Deo veniens retectâ facie, poſtquam verba fecerat è ſuperiore loco, ut eſt apud Ioſephum, ubi poſtmodùm cum populo æquis locis verſabatur, faciem obtexit, nè *cornua illa magnificentiæ*, ut Kimchi vocat, (nec tam abſurdè quàm putatur, Vulgatus Interpres reddidit) populus contratendens oculos inſpectaret. Nam quid ſignificabat hoc velum niſi terreri, non recreari mentes illius fulgore Legiſlatoris, & longè aliam fore Meſſiæ gloriam, quæ levato velo ſeſe præberet omnibus perpetuò fruendam, & quo major & propior, eò benignior explendeſceret? Quippe vehemens objectum αἰσθητὸν ſenſum lædit, νοητὸν perficit intellectum. Non igitur Chriſtum, non Apoſtolos obnupſiſſe faciem inſtar Moſis, qui ſub velo ſemper latuit, niſi cùm adiret ad Deum, aut rediret à Deo, & ejus nomine ſolenniter populum alloqueretur ad breve tempus. Obtinuit alia interpretatio, ſed ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Itaque Iudæi conquiêrunt. Si quis Exodi verba perpendet, facilè comperiet, non aliter doctiorum in gente illa, ſed pervicacium hominum expoſtulationi ſatisfieri potuiſſe. Nam ratum apud eos fixumque eſt, abſurdè dici Moſem pro concione ad populum velata facie locutum.

℣. 13. Πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι, *Vt non intenderent in faciem.*] Duplex assignari solet causa cur Moses faciem suam velârit: altera, nè Iudæorum oculi luce nimiâ perstricti laborarent; altera, nè lucem illam, dum paulatim abolescebat, intuerentur & observarent, ut fert opinio Iudęorum, & inter eos Aben-ezræ, *Nè qui fortè Israëlitarum putarent Mosis dignitatem imminutam*, si luce illâ in dies evanescente, pristina vultûs ei forma rediret. Quam opinionem tangere videtur Apostolus, ut eam, quemadmodum solet, in altiorem sensum flectat. Hinc est quod τὸ καταργεῖσθαι tam sæpè hîc usurpat. Huc etiam pertinet quòd Exemplaria quædam legunt πρὸς τὸ ἀτενίσαι, non εἰς τὸ τέλος, sed εἰς τὸ πρόσωπον. Atque ideò nos *transformari* dicet Apostolus, non in extima cute imbui, *de gloria in gloriam*, hoc est, lumine perseverante atque adeò crescente, opposito luci temporariæ vultûs Mosaïci, quæ non perduravit. Quod symbolum fuit splendidum fœderis illius veterascentis & tendentis εἰς ἀφανισμὸν, Hebr. 8. 13.

℣. 18. Ἡμεῖς δὲ πάντες κατοπτριζόμενοι, &c. μεταμορφούμεθα, *Excipientes tanquam totidem specula*, &c. *transformamur.*] Nam qui contemplantur in speculo; non transformantur in objectum, sed magis transformare videntur speculum in imaginem suam. At Plutarchus dixit Solem sic efficere Iridem, ut ex adverso radiorum ejus stet semper nubes illa densa, quam intuetur tanquam in speculo; ubi Anaxagoræ sententiam recitat, Καταντικρὺ τοῦ κατοπτρειζομένου αὐτὴν ἀστέρος διαπαντὸς ἵστασθαι, De placitis Philosophorum lib. 3. cap. 5. Thessalus Orat. ad Athenienses, Εἰς ἑτέρους δὲ ὥσπερ εἰς κάτοπτρον βλέψαντες, ἴδετε αὐτοὶ ἃ ποιεῖτε. Sic & Aphrodisiensis, Τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς ψυχῆς κάτοπτρον εἶναι dixit. *Imaginare* dixit Gellius: Hesychius, φαντάζεσθαι. Commodè igitur desumi potest similitudo à pupilla oculi, speculo naturali, quæ contemplando transformatur. Narrat Capitolinus quo die occisus est Pertinax, negatum *pupillas cum imaginibus quas reddunt, in ejus oculis visas.* Dedit commento locum quod annotarunt veteres medici, cùm non redduntur ab oculis ægrorum aspicientium idola, imminere mortem & summam esse desperationem, ut habet ad Virgilium Servius. Nisi dicamus hoc supernaturale speculum, contrà quàm artificialia, vi pollere transformandi objecta, & opponi Mosaïco, tantùm lucenti. Magistri enim censent inter Mosis prærogativas, quòd non viderit Deum, ut cæteri Prophetæ, in visione obscura, sed *pellucida*, & בספקלריא מאירה *in speculo lucido.* Clemens ad eosdem hos Corinthios venerandæ vetustatis epistolâ, Ἀτενίσωμεν εἰς τὰ ὕψη τῶν οὐρανῶν διὰ Χριστοῦ, ἐνοπτριζώμεθα τὴν ἄμωμον καὶ ὑπερτάτην ὄψιν αὐτοῦ. Vide Gen. 30. 40. & præclarè commentantem Hieronymum in Tradit. *Tales*, inquit, *fœtus concipiebant*, *quales umbras arietum & hircorum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Ex virgis enim in canalibus positis varius erat imaginum color.* Addit Hierony-

mus Quintiliani defensionem matronæ quæ pepererat Æthiopem, & adulterij suspicionem ob fœtum utrique parenti dissimilem sublatam ab Hippocrate, ex eo quòd similis fuisset in cubiculo pictura. Confer. Gal. 4 19. nam quod ibi μόρφωσις, hîc μεταμόρφωσις. *Visio* ferri, *contemplatio* amygdalæ, ut à summis notatum est viris, pro *specie* ac similitudine accipitur; apud Græcos θεωρία βοτρύων, iridem,

Vvaque conspecta livorem ducit ab uva.

II. Epist. ad COR. Cap. IV. ✠. 2.

Τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, *Occulta dedecoris.*] Origenes jam dicto κατὰ Κέλσου libro ἄξια Θεοῦ τῷ εὐεργέτῃ ἀνταποδιδόναι πειρώμενοι, ἢ εἰ δὲ ὅπως κατ' ἀξίαν ἀνταμειβόμενοι, πλὴν ἐν οἷς πιστεύομεν μὴ ἀπονοοῦντες, ἀλλὰ τῷ ἰδίῳ χωρεῖν τὰ μέτρα ἐπιζητοῦντες, καὶ ὅσα παρέχει τὸ ἅγιον Πνεῦμα πᾶσιν ἀφθόνως κοινωνοῦντες· ἀλλὰ καὶ ὅσα ἡ ἀλήθεια ἀπὸ τοῦ Πατρὸς χάριτος παραλαβοῦσα ἀνθρώποις διηκόνησε, ταῦτα καὶ διὰ λόγου σημαινόμενοι (σημαινάμενοι) καὶ διὰ γραμμάτων ἐμμαρτυρεῖσθαι μεινυμένοι (ἐμμαρτυρησάμενοι) ἀνεπαισχύντως κηρύσσομεν. Veritas lucem non timet. Idem hic Apostolus, *Non me pudet Evangelij*, quod in urbe prędicare non dubitem in ista luce. Sed in rebus humanis nulla sine arcano Majestas, & major è longinquo reverentia. Mysteria Gentium latebras quærunt, Christianorum impune produntur. Mysterium est τὸ κρυπτόν. Certum enim habeo vocem hanc *mysterium* Hebraïcæ, non Græcæ originis esse. In Ecclesia Dei palàm omnia fiunt, quæ possint à quo vis inspici, qualem Drusus domum optavit. At falsi Doctores, qui dolosè tractant verbum Dei, doctrinam suam, ut malas merces, occultant, cùm Evangelium instar Solis, nisi cæco, nemini lateat.

II. Epist. ad COR. Cap. IX. ✠. 6.

Εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, *Nam etsi imperitus sermone.*] Non reddi debet, opinor: imperitus sermone; sed proprium ac vulgarem in modum loquens, non tam rudis quàm simplex. Quam loquendi formam Apollonio suo Philostratus induit, cùm ait sectatum esse ὀνόματα κύρια καὶ προσπεφυκότα τοῖς πράγμασι, non autem ἰδέαν λέγων ἀσκῆσαι τὴν διθυραμβώδη, καὶ φλεγμαίνουσαν ποιητικοῖς ὀνόμασιν, οὐ δὲ αὖ κατεγλωττισμένην καὶ ὑπεραττικίζουσαν. Quod genus κύριον καὶ ἰδιωτικόν. Cùm sit longe optimum, tamen à vulgò contemni solet: Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque. Hoc, opinor, ex loco factum est, quòd non Hieronymus modò, qui Paulo interdum iniquior; sed Chrysostomus, ejus admirator summus, hunc juxtà cum cæteris Apostolum faciunt indoctum & indisertum, quem tamen constat plenum literis fuisse. Hic βάναυσον, ἀπαίδευτον, ἄσημον, ἀμαθῆ vocat: Ille, quod se *imperitum sermone* dixit, non de *humilitate*, sed de *conscientia veritate* dixisse affirmat. *Seipsum interpretari cupiens*, inquit, *involvitur*. Tum, *Divinorum sensuum majestatem digno non poterat Graci eloquij explicare sermone.* Bona verba,

Pater! Duo putamus observanda. Primum, verba illa, εἰ δὲ καὶ, respondere his nostris, *Quand même.* Non est enim confessio, sed concessio. *Esto; ἰδιώτης sim τῷ λόγῳ· denegari mihi non potest id quod est rei caput,* γνῶσις. Alterum, aliud esse ἰδιώτην τῷ λόγῳ, qualis Paulus, aliud ἰδιώτην τοῖς γράμμασι, quales alij fuere Apostoli, qui dicuntur ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται, hoc est, planè ἀπαίδευτοι, Act. 4. 13. At ἰδιώτης τῷ λόγῳ potest esse idem qui τοῖς γράμμασι πεπαιδευμένος καὶ πολυμαθέστατος. Qualis Erasmus nostro, & omni ævo complures fuere. Nempe hîc ὁ λόγος tacitè opponitur ταῖς ἐπιστολαῖς, ut 2. Cor. 10. 10. Nemo quidem in scriptis Pauli tanquam idioticum & nimis indoctum aliquid reprehendebat, sed in eloquentia corporis & in orando. Si quod ὑστέρημα ejus fuit, fuit ἡ παρουσία τοῦ σώματος ἀσθενὴς, καὶ ὁ λόγος ἐξουθενημένος, hoc est quod, ἰδιώτης τῷ λόγῳ esset, scribens graviùs & vehementiùs quàm ἀποστοματίζων. Vide quæ suprà dicta sunt à nobis de Mose ad Act 7. 22. & Epistolam Photij 165. Sed & Origenes ad 2. Cor. 4. 2. διὰ λόγου & διὰ γραμμάτων opposuit.

Nec igitur ἰδιώτης τῷ λόγῳ, vel qui simplici & recta, non exculta & elaborata oratione utitur, licet sapientia, scientiaque polleat; vel qui nihil reconditum, nihil nisi vulgare, notum, familiare, pro concione ad populum affert, licet in scriptis cum vi & gravitate sublimem doctrinam & γνῶσιν ostendat.

II. Epist. ad COR. Cap. XII. ℣. 6.

Σκόλοψ τῇ σαρκί, *Stimulus carni*] Novè, sed verè liceat reddere: crux carni. *Crucem* suam vocat Paulus adversarium aliquem suum; nam σκόλοπα miror ità non verti; cùm perpetuò Paulus afflictiones suas ad instar Crucis Christi depingat, & se *crucifixum* dicat mundo, & *unà crucifixum* cum Christo, & *portare Domini stigmata in corpore suo,* & alibi τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου ἐν τῷ σώματι, ac denique, ἀνταναπληροῦν τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ, & addat, ἐν τῇ σαρκί μου. quid proclivius quàm ut cùm dixit σκόλοπα τῇ σαρκί, de persecutione similiter interpretemur, quasi quadam cruce quam Christianus quivis post Christum bajulat, Paulus inprimis, qui se κολαφίζεσθαι pariter hîc dicit alapas inflictas Christo respiciens? Σκόλοψ autem propriè *cervum* supplicij genus: at rectè *crucem* interpretari possumus. Hesychius, Σκόλοπες, σταυροί. Idem Σκολοπιζόμενον, σταυρώσιμον reddit. Glossæ Philoxeni malè dictæ, Σταυρεσκόμισον, *furciferum,* cruce dignum. Iam verò, sicut patibulum & crux à Latinis, ità σκόλοψ & σταυρὸς, ἀνασκολοπίζειν & ἀνασταυροῦν, à Græcis nullo sæpè discrimine usurpantur. Hesychius, Τὸ γὰρ πάλαιον τοὺς κακούργους τοὺς ἀνεσκολόπιζον· id est, ἀνεσταύρουν, ut ex eodem Hesychio patet; Ανεσκολοπίσθη (rescribe Ἀνασκολοπίσει) ἀνασταυρώσει Lucianus Macrobijs, de Ariarathe, Ζωγρηθεὶς ἀνεσκολοπίσθη. Idem Sannio, de vita Peregrini, Σοφιστὴν ἀνεσκολοπισμένον, de Christo crucifixo. Ita passim Patres. Eusebius de Petro dixit, eum ἀνασκολοπισθῆναι, cap. penult. lib. 2. Hist. Chrysostomus de Christo, Ὃν εἶδον

ὑπὲρ ἑαυτῆς γυμνωθέντα ἀνεσκολοπισμένον, περιπλωμένον, ἐμπτυόμενον. Nec aliter Tertullianus crucem Christi vocat *patibulum*, σκόλοπα. *Crucem figere* Latinè dicimus etiam de eo qui molestiam gravem alteri creat. Quid mirum igitur si Paulus eum à quo supra modum cruciabatur adversarium, σκόλοπα vocat, id est crucem, & quasi tortorem suum; sed & *Angelum Satanæ*, ut superiori capite *Satanæ ministrum*? Quæ duo non dubitamus posita ἐν παραλλήλῳ, ut εἰς πρόσωπον δέρειν ibidem pro eo quod hîc dicit κολαφίζειν, de publica & atroci calumnia. Satis mirari non possum eos qui volunt à dæmone vexatum Apostolum etiam aspectabili formâ, vel eos qui de Thecla. Magis adi Chrysostomum, & audi. Si quis caput quod præcedit malè separatum cum hoc capite diligenter contulerit, ei se facilè nostra hæc interpretatio probabit.

NOTÆ

IN EPISTOLAM AD

GALATAS.

CAPUT SECUNDUM, ℣. 2.

Ἀνεθέμην, *Contuli, vel Retuli, Communicavi.*] Id est, *Retuli, Communicavi.* Chrysostomus exponit κοινώσασθαι. Hieronymus eleganter, *in amici sinu ponere.* Nimirum respexit, opinor, ad illa verba Græcorum interpretum Michææ cap. 7. Καὶ ἀπὸ τῆς συγκοίτου σου φύλαξαι τοῦ ἀναθέσθαι τι αὐτῇ, *Et conjugi tua cave nè quid aperias.* Itaque capitis hujus com. 7. Οὐδὲν προσανέθεντο reddi debet, *Nihil ultrà aperuerunt;* & capitis præcedentis com. 16. Οὐ προσανεθέμην σαρκὶ καὶ αἵματι, *Non rem aperui carni & sanguini,* quasi capturus inde consilium. Porrò ἀναθέσθαι optimis Græcis Autoribus est *mutare sententiam*, vel *mutare factum*, desumptâ similitudine à ludo calculorum, ubi calculus malè datus & positus revocatur & reducitur. Hesychius, Ἀναθέσθαι, ὁμολογῆσαι. ἀπὸ τῆς πεσσονεὶ λέγεται· οἱ γὰρ παίζοντες καὶ τὰς ψήφους ἐπιδιορθοῦσιν. Rescribit vir summus, Ἀναθέσθαι, μετανοῆσαι pro eo quod est apud Hesychium ὁμολογῆσαι. sed nihil mutandum est; nam qui revocat calculum, ipso facto reus est confitens, neque modò pœnitet eum, sed etiam fatetur à se peccatum. Hinc ἀναθέσθαι τὸν βίον est *mutare pristinum vitæ institutum.* Harpocration Antiphontis dictum refert valdè scitum, quod est apud Philostratum in Antiphonte, Ἀναθέσθαι ὥσπερ πεττὸν τὸν βίον

ὐκ ἔςι, *Revocare vitam ut calculum non licet.* Rursum Hesychius, Ἀνάθεμα, ἐπάρατος, ἀκοινώνητος· quarum significationum una fluit ex altera; maledictus enim est qui communionem cum Deo non habet: ut sit frustrà vir longè doctissimus cùm harum significationum alterutram vult veram esse, nimirum posteriorem. Fateor quidem prius, ἀνάθεμα significare τὸ ἀκοινώνητον, sive τὸ ἀφωρισμένον· nam θέμα positio, ἀνάθεμα contrarium, *remotio*, ἀφορισμός. unde Suidas ἀνατίθεμαι exponit ἀθετῶ, apprimè ad originationem vocis. At interim nego ἀνάθεμα perperàm Hesychium interpretari ἐπάρατος· quemadmodum enim ἀναθεῖναι primò quidem *imponere, suspendere*, quasi ἄνω θεῖναι, significat, deinde verò *dedicare, consecrare*, unde & ἀναθήματα *donaria suspensa*, & *ornamenta templorum*; sic & ἀναθέσθαι primò quidem significat *revocare, separare à communione*, deinde verò *maledictum* & *sacrum caput*: nempe ἀνάθημα per η deducitur ἀπὸ τοῦ ἀναθεῖναι, quod est *suspendere*, aut *in templo dedicare*: ἀνάθεμα verò per ε, ἀπὸ τοῦ ἀναθέσθαι, quod est *removere, separare*, idem quod ἀφορίζειν· ita ut præpositionis ἀνὰ sensus longè sit alius in ἀναθεῖναι atque in ἀναθέσθαι, quorum alterum *imponere*, alterum *seponere* designat.

℣. 11. ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, *Quia condemnatus erat.*] Reddo *quia condemnatus erat*, quæ propria est potestas hujus vocis. Hesychius, Κατεγνωσμένος, κατακεκριμένος· rescrib. κατακεκριμένος, *condemnatus*. Notum illud Iuliani, Ἔγνων, ἀνέγνων, κατέγνων· & argutè responsum, Ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως, εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως. Quanquam verò vox hæc simplicem increpationem interdum significat, hîc tamen cum bona omnium venia reddere liceat, *condemnatus erat*. Sed à quo? Ab Hierosolymitana Synodo Act. 15. & à seipso. Quam enim sententiam in ea Synodo ipse dixerat, ei nunc ipso facto repugnabat. Præcessisse autem illam Synodum hanc Apostolorum principum concertationem, non mea modò, sed præstantissimorum Theologorum opinio est. At omisisse prorsus Paulum id quod erat præcipuum in causa sua, & nullatenus attigisse decretum illius Synodi quod adeò disertè Petro adversabatur, cui tandem fiet verisimile? Κατεγνωσμένος positum volunt pro κατάγνωστος· quod admitti non posse reor in his libris, absque catachresi dura & rariori. Contrà, γνωστὸν ἀντὶ τοῦ ἐγνωσμένου apud Moschopulum legas. Nihil opus est ambage illâ. *In os*, inquit, *ipsi obluctatus sum*: quam ob rem? An quia *reprehendi merebatur*, ut verti solet? Sed qui dignus est reprehendi, non ei continuò reluctandum coràm & palàm est. Frigida ratio rei tantæ, ut quidem videtur. Atque hinc factum opinor quòd Paulum egisse procaciter Porphyrius blateravit. Meliùs procedit; Ideò ipsum non scripto aut per alium, non privatim & remotis arbitris, sed publicâ in corona præsens præsentem increpare non dubitavi (alioqui non facturus, non ausurus, pro reverentia quæ primogenito debetur

Apostolorum) quòd *condemnatus erat* illa in Synodo, cui major quàm ulli τ͂ ὑπὲρ λίαν Apostolo reverentia debetur.

ψ. 13. Καὶ συνυπεκρίθησαν αὐτῷ, *Et consenserunt ei.*] Frustrà vir magnus arbitratur fore ut cómmodius legeretur συνυπεκλίθησαν. Nam primò, planè idem est, συνυποκριθῆναι quod continenter συναπαχθῆναι τῇ ὑποκρίσει. deinde, vox Polybiana est, cujusmodi complures Paulus habet, quanquam non in eundem omnino sensum Polybius usurpavit; est enim Polybio συνυπόκρισις propemodum quod οἰκονομία· Patribus Græcis, non recta & aperta, sed circumspecta & dextrè sagax agendi ratio, κατ᾽ ὑπόθεσιν, ut Aristides loqueretur, quod Latini vocant *sinus obliquare*, Græci ταμιεύειν τ͂ ἀλήθειαν. Quâ simulatione prudenti volunt hîc usos esse Petrum & Paulum Apostolos Chrysostomus & Hieronymus Origenem secuti; quasi nulla fuerit inter Apostolos vera contentio, sed consulto consilio, atque de industria res ita fuerit ab Apostolis administrata, ut per hoc fictum certamen utriusque populi saluti consuleretur κατ᾽ οἰκονομίαν, quæ vox propriè idem sonat apud græcos Theologos quod apud Polybium συνυπόκρισις πολιτική, quam ἀπὸ τ͂ κακουργήματος latè distinguit: nam simulationem fraudulentam dolumque malum κακούργημα vocat; sed cata consilia ex usu & in tempore adhibita, quod artis est & prudentiæ, συνυπόκρισιν πολιτικὴν appellat: quem in sensum veniunt & στρατηγήματα militaria; *rationem Statûs* dicunt Barbari; Aristoteles, ut Philosophum decuit, σόφισμα πολιτικὸν dixit eleganter. Est autem ὑπόκρισις vox à theatro & scena petita; quia verò gestus histrionum prisci Rhetores æmulabantur, factum hinc est ut vox hæc traduceretur ad pronunciationem Oratoriam designandam: unde rogatus Demosthenes, quid esset in oratione primum, quid alterum, quid tertium respondit, Ἡ ὑπόκρισις. Cicero, *Actio in dicendo una dominatur.* Sequitur, Συναπήχθη. Notabilis vox, cujus penitior intellectus meliùs indagari non potest, quàm si conferatur cum ijs quæ sequuntur, Τί τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις; Nam idem est, opinor, ἀπάγεσθαι & ἀναγκάζεσθαι, non tam duci quàm rapi, nec rationibus persuaderi, sed exemplo & vi quadam pertrahi. Certè Græci veteres ἀνάγκην carcerem vocârunt, & ἀπάγειν, in carcerem obtorto veluti collo trahere: ijdemque sic ἀπάγειν distinxerunt ἀπὸ τοῦ ἄγειν in hoc negotio, ut ἀπάγειν diceretur qui ducebat ad magistratum, ut ab eo plecteretur is quem accusabat; sin minùs, accusator mille drachmas penderet, nisi certè quintam partem suffragiorum ferret; ἄγειν autem simpliciter dicebatur qui domum suam debitorem ducebat, ut eum ibi sine cognitione aut judicio malè mulctaret, adeóque interdum interficeret arbitratu suo; atque adeò ubi plures erant Creditores, licebat ijs corpus Debitoris in plures partes dissecare atq; concerpere: quod crudele institutum Solon sustulit, post quem in bona tantùm licuit quod antea licebat in hominem. Atque hæc obiter, ut doceremus

ceremus hîc à Paulo nullam vocem adhiberi non gravissimam contra quàm nonnulli sentiunt, qui conantur mitigare vocem ipsam κατεγνωσμένος, quasi levis esset reprehensio; sed ostendimus jam esse condemnationem: item illud συνυπεκρίθησαν & ἀναγκάζειν, & οὐκ ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν, &c. omnia sunt acria.

Epist. ad GAL. Cap. III. ꝟ. 1.

Τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε; *Quis vos fascinavit?*] Hieronymus observat hîc Paulum Galatis, quos *stultos* appellat, scribentem stultum factum esse, argumentisque usum è trivio. Chrysostomus notat solidiùs, non priùs ad hanc σφοδρότητα & vehementiam imprecationis venisse Paulum, quàm post elenchos & ἀποδείξεις, postquam sui muneris autoritatem præcedentibus capitibus stabiliverat. Quod autem negat idem Pater fascinari oculos videntium ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν βολαῖς, (quas alij vocant ἀπορροίας, Heliodorus ῥεύματα,) vel creari perniciem, plerosque veterum refragantes habet, Poëtas, Philosophos, qui de fascino tanquam re comperta scribunt, & in ijs Plutarchus Problematum quinto. Βασκαίνω dicitur tanquam φασκαίνω· fiebat enim harum literarum transmutatio, ut Φίλιππος Βίλιππος dictus est apud Macedonas. Etymon, ἀπὸ τοῦ φάεσι κτείνειν, quod oculis potissimùm noceat, & per oculos; quemadmodum & auribus, & per aures: nam hi duo sensus potissimùm incantationibus obnoxij: unde Poëta,

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Et apud Hebræos חרש *surdum* significat, à voce denotante idem quod βασκαίνω *fascino*. Ad utrumque videtur Paulus respexisse, cùm Galatas fascinatos dixit ne obedirent veritati, quod est aurium; atque hinc est quod com. 3. περὶ τῆς ἀκοῆς πίστεως loquitur: & ne viderent Christum coràm depictum & crucifixum, quod est oculorum. Latina vox *fascinum* à Græca φασκαίνω deducitur, quod appendebatur collo infantium, & currui triumphantium Imperatorum invidiæ avertuncandæ, ut ex Plinio patet, apud quem fascinus non modò *infantium custos*, sed etiam *Imperatorum Deus, Invidia medicus* eleganter dicitur.

ꝟ. 3. Ἐναρξάμενοι πνεύματι, *Initiati per spiritum.*] Loquendi forma, ut multæ aliæ apud Paulum, à mysterijs petita; Ἐναρξάμενοι *initiati*, ἐπιτελούμενοι *perfecti.* Lex nihil perficiebat, sed erat veluti Christi rudimentum & minora mysteria, μικρὰ τελετή. Pædagogus, ut posteà dicitur: ἀρχὴ, quæ dividitur ἀπὸ τῆς τελειότητος, *à perfectione*, initio cap. 6. ad Hebræos. Mens est; Vos initiati fuistis Evangelio per Spiritum; quæ vos igitur dementia cepit, velle consummari per opera Legis & mandati carnalis, cùm Lex omnino contra se habeat? Lex enim est ἀρχὴ Χριστοῦ, Christus verò τέλος νόμου· vos autem ità vos geritis, quasi Lex esset finis atque perfectio, Christus verò initium: nihil est autem absurdius. De

voce ἐπιγνώσει vide Chrysostomum ad locum.

℣. 23. Εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι, *In eam fidem quæ revelanda erat.*] Et prior & posterior Christi adventus ἀποκάλυψις vocatur: prior hoc loco: posterior Rom 8. comm. 18. eâdem loquendi formâ, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι· atque hinc est quòd uterque Christi adventus ἐπιφανεία vocatur Epistolæ ad Titum cap. 2. Prior dicitur ἐπιφάνεια τῆς χάριτος, com. 11. posterior ἐπιφάνεια τῆς δόξης, com. 13. Hoc autem loco prior dicitur ἀποκάλυψις τῆς πίστεως· nimirum Lex erat velum sub quo latebat Fides, quemadmodum corporis mors quasi velum est sub quo latet gloria filiorum Dei: & quemadmodum velum illud prius Templi Legalis per Christi mortem atque resurrectionem scissum atque sublatum est; ità & posterius tolletur aliquando per omnium fidelium, hoc est, Christi totius resurrectionem, quæ resurrectio ideò dicitur ἀποκάλυψις τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ, Rom. 8. 19. Confer omnino insignem locum Esa. 25. 7.

℣. 26. Πάντες γὰρ υἱοὶ Θεοῦ ἐστε, *Omnes enim filij Dei estis.*] Dixit υἱοὶ non παῖδες· παῖδες enim sunt *pueri*, hoc est, infantes aut servi; utrumque *puer* significat in omnibus linguis: & cùm ipse Christus παῖς dicitur, servus intelligitur. Lex igitur παιδαγωγὸς, ministra eruditrix filiorum Dei, sed infantium; nos autem jam sub Evangelio, custode remoto, & Lege illâ plagosâ sub qua quodam velut Orbilio ἐφρουρούμεθα συγκεκλεισμένοι, sumus, υἱοὶ Θεοῦ, hoc est, filij adulti & majorennes, & velut emancipati, non ampliùs παῖδες, hoc est, infantes aut pueri, qui more servili habebantur.

Nec dixit νηπίους, ut infra dicet IV. 3. infantes qui fari nondum sciunt; quales eramus sub lege, servientes rudimentis mundi; sed υἱοὺς vocat, nimirum adultos; nec tantùm loquentes, sed clamantes, hoc est liberè loquentes, μετὰ παῤῥησίας, qui Deo familiariter utuntur. Omnes adjecit, & quia nullum discrimen viri & feminæ est; & quia id sub lege & prophetis modò, & paucis alijs datum est. Fidem alij habebant in Messiam futurum, cetera ignotum. Quæ fides per timorem operabatur: faciebant enim quod non intelligebant, & metu pœnæ, quod utrumq; servorum est. At Christiani omnes fide præditi sunt in Christum exhibitum, non modò pleniori; sed propemodùm alius ordinis, certè quę non minus differt ab illa, quàm anima rationalis in puero, ab eadem in viro, & λογικὴν λατρείαν per charitatem operatur. Alia est igitur fides promissionis τῆς ἐπαγγελίας, alia εὐαγγελικὴ, revelatio fidei, cujus objectum Christus φανερωθείς.

Epist. ad GAL. Cap. IV. ℣. 3.

Καὶ ὅτι υἱοί ἐσμεν, *Quia filij sumus.*] Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra.

Contra videtur commodius dici posse aut rectius; quia Deus misit spiritum suum in corda nostra, ideò nos esse Dei filios. Certè illud ὅτι respondens Hebræo, certè sumptum reperias pro διότι propterea, ut Luc. VII. 47. & Ioan. XIV. 15. 16. & ex adverso διὰ τοῦτο per ὅτι reddi debet. Rom. XV. 12. & Hebr. XI. 23. Hic igitur sensus foret: Deus misit spiritum suum in corda nostra. Quod si molestum videtur distinguere donum fidei per quam nobis jus adoptionis contingit à dono spiritus quem credentibus promissum Deus fidei petenti largitur Luc. XI. 13. juxta illud Pauli: postquam credidistis, obsignati estis spiritu promissionis. Et illud Ioan. Si quis crediderit, aquæ vivæ flumina fluent ex ventre ejus. Soli credentes recipiunt Spiritum Sanctum, hoc est, magnam ejus vim promissam novo fœderi, fides nos inserit filio in quo adoptamur, & ex quo spiritus per quem renovamur, in nos defluit. Christus caput, Spiritus Sanctus cor Ecclesiæ. Filij Dei sumus de jure per filium, & tales jam dicimur de facto per Spiritum qui tales facit, imprimendo & obsignando imaginem Patris cœlestis in cordibus nostris, & ora nostra liberè aperiendo ad invocationem coràm eo, & confessionem coràm hominibus.

ỷ. 6. Ἀββᾶ Πατήρ, *Abba Pater.*] More lallantium puerorum, ut interpretes putant, & balbutientium. Mea longè aliter ratio est, qui tam hîc quàm Rom. 8 adultos filios & ætatis maturæ intelligendos video. Præstat omnino, Ἀββᾶ hîc alijs de causis positum agnoscere, cùm præsertim Christus, qui puer non erat, sed adultus & perfectus Dei Filius, *Abba* dicat, cùm Patrem invocat in Evangelio. Huc facit vox κράζειν, quæ est robustorum, non tenellorum. Porrò hîc alluditur mos Iudæorum, apud quos nec servi, nec ancillæ compellationis illo genere utuntur, *pater*, seu *Abba*, *mater*, seu *Imma*, ut patet ex Gemara ad titulum de Benedictionibus. Κράζομεν autem appositè dictum, tum quia servi mussant, nec audent vocem tollere; tum quia Ἀββᾶ signat βοῶ apud Hesychium.

Epist. ad GAL. Cap. V. ỷ. 12.

Ὄφελον καὶ ἀποκόψονται, *Vtinam & abscindantur.*] Intelligit παντάπασι κατακόπτεσθαι, ut Græci loquuntur, totâ parte illâ, quam nominare vetat Apostoli pudor, mulctari; non circumcidi pelliculam. Digni sunt quibus demetatur, quò magis glorientur, qui tam gloriantur circumcisâ. Vide quæ dicimus ad Philip. 3. 2.

NOTÆ
IN EPISTOLAM AD
EPHESIOS
CAPUT PRIMUM, ✠. 4.

Καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ, *Sicut elegit nos in ipso.*] Rectè dici possumus in Christo, sive per Christum, electi. Clemens ad Corinthios sub finem, Ὁ ἐκλεξάμενος τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ ἡμᾶς δι' αὐτοῦ εἰς λαὸν περιούσιον. Attamen haud solet Scriptura dicere nos in Christo electos, sive per Christum, ut neque nos in Deo Patre servatos, sive apud Deum: quanquam dici potest utrumque; tamen scripturæ mos est electionem nostram consilio & beneplacito Dei Patris attribuere ante jacta mundi fundamenta: salutem autem nostram describere tanquam partam nobis in Christo ac per Christum in tempore. Quidni dicamus igitur hoc loco ἐν αὑτῷ spiritu non leni, sed aspero insigniendum, & *in se ipso*, non autem *ipso*, interpretandum esse, ut non ad Christum, sed ad Patrem referatur, qui nos in tempore benedixerit in Christo, quemadmodum nos ab æterno ad id elegerat in seipso? Quod ea quæ sequuntur statim & continenter mihi persuadent, Προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὑτὸν, *in seipsum* (quod omnino est idem cum ἐν αὑτῷ *in seipso*) κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὑτοῦ, εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὑτοῦ· ubi αὑτοῦ ter spiritu aspero afficitur. Sicut autem Deus hîc dicitur prædestinâsse nos *in seipsum*, hoc est, *secundùm beneplacitum voluntatis suæ*, ut nos adoptaret in Christo: pari planè pacto dictus est antehac, idque immediatè, benedixisse nos omni benedictione (quo in sensu præcipua est adoptio) *in Christo*, quemadmodum nos elegerat in seipso. Nihil videtur clarius: clariora tamen quæ sequuntur commate 9. & 10. quæ vix ullum dubitandi locum relinquunt; Κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὑτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὑτῷ, *in seipso*. Nam quid tandem aliud est illa πρόθεσις ἐν αὑτῷ, *propositum in seipso*, quàm ἐκλογὴ ἐν αὑτῷ, *electio in seipso*, de qua commate quarto? Quod insuper illustrius fiet, si spectemus ut Paulus toto passim capite dicat beneficia spiritualia, quæ nobis Deus decrevit *in seipso*, id est, apud seipsum, *ab æterno*, contigisse nobis *in Christo*, id est, per Christum, *in plenitudine temporum*,

de qua commate 10. Ac primò quidem *in universum*, cùm ait benedictiones omnes in nos à Deo Patre corrivari per Christum ἐν Χριστῷ; sed juxta electionem quam instituerat ante jacta mundi fundamenta ex mero beneplacito *apud seipsum* : nam sic reddendum est illud ἐν αὐτῷ Deinde *in specie*, tum *adoptionem*, quam nobis ait contingere διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, quod antea dixerat ἐν Χριστῷ sed εἰς αὐτὸν, quod antea dixerat ἐν αὐτῷ *in seipsum*, vel *in seipso*, ℣. 5. tum *redemptionem*, quam nobis ait *per Christum* partam; sed juxta divitias quibus in nos exundavit gratia Dei Patris; Ἐν ᾧ (Χριστῷ) ἔχομεν ἀπολύτρωσιν κατὰ τὸ πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ, ℣. 7. & 8. Subinde *notitiam* redemptionis illius ac mysterij, & dispensationis quâ Deus omnia coëgit sub capite Christo per ipsum Christum, idque in plenitudine temporum; sed juxta beneplacitum quod proposuerat in seipso, nempe καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ ante jacta mundi fundamenta, ut antea dixerat, quod idem nunc dicit, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, ℣. 9. & 10. Denique verò *sortem hæreditatis*, quam nos quidem sortitos in Christo dicit, sed prædestinatos & electos juxta propositum ejus qui omnia operatur κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, Dei Patris, ℣. 11. Quid jam superest quàm ut hinc efficiamus Paulum dicentem, quemadmodum elegerat nos ἐν αὐτῷ, Patrem ipsum intelligere, non Christum, in quo Christo benedixit quidem nos Pater omni benedictione cœlesti; sed prout ab æterno elegerat nos *in seipso?* Sic non levem difficultatem, quæ magnos viros habuit exercitos in hunc locum, uno spiritu profligamus. In veteribus autem Novi Fœderis codicibus constat spiritus appingi nullos, quod aut nescire aut agnoscere nolle sciolorum est. Porrò, quid proclivius mutatione spiritûs lenis in asperum, & contrà? Sed nec opus. Ἐν αὐτῷ etiam sic, leni spiritu notatum, reddi potest *in seipso*, quasi ἐν ἑαυτῷ. Quippe sicut Cicero in ea pro Dejotaro *ab illo* pro *a se* posuit; ità Clemens Pædagogo, Χείρων αὐτὸς αὐτοῦ, idemque Protreptico, Αὐτὸς αὐτοῦ περιπίπτει, adhibuit αὐτοῦ etiam cum spiritu leni, consentientibus manuscriptis, pro ἑαυτοῦ. Nè quis autem caussificetur obrepere potuisse mendum in manuscriptos omnes, Aristoteles ad Nicom. habet ζῆν καὶ αὐτοὺς, pro ζῆν καθ' ἑαυτοὺς quod jam dubio caret. Nazianzenus, Θεῶν τὴν τοῦ δήμου κίνησιν ἐπ' αὐτὸν, pro ἐφ' αὐτόν. Autor tandem ad Hebr. 6. 7. Γῆ γὰρ πιοῦσα τὸν ἐπ' αὐτῆς ἐρχόμενον ὑετὸν, pro ἐφ' ἑαυτῆς, ut liquidò patet. Nihil igitur omnino impedit quominùs ità Paulum interpretemur; *Deus benedixit nos in Christo, quemadmodum elegerat nos in seipso*, &c. sive, *apud seipsum.*

℣. 10. Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, *Instaurare omnia in Christo.* Dictionarium Ecclesiasticum jam sæpiùs, nunquam nimis, laudatum, ἀνακεφαλαιοῦται, ἀνακαινεῖ, ἀνακτίζει. Optimè, quantum judico, & apprimè ad Apostoli mentem hoc loco; In plenitudine temporum, creatione novâ, omnia collecta iterum sub uno capite Christo, ut quon-

dam sub Adamo. Hesychius, Ἀνακεφαλαιοῦται, συμπληροῦται. Nempe sicut post omnia creata sanctius animal cæteris dominaturum deerat adhuc: ità nunc ad creationem novam omnia matura & consummata, hominibus & Angelis deerat solum caput, Christus Dominus, ejusque Spiritus. Hinc plenitudo corporis in plenitudine temporum. Vox κεφάλαιον rarò quidem, at apud autores optimos, Photium, Artemidorum, alios, usurpata invenitur ἀντὶ τῆς κεφαλῆς, *pro capite* corporis humani: nec aliter, opinor, interpretari debet apud Chrysostomum Homil. 38. in 1. Cor. δεικνὺς ὅτι πανταχοῦ τὸ κεφάλαιον ἡ πηγή quod pace dixerim doctissimorum ejus interpretum. Nec felicius interpretes Plutarchi Pericle, ubi dicunt se non videre cur Amiotus nostràs reddiderit μακρὰν *longue teste*. Res minimè tamen obscura. Nimirùm μακρὸν κάρα falsè subinnui rectè conjecit. Nec meliùs viderunt quid sit κεφάλαιο ibidem; quod ineptè *princeps* redditur. At nec Latino verbo uno jocus ille reddi potest. Pericles hoc habuit commune cum Thersite, περιμήκη κεφαλὴν καὶ ἀσύμμετρον. Eupolis aliquid interrogabat de singulis Demagogis ascendentibus ex inferis, quorum ultimus erat Pericles, de quo sic interrogat, ὅ, τι περ κεφάλαιον τῶν κάτωθεν ἤγαγες; *Quod nobis caput summum ex inferis reduxisti?* Nam κεφάλαιον ultimum signat colophonem; ut *summus* pro *ultimo* apud Latinos Gregorius Theologus de Constantino, Κλεινὸν ἐκ κακῶν βασιλεία κεφάλαιον ἐπιτιθείς. At Eupolidis frigidum esset scomma, nisi κεφάλαιον præterea *caput* significaret, quod Pericli deforme contigerat: ut manifestum est ex tota orationis apud Plutarchum serie. Sed alios testes producere supervacaneum reor, cùm apud ipsum Evangelistam legamus κεφαλαιοῦν, pro ἐν τῷ κεφαλαίῳ τύπτειν, id est, ἐν τῇ κεφαλῇ, Marc. 12. 4. Vox est Grammatica, ut patet ex Hesychio in ὅς, quod ait esse interdum ἀνακεφαλαιωτικόν. Philosophus etiam in Metaph. συνάγειν τὸ κεφάλαιον dixit de conclusione, quam Græci συναγωγὴν eleganter vocant. Porphyrius, συγκεφαλαιοῦσθαι pro eodem posuit. In Musica Ptolemæi MS. postquam Archytæ Pythagor. multa retulit egregia, Εἰπὼν δὲ καὶ ἄλλα περὶ τῆς διαστηματικῆς ἰδίας τῆς φωνῆς κίνησιν, συγκεφαλαιοῦται τὸν λόγον. Plato κεφαλαιώσασθαι dixit id quod est Aristoteli συλλήβδην λέγειν. Rhetores passim usurpant. Omnes ab Arithmetica mutuati sunt, in qua τὸ Κεφάλαιον *Summa*. Sed quid obstat quo minùs Paulus è trivio & abaco hanc vocem traduxerit in cœlestem sensum & diviniorem nomenclaturam, quod ei solemne? ut idem hìc dicatur quod iterum hoc ipso capite, Καὶ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ (ut olim Adamo Psalm. 8.) καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ· nec aliud sit ἀνακεφαλαιοῦσθαι quàm *cogere* omnia *iterum sub* uno *capite?* Sed ità ut hic actus postremus omnium sit consummatio, & conclusio totius operis, nova συναγωγή.

℣. 19. Τῆς δυνάμεως, &c. κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *Virtutis, &c. secundùm operationem potentiæ virtutis ejus.*] Eustathius Iliad.

γ'. vocat ἐπίχυσιν ταυτοδυνάμων λέξεων, quæ apta est affectibus. Ad illud Poëtæ,

> Πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλει, πάντεσσι δ' ἀνάσσειν,
> Πᾶσι δὲ σημαίνειν,

Scholia MS. eximia jam laudata, Ἴδιον τοῦ θυμοῦ μὲν ἐπαναχυκλεῖν τὰ αὐτά· οὐδέποτε γὰρ οἴονται ἱκανὸν εἰρηκέναι. Helladius apud Photium, Ὀργιζομένου ἐστὶ τὸ τὰ αὐτὰ πολλάκις λέγειν· καὶ γὰρ τὸ τῆς ὀργῆς πάθος ἄγονον· *non generat*, ut loqueretur Quintilianus, *conceptu*, ut vulgò dicimus, caret: atque ideò, inquit, Agamemnon iratus Chalcanti, ἐν τοῖς αὐτοῖς ῥήμασι τὴν βλασφημίαν περιφέρει, cùm ait, Μάντι κακῶν, &c. bis ac ter ταυτολογῶν. Sed & extra affectus, ut in illo alterius Principis Poëtarum,

> *Quem si fata virum servant, si vescitur aurâ*
> *Æthereâ, nec adhuc crudelibus occubat umbris.*

Neque vacabat affectu Paulus in orationis fervore, zelo Dei flagrans, & extra se raptus præ admiratione. Scripsisse tamen eum existimo juxta Hebræorum consuetudinem, qui pro superlativis, quibus carent, modò eadem repetunt, modò synonyma congerunt. Huic enim planè geminum observavi cumulum apud Chaldæum Paraphrasten ad Esa. 53. 1. ותקוף דרע גבורתא דיי כדון על מן אתגליאת, *Et robur brachij potentiæ Domini cui revelatur?* quem Paraphrasten à Paulo lectum, alia non pauca sunt quæ mihi persuadent.

Epist. ad EPHES. *Cap. V.* ℣. 18.

Καὶ μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία, ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν πνεύματι, *Et ne inebriemini vino, in quo est luxuria: sed implemini spiritu.*] Lex Minoïs Μὴ συμπίνειν ἀλλήλοις εἰς μέθην. Nec οἶνος hîc vetatur, sed παροινία· frustrà enim est Mnesithei apud Athenæum περὶ κωθωνισμοῦ Epistola docens quomodò citra offensam animi & corporis inebriari possis. Vertendum igitur ἐν ᾧ *qua in re*; nam in ipso vino nulla inest intemperantia: nisi malumus vino hîc opponi quasi aliud, sed cœleste vinum Spiritûs, in quo nulla potest unquam esse ἀσωτία, quantumvis eo pleni simus. Οἶνος ἐμπνευματικὸς, præsertim de novo dicitur Dioscoridi. Sic Luc. 1. 15. Καὶ οἶνον καὶ σίκερα οὐ πίῃ, καὶ πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται. Quæ similitudo convitio locum dedit cùm essent πλησθέντες πνεύματος ἁγίου Apostoli, ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσὶ, Act. 2. 4 & 13. ubi vides, πλησθέντας & μεμεστωμένους· quæ duo idem signant. Nec aliter accipio μεθύσκεσθαι & πληροῦσθε. Sensus idem foret si dixisset Paulus, Nolite *impleri* vino, sed *inebriamini* Spiritu. Nam & ἄοινος μέθη proverbium. Virgilius, *Implentur veteris Bacchi.* Hesychius, Μεθύει, πεπλήρωται. Idem, Μεθύσκομαι, πληροῦμαι. Nonius Marcellus *ebrium* dici qualibet re *plenum* probat ex illis Varronis, Eumenidibus, *Scholasticus aures scholicâ dape ebrias.* Non malè igitur hîc verteris, *Nec replemini vino* in-

temperanter. Nam sic Psal. 23. 5. *Calix* Dei רויה *abundans*, reddiderunt LXX. μεθύσκον· sic enim legendum, ut in optimis; non μεθύσκον ως, ut in plerisque legitur exemplaribus. Nempe sicut *abundans* de quavis re; sed de aqua primò dicitur, unde apud Poëtam, *flumen abundans*, χυειολογεῖται ita μεθύσκεσθαι, *inebriari* primum de vino, deinde verò de re qualibet, etiam de aqua. Sic Esaiæ 58. 11. גן רוה *hortus irriguus* LXX. κῆπος μεθύων. Habes apud eosdem de pluvia Psal. 65. 10. sed & de nive Esa. 55 10. & apud Sirac. 39. 27. de diluvio, *inebriavit aridam*, ἐμέθυσε. Quicquid penitus imbutum est, dicitur ebrium; ut gladius *latrociniis ebrius* Tertulliano, & *sanguine* inebriari sæpe apud Prophetas & sagittas *inebriare*, חשכיר, μεθύειν, Deut. 32. 42. Nempe vinum & sanguis terræ: αἷμα σταφυλῆς Æschylo, & 1. Maccab. 6. Sic & vestis bis tincta fuco & ostro dicitur *ebria Sidoniæ sanguine concha*, Martiali & Sidonio. Arbiter,

Vilis adulator picto jacet ebrius ostro;

quasi dicat, *Ipse veste illa magis tinctus, magis ebrius. Sobria* verò lana dicebatur, quæ coloris erat ἀμεθύσε, seu violacei. Plinius, *Causam nominis Amethysti afferant, quòd usque ad vini colorem accedens, prinsquam eum degustet, in violam desinit. Bonam* commemorat ebrietatem Bernardus, *sobriam* Augustinus, *sanctam* Plato. Bernardus, *Est aliquod bonum, Inebriamini.* Augustinus Confess. 5 13. de Ambrosio; *Cujus eloquia strenuè ministrabant adipem frumenti, & lætitiam olei, & sobriam vini ebrietatem populo tuo.* Plato συμπόσιον τῶν ὁσίων describit ex Musæo, in quo justos coronatos ait ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας· & addit ex eodem & Orpheo, κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν μέθην αἰώνιον, De Republ. lib. 11. Philo, alter Plato; Τρόπον τινὰ μεθύουσιν οἱ νήφοντες, τὰ ἀγαθὰ ἄθροα ἐγκρατισάμενοι, καὶ τὰς προπόσεις παρὰ τελείας ἀρετῆς δεξάμενοι οἱ δὲ τῷ ἀπὸ οἴνου μεθύοντες μέθην, ἄγευστοι φρονήσεως διετέλεσαν, νηστείαν συνεχῆ καὶ λιμὸν αὐτῆς ἄγοντες. Vix aliter Photius de Paulo, cùm optavit esse pro fratribus anathema, exclamat, ὦ γνώμης ἄκρατον τῷ ἐξ αἵματος πρόνοιαν μεθυούσης. Dicitur enim de quovis affectu, cùm effervescit, μεθύειν τῷ πάθει, ut loquuntur Chrysostomus & Basilius Seleuciæ. Clemens Alexandrinus. 1. Strom. de Isaaco, Σοφίας ἀκράτου πόσεως εἰσιέναι καὶ διετήρει μεθύων τὴν μετ' ὀρθότητος λόγου νήφουσαν μέθην.

℣. 15. Καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης, *Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.*] In via pacis pro calceis Evangelium pacis. Cujus pacis? cum Deo: nam in hoc bello cum tali hoste qualem suprà descripsit ℣. 12. nulla unquam pax. At cur *pedes præparari* dicuntur magis quàm caput aut pectus? Pedes sunt quædam quasi columnæ corporis, calcei basis & fundamentum, hoc est ἑτοιμασία. Nam Hebræis כון *præparare* juxtà & *fundare* significat. Ità Prov. 8. 27. *Quando præparabat cœlos;* statim subjicitur ἐξηγητικῶς, ut in

ut in libris Propheticis, ac potissimùm Poëticis fieri solet, *quando æthera firmabat sursum:* & Psal. 24. 2. de terra. *Super maria fundavit eam & super flumina præparavit eam;* ubi pariter posterius hemistichium interpretatur prius. Hinc lux fortè aliqua Matth. 25. 34. *regnum præparatum*, id est, *fundatum*, ante jacta mundi fundamenta. Quod rectè conveniet in decretum Dei: nam Hebræi יסד *fundare* dicunt de consilio.

NOTÆ
IN EPISTOLAM AD
PHILIPP.

CAPUT PRIMUM, ℣. 21.

Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος, *Mihi enim vivere Christus, & mori lucrum.*] Melior & antiquior distinctio, juxta quam vertas, *Vita mihi Christus, & mori lucrum.* Non est vivere, sed vivere Christo, vita: nec longiorem in vivis moram lucro appono, sed ipsum mori. Veteres omnes ità distinguunt, excepto Theodoreto. Menander lectus Paulo τὸ ζῆν pro *vita* posuit;

Πολλῶν γὰρ μεστόν ἐστι τὸ ζῆν φροντίδων.

Nec modò pro vita, sed pro vita beata:

——— τοῖς γὰρ μόνοις ἐκεῖ
Ζῆν ἐστι· τοῖς δ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.

Contrà Mecœnas,

Vita dum superest, benè est.

Lucianus, Οὐδενὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος· quasi contra Paulum scripsisset. Socrates Apologiâ, Si mors mox perpetua sit, veluti somnus absque insomnio, nullusque supersit sensus θαυμάσιον κέρδος ἂν εἴη, inquit, ὁ θάνατος. Et paulò pòst, Εἰ οὖν τοιοῦτον ὁ θάνατός ἐστι, κέρδος ἔγωγε λέγω. Idem in Phæd. dixit, Ἕρμαιον ἂν ἦν κακοῖς ἀποθανοῦσι. Himerius Sophista, Polemarchico nondum edito, cujus usuram debemus optimo & eruditionis exactissimæ Pricæo, Πλεῖον τοῖς ζῶσιν ἢ τοῖς τελευτήσασι προξενεῖ κέρδος τὰ δρώμενα. Apud Euripidem Iphigeniâ.

——— Μαίνεται δ' ὃς εὔχεται
Θανεῖν· κακῶς ζῆν κρεῖσσον ἢ θανεῖν καλῶς.

Ejusdem versus ille est,

Bene moritur, qui dum moritur, lucrum facit.

Ob quem & similes aliquot, populus actorem cum fabula exegisset, nisi Euripides autor enixè petijsset ut exspectaretur exitus fabulæ. Vide Senecæ Ep. 11. 6. Qui versus intereà in sensum optimum ex mente Pauli traduci potest.

Epist. ad PHILIPP. Cap. II. ℣. 6.

ΟΥΧ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, *Non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo.*] Plausibilis interpretatio, *non tropæum duxit*; sed, aut ego vehementer fallor, quæ se magis Francis, quàm Græcè doctis auribus probet. Respicit, opinione meâ, veterum Apotheoses, in quibus rapi dicebantur ex solio in cœlum Cæsares, & inter Deos referri. Verè poterat Christus, in forma Dei cùm esset, nec tantùm in forma Regia, se terris ostendere, ac postmodum in cœlum raptu quodam subvolare, ac divinos honores consequi. Maluit ex forma servili, non imperatoria, & ex Cruce, non ex Throno, in cœlum scandere, ac Divinum nomen adipisci, ut exemplum profundissimæ humilitatis ederet. Non ità raptus est Paulus, sed vivus & raptu temporario, unde tentatio ad superbiam. Christus per mortem Crucis, & quasi gradatim, evectus, ut post illam ταπείνωσιν ad dextram Patris æternùm sedeat. Plutarchus, Romulo sub finem; Σέβεσθαι Ῥωμύλον ὡς ἀνηρπασμένον εἰς Θεούς. Lucanus de eodem,

——*& rapti secreta Quirini.*

Ovidius de alio,

Interea hanc animam caso de corpore raptam
Fac jubar.

De aquila quâ rapi & subvehi credebantur animæ Cæsarum, quos ideò *rivales Deorum* falsè Satyricus dixit, visendus Herodianus lib. 4. Hinc illæ quadrigæ, hinc brachium cœlitus exsertum, quibus anima Constantini Magni rapitur in cœlum, eo in numismate quo signatur ejus Apotheosis, Ethnicorum rituum λείψανον. Qualia fuere multa, ut Iani templum etiam sub Christianis Imperatoribus clusum. Sed de his alibi.

℣, 11. Καὶ πᾶσα γλῶσσα, *Et omnis lingua.*] Non tantùm Spiritus cujusvis ordinis, sed etiam homines cujusvis linguæ. Vt Magistri scriverunt fas non esse Sacerdoti benedicere populum nisi linguâ sanctâ; ità dogma Talmudicum fuit, Angelos *ministerij*, quos nomine τῶν ἐπιγείων complexus est Apostolus, non sese immiscere precibus, nisi Hebræâ linguâ conceptis habetur in Talm. tract. de Benedict. cap. 11. Nunc, ut omnes Angeli sunt ministratores, Heb. 1. ult. ità omnibus se precibus pariter immiscent: nec tantùm illa sanctior, sed quævis lingua confitetur Iesum esse Dominum. Nec ignoro inter Rabbi Levi & Iose ortum certamen, cùm ille nollet Cæsareenses Græcè legere; hic satius esse diceret Græcè legere quàm omnino non legere. Sed hæc intelligenda sunt

de quibuſdam tantùm partibus Liturgiæ, inter quas Benedictio menſæ, teſtium juramenta, ſed & Preces. Quas magis probabant celebrari etiam linguâ exoticâ, quàm omnino non celebrari: ſed hoc interea privilegium erat linguæ Sanctæ, quòd hâc tantùm linguâ conceptis precibus Angeli ſeſe immiſcerent.

Epiſt. ad PHILIPP. Cap. III. ✝. 2.

Βλέπετε τὴν κατατομήν, *Videte circumciſionem.*] Quia περιτομὴ nomen in veneratione Iudæis fuit, κατατομὴν dixit, non περιτομήν, Paulus, odioſo vocabulo. Vix aliter Diogenes Platonis διατριβὴν κατατριβὴν per deridiculum dicebat, auctore Laërtio. Porrò κατατέμνεσθαι propriè dicebantur Matris deorum Sacerdotes. Nonnus Synagogâ hiſtoriarum de Rhea; *Ταύτῃ οὖν τὰς τελετὰς ποιοῦντες οἱ Φρύγες, κατέτεμνον ἑαυτοὺς μαχαίραις, οὐκ ἀποκλεῖναι ἐθέλοντες, ἀλλὰ μόνον αἱμάξαι.* Huc reſpexiſſe Paulum minùs mirabitur qui notârit hæc ejus verba ſcribentis ad Galatas, quorum in partibus etiam Galli fuere, ὄφελον καὶ ἀποκόψονται. Liberrima vox. Hieronymus, *Vtinam non ſolùm circumcidantur,* ſed *abſcindantur: ſi enim exſpoliatio membri ſufficit, multò magis abolitio.* Nec aliter Chryſoſtomus, Vtinam pars illa, cujus circumciſionem tanto opere urgent, non ſolùm *præputietur iis,* ſed etiam *amputetur.* ut Gallis, Alioqui περιτομὴν certum eſt vocem non ignotam etiam Gentilibus fuiſſe, ut Scythæ Rege mortuo βραχίονα περιτέμνονται apud Herodotum: & apud Sanchoniathonem Saturnus τὰ αἰδοῖα περιτέμνεται. Sed illa Phrygum propriæ carnis inciſio & ſectio ſtolida, κατατομὴ dicebatur. Levit. 19. 28. & 21. 5. reddidere LXX. ἐπὶ τὰς σάρκας αὐτῶν οὐ κατατεμοῦσιν ἐντομίδας. Eſt & Muſica vox, nec raro apud Ptolemæum ἐν τοῖς Ἁρμονικοῖς occurrit ἡ δὶς διὰ πασῶν κατατομή. Gloſſarium, Κατατομὴ, *conciſio.* Rectè, nè pereat lepos paronomaſiæ: alioqui *lanienam, charcuterie,* non malè dixeris. Vide Suidam voce Ἐγκράτεια.

✝. 3. Ἡμεῖς γὰρ ἐσμεν ἡ περιτομή, *Nos enim ſumus circumciſio.*] Quod κατατομὴν in morem paronomaſiæ opponit τῇ περιτομῇ, non eſt frigidum exiſtimandum. Nam & alibi ſermonem ſuum condivit hoc ſale gratiæ, ut Rom. 1. 31. ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, & 2. Cor. 4. 8. ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι, & ad Hebr. 5. 8. ἔμαθεν ἐξ ὧν ἔπαθε· ſic Actor. 8. 30. Ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις, Scimus hoc Schema quidem haberi vulgò parùm dignum gravi Scriptore. Plato tamen, ut alios nunc omittam, eo uſus eſt alibi, & X. de Rep. Ἀλλ' οὐ μέντοι σοι Ἀλκίνου γε ἀπόλογον ἐρῶ, ἀλλ' ἀλκίμου μὲν ἀνδρὸς, Ἠρὸς τοῦ Ἀρμενίου· quod cùm in eo inter alia reprehenderetur, ſic ejus defenſionem inſtituit Proclus, Commentario inedito ad Platonis X. de Rep. Τοῦ δὲ Κλώτου ψεγομένου κατὰ τὴν λέξιν οὕτως, καὶ ἐπικαλοῦντος τῇ εἰσβολῇ τοῦ διηγήματος, ὡς μειρακιώδει, διὰ τὸ Ἀλκίνου τε καὶ Ἀλκίμου παράλληλα κείμενα ὀνόματα, καλῶς μὲν καὶ ὁ Πορφύριος αὐτὸν ἀπεῤῥάπισεν ὡς ἄγευστον λόγου γραφικῆς καὶ στροφικῆς χάριτος, καὶ Μούσης Ἀττικῆς. Plutarchus

de Platone dixit eum πεζαπαίζειν τοῖς ὀνόμασι. qui tamen Plato *Philosophorum Deus* dicitur à Tullio, & *Deus ille noster*; ejusque *sermone Iovem, si loqueretur, usurum*. à Bruto scriptum est.

℣. 19. Ὧν θεὸς ἡ κοιλία, *Quorum Deus venter.*] *Abdominis voluptates*, ut Cicero loquitur in Pisonem; & Plutarchus Περὶ Τύχης, de Lasthene & Euthycrate, Τῇ γαστρὶ μετρῶντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν. Alexis Ἀσωτοδιδασκάλῳ nequitiæ Magistro,

——Γαστὴρ οὐδὲν ἥδιον
Αὕτη πατήρ σοι, καὶ πάλιν μήτηρ μόνη.

Hieronymus in Amos cap. 4. *Vnusquisque adorans vitia sua atque peccata, Deum habere cupit à quo victus est, docente Petro Apostolo*: A quo *enim* quis superatur, hujus & servus est. *Avarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem & Beelphegor colit: lasciva mulier, cùm in deliciis mortua est, adorat mortuas voluptates.* Idem, *Venter cibis plenus citò despumat in libidinem.* Cicero iterum pro Cœlio, *Nulla conviviorum & lustrorum libido; quod quidem vitium ventris & gutturis non minuit ætas hominibus, sed etiam auget.* Vide Nazianzenum Carminum Iambicorum paginâ 191. extremâ.

NOTÆ
IN EPISTOLAM AD
COLOSS.
CAPVT SECVNDVM. ℣. 3.

ἘΝ ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ, &c. ἀπόκρυφοι, *In quo sunt omnes thesauri*, &c. *absconditi.*] Thesauri absconditi vel in terram defossi, Luc. 19. 20. ut occultæ Musicæ, respectus nullus. Siracides 20. 32. Σοφία κεκρυμμένη καὶ θησαυρὸς ἀφανὴς, τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; Ptolomæus Philadelphus apud Epiphanium, Iudæis Biblia Hebraïco charactere scripta offerentibus, Θησαυρὸς κεκρυμμένος καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης, τίς ὠφέλεια ἐν ἀμφοτέροις; Non igitur facilè mihi persuaserim à Paulo dici absconditos in Christo thesauros sapientiæ: dixisset enim ἀποκεκρυμμένοι εἰσί. Iam verò dixit, Ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας οἱ ἀπόκρυφοι· nam ità supplendus est articulus; ut alibi non rarò; *In quo* (Christo) sunt jam exprompti & expositi palàm & apertè revelati *thesauri sapientiæ absconditi* olim

ſub Lege veteri. Patent jam exhibiti, qui latebant hactenus quaſi prohibiti. Totâ hâc Epiſtolâ docet Apoſtolus, jam nudata & in lucem producta eſſe per Chriſtum, & ipſis νηπίοις notificata, quę ſeculi ſapientibus abſcondita fuerunt. Noviſſimè dixerat, Πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ. Quid, quæſo, ſunt illæ *divitiæ in cognitionem myſterij Dei*, niſi *theſauri intelligentiæ*, nunc revelati, ſed olim *abſconditi*, de quibus continenter. Poſtmodum dicet *habitare* in Chriſto *plenitudinem omnem Deitatis* σωματικῶς, hoc eſt, non in umbra, quaſi nube abſconditam, ſed aſpectabili jam in carne, ac in re ipſa, & imagine vivâ quaſi tractabilem. Commodiùs igitur abſque ullius trajectionis moleſtia vox ἀπόκρυφοι interpretabitur ὡς κεῖται, & eam retinebit ſedem in qua collocata eſt; ut ſenſus hîc exſiſtat, *In Chriſto ſunt* & habitant in plenitudine ſumma *theſauri omnes intelligentiæ abſconditi* ſub Lege retrò ſeculis, qui propterea dicuntur μυστήριον, *res abſcondita*. Nec procul petenda eſt huic rei (probatio dicam? an) demonſtratio. Capite pręcedenti ℣. 26. 27. Τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον *abſconditum*, quando? ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν. Sed hæc olim fuere: νυνὶ δὲ ἐφανερώθη τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ. Quid clarius? non igitur abſconditum in Chriſto. Pergamus; Οἷς ἠθέλησεν ὁ Θεὸς γνωρίσαι τίς ὁ πλοῦτος τῆς δόξης τοῦ μυστηρίου τούτου ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅ ἐστι Χριστός. *Notificata ſunt* igitur *inter Gentes*, non abſconditæ, *divitiæ gloriæ*, hoc eſt, theſauri ſapientiæ & intelligentiæ hujus *myſterij*, tanquam theſauri abſconditi, ſed extra Chriſtum & ante Chriſtum, inter Iudæos. Myſterium enim illud Chriſtus ipſe eſt, non jam abſconditus poſt Epiphaniam ſuam, ſed φανερωθείς. Omnia igitur undique ſuadent ut itâ reddere fugiamus, *in quo abſconditi ſunt*. Eſa. 45. 3. habes theſauros מסתרים *abſconſionum*: atque hinc facta eſt vox *Myſterium*; Hebræo enim fonte cadit: unde & cadere *Saturni* nomen creditur, quia latuit in Latio. Rectè Chryſoſtomus, Τῷ μὲν οὖν Θησαυροὺς εἰπεῖν, τὸ πολὺ δείκνυσι· τῷ δὲ Πάντας, τὸ μηδὲν ἀγνοεῖν· τῷ δὲ Ἀπόκρυφοι, τὸ μόνον εἰδέναι· addo, καὶ μόνον φανερῶσαι καὶ ἐξηγῆσαι, ex Ioan. 1. 18.

℣. 18. Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ, καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum.*] Latet in hac voce καταβραβευέτω, opinor, acumen eximium haud ſatis animadverſum. Quid ſignificet non diſputo nunc quidem: tantùm contendo non abs re Paulum ſolum inter Scriptores ſacros eâ uſum ſemel aut iterum, ſed non alibi quàm in hac Epiſtola: βραβευέτω (de pace Dei, ut Plutarchus de Cæſare, Οὐ χεῖρον ἐβράβευε τὰ τῆς εἰρήνης) & καταβραβευέτω. Quæ poſterior vox adeò viſa eſt inſolens nec Græcè indocto, necnon emunctæ naris Hieronymo, ut ad Ciliciſmum confugerit. Quod ut non diſplicet, itâ quærenda ratio eſt, cur hanc patrij vocem idiomatis non alibi Paulus quàm ad Coloſſenſes uſurpârit, maximè cùm eundem quem hîc ſenſum non rarò alijs verbis expreſſerit. Cur non dixit Rom. 2. 1.

Ἐν ᾧ γὰρ βραβεύεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν καταβραβεύεις· τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ βραβεύων; ſed κρίνεις, κατακρίνεις, ὁ κρίνων· tamen βραβευτὴς eſt κριτὴς, & καταβραβεύεσθαι (nam ſic legendum) κατακρίνεσθαι, Heſychio. Nec quicquam impediebat quò minùs diceret, Σὺ δὲ τί καταβραβεύεις τὸν ἀδελφόν σου; ubi dixit; Σὺ δὲ τί κρίνεις; aut cùm dixit, Οἱ ἅγιοι τὸν κόσμον κρινοῦσι, quin diceret, βραβεύσουσι. Petrus pariter, ubi dixit τὸν ἀπροσωπολήπτως κρίνοντα, dicere potuit βραβεύοντα· & μηδ' ὡς καταβραβεύοντες, ubi dixit μηδ' ὡς κατακυριεύοντες. At non erant hæ voces admodum uſitatæ, præſertim in Eccleſia; nec ijs Paulus hîc uſus eſſet, niſi propter egregiam commoditatem. Nimirum præter notionem *Iudicandi*, ſubeſt ijs altera notio *Intercedendi*, quæ mirè facit ad ejus inſtitutum. Notat enim eos qui docebant Angelos eſſe βραβευτὰς *interceſſores* inter Deum & homines, juxta dogma Platonis. Gloſſarium, Βραβεύω, *intercedo*. Heſychius, Βραβευέτω, μεσιτευέτω· βραβεύει, μεσιτεύει. Idem, Βραβευτὴς, διαιτητής. Paulus autem, καταβραβεύειν dixit, ut alibi κατατομὴν, per deſpectum: aliud enim eſt παραβραβεύειν, & cave confundas; quod nimis multi faciunt. Adeò autem altè radices egerat hic error, ut nè poſt terna quidem ſecula potuerit avelli. Contra eum enim conditus eſt Canon 35. Concilij Laodiceæ, quæ Metropolis Phrygiæ, ubi & Coloſſi. Damnat ille Canon *Angelicos*: ità enim dicebantur. *Angelici*, inquit Auguſtinus Hæreſ. 39. *in Angelorum cultu inclinati*. Brabeutici quoque dici poterant. Non enim aliter Angelos colebant quàm ut βραβευτὰς, *divinas medias poteſtates*, ut habes apud Apuleium, *inter mortales cœlicolaſque vectores hinc precum, indè donorum*. Quod ex *philoſophia deceptrice*, de qua ſuperiùs, traxerant: ſed & ex Legis admiratione, docente Theodoreto ad hunc locum, Legis defenſores ad cultum Angelorum eos induxiſſe, quòd per eos Lex data eſt, veluti mediatores. Hanc exiſtimo fuiſſe Paulo rationem cur non dixerit κατακρινάτω, ſed inſolentiùs καταβραβευέτω· neque verò κρινάτω, vel ἡγείσθω, ſed βραβευέτω, quaſi μεσιτευέτω, ſit vobis pro mediatoribus & Angelis omnibus Dei pax; ut iſtos, ità ut loquar *interceſſorios* obiter tangeret. Vix aliter dicunt Magiſtri Iudæorum, bona opera & reſipiſcentiam eſſe *hominum Paracletos*, hoc eſt, interceſſores & βραβευτὰς, ut diximus ad Ioan. 16. 7.

℣. 18 Ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων εἰκῆ, *Quæ non vidit ambulans fruſtrà.*] Legi poſſet κενεμβατεύων, ſi fas eſſet in his libris uti conjecturâ: nam ſæpè contingit, cùm vox præcedens in eandem ſyllabam exit à qua ſequens incipit, ut altera excidat. Sed meliùs dicam ἐμβατεύειν Paulo poſitum pro κενεμβατεύειν. Voce Platonicâ utitur contra eos qui Platonicis circa Angelos opinionibus indulgebant, quos hîc tangit Damaſcius, ex ea familia Philoſophus admirandæ ſubtilitatis nunquam editus, libro qui inſcribitur Ἀπορίαι καὶ λύσεις περὶ τῶν πρώτων ἀρχῶν, ità loqui ſolet· Μήποτε γὰρ κενεμβατοῦμεν εἰς αὐτὸ τὸ οὐδὲν ἀνατεινόμενοι. Et alibi, εἴ τι τιμιώτερον

αὐ εἴη τὸ πάσας ἐκπεφευγὸς τὰς ἡμετέρας ὑπονοίας. οὐδὲ τοῦτο οὐδέν ἐστιν. ἔσω διττὸν τὸ οὐδέν· τὸ μὲν κρεῖττον τοῦ ἑνός, τὸ δὲ ἐπὶ τάδε. εἰ δὲ κενεμβατοῦμεν ταῦτα λέγοντες, διττὸν καὶ τὸ κενεμβατεῖν. τὸ μὲν ἐμπίπτειν εἰς τὸ ἄρρητον, τὸ δὲ εἰς τὸ μηδαμῇ μηδαμῶς ὑπάρχον. Idem curam vanam dicit, ἄβατον, Ἄβατος γὰρ καὶ ἀμήχανος τοιάδε φροντίς· & κενότητα, de nihilo; Περιτρέπει καὶ κινδυνεύουσιν ἐκπεσεῖν εἰς τὸν τῆς ἀνομοιότητος πόντον, μᾶλλον δὲ τῆς ἐνυποστάτου (lego ἀνυποστάτου) κενότητος. Est igitur Damascij κενεμβατεῖν idem quod Pauli ἐμβατεύων εἰκῇ· nam sic hunc locum, contrà quàm solet, interpungendum puto. Nec tantùm de ijs dicitur qui cœlorum arcana, subducta oculis, animo percurrere satagunt, &, quod eleganter ait Statius,

—— *Cœlo montem insertare vetanti;*

sed etiam de ijs qui relicto cœlo illabuntur terris. Themistius, Θεῖαι δυνάμεις ἐπ' ἀγαθῷ τῶν ἀνθρώπων ἐμβατεύουσι, τὴν γῆν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατιοῦσαι, Orat. 9. Quod in memoriam mihi revocat illud Luciani Icaromenippo, Αἰσώπειος καὶ καμήλοις βάσιμον ἀποφαίνων τὸν οὐρανόν. Idem quod hîc Paulus propemodùm dixit, qui dixit olim,

Cœlum ipsum petimus stultitiâ.

Epist. ad COLOSS. *Cap. III.* ℣. 2.

Βάρβαρος, Σκύθης, *Barbarus, Scytha.*] Minimè necesse est, aut dignum liberrimo Pauli spiritu, ità librare antitheta, ut hæc duo non minùs inter se opponantur, quàm illa bina quæ præcessere paria & illud quod sequitur: nam ità 1. Cor. 3. 22. *Sive Paulus sive Apollos, sive Cephas, sive mundus, sive vita sive mors, sive præterita sive futura;* ubi *mundus* nihil habet cui opponatur. Vide & Rom. 8. ult. Attamen ὁ πάνυ sub finem Olsilegij non minùs hîc putavit opponendum *Scytham Barbaro* quàm Iudæum Græco, circumcisionem præputio, liberum servo: nec dubitavit per vocem Σκύθης intelligere homines minimè barbaros; cùm alij ex adverso doceant crescere orationem hoc loco, & intelligi oportere barbarissimos. At ille duos produxit Autores firmandæ sententiæ planè novæ, Iustinum & Herodotum. Ac Iustinus quidem l. 2. quod vix Græcis longam Sapientum doctrinam, hoc Scythis ait Naturam dedisse, *cultosque Græcorum mores inculta barbariæ Scytharum collatione superari.* Nempe sic hodie dicimus Turcas esse probiores plerisque Christianorum, & in eroganda eleemosyna promptiores. Nemo tamen propterea Turcam simpliciter positum significare dixerit mitem hominem ac misericordem. Adde quòd ipsa Iustini aut Pompeij verba huic adversantur sententiæ; nam *incultam barbariem Scytharum* profitentur. Non igitur ex ijs probari potest Scytham opponi Barbaro. Herodotus autem lib. 4. in Ponto Euxino ait, ἐντὸς Πόντου, (quod *circa Pontum* verti non debuit) nihil proferri posse σοφίης πέρι, ὅτι ἄνδρα λόγιον οἴδαμεν γενόμενον παρὲξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος καὶ Ἀναχάρσιος. Hîc malè pro

eodem σοφίαν & λογιότητα reddidit vir ævo ſuo Græcarum literarum facilè doctiſſimus: quam enim σοφίαν hîc intellexerit Herodotus ipſe aperit, cùm induſtriam & callidum repertum commemorat, quod unicè admiratur in Scythis; τὰ μέν τοι ἄλλα οὐκ ἄγαμαι, inquit. At hoc maximum ab ab ijs repertum eſt, ut nemo eorum qui in ipſos incidunt, poſſit effugere; nemo ipſos, ſi nolint inveniri, deprehendere, cùm nec urbes habeant, nec mœnia, φερέοικοι ἐόντες. En ſapientiam Scytharum, & cultos mores Nomadum! Quod & ſubindè terræ uliginoſæ opportunitati ac beneficio fluminum attribuit; ut cùm eorum ob illud unum σοφίαν & induſtriam in tantum extulit, parùm ſeriò locutus eſſe videatur. *Quidni planè invicta eſſet & invia*, inquit, *omnibus gens illa dom porta, quæ non ex aratro vivit, ſed ex jumentis, & ex equo jaculatur, & pro domibus habet plauſtra?* Seriò autem in primis quæ de Anacharſi ſubjecit. Herodoto Galenum demus interpretem. Hic alicubi nullos queritur à Scythia unquam Philoſophos præter Anacharſin, innumerabiles à Græcia fluxiſſe. Verba ejuſdem notanda ſunt. Ad Artes Protreptico: Ὁρᾷς ὡς οὐδὲν κωλύει τὸν Σκύθην Ἀνάχαρσιν καὶ θαυμάζεσθαι καὶ σοφὸν ὀνομάζεσθαι, καίτοι βάρβαρον ὄντα τὸ γένος, ὅς ποτε πρός τινα ὀνειδίζοντα ὅτι βάρβαρος εἴη καὶ Σκύθης, Ἐμοὶ μὲν ἡ πατρὶς ὄνειδος, σὺ δὲ τῇ πατρίδι. Quod idem exprobratum Demoſtheni legimus apud Dinarchum Orat. de Harpalicis pecunijs, ut quoniam matre Scythâ prognatus eſſet, vocaretur *impurus Scytha*. Apuleius, *Apud ſocordiſſimos Scythas Anacharſis ſapiens natus eſt, apud Athenienſes catos Melitides fatuus*, apud Photium, Οἱ Ἕλληνες ἀεὶ ἀμείνους τὰ ἤθη τῶν βαρβάρων. additâ causâ, ὡς τὴν εὔκρατον οἰκοῦντες· at Scythæ & Æthiopes contrarijs ex cauſis τὸ δύσκρατον ἐκληρώσαντο, ut ſi quæ ſit apud eos diſciplina ſit ἐπίσακτος, non, ut Athenis, ἐκ φύσεως ὑπάρχουσα. *In qua unquam Scythia*, exclamat Tullius, *tam atrox facinus auditum eſt?* Themiſtius ex Platone cupiditates ait βάρβαρον φῦλον, ἀντικαθήμενα γένη τῷ λογισμῷ, καθάπερ Ῥωμαίοις Σκύθαι καὶ Γερμανοί. De quibus Germanis Tacitus, *Plus valent apud eos boni mores quàm alibi bonæ leges*: tunc autem ita barbaros fuiſſe Germanos ut vix à beſtijs differrent, ipſi confitentur. Laudantur tamen interdum ob innocentiam, ut Scythæ; nunquam ob acumen aut cultum ingenij: quanquam neſcio quomodo Scythæ ab innocentia commendari potuerint, qui mortuos (inter alia) parentes, Luciano teſte, vorabant, ex Lege quam commemorat Origenes contra Celſum 5. Porrò ſtoliditas Scytharum velut in Proverbium abierat. Lucianus, Περὶ τῆς Ἀπορράδος, Ὅς αὐτὸς μὲν Σκυθῶν καθαρώτερος γένοιο, κομιδῇ ἀπαίδευτος ὤν, καὶ τὰ κοινὰ ταῦτα καὶ τὰ ἐν ποσὶν ἀγνοῶν. Apud eundem Solon de Anacharſi, Βάρβαρος μὲν, σοφὸς δέ. Quòd ſi quis pertendet oppoſitionem admitti debere inter *barbarum & Scytham*, ut inter membra reliqua, per *barbarum Iudæos*, per *Scytham Gentes* poteſt intelligere: ut Iudæus, circumciſio, barbarus,

barbarus, ἐν παραλλήλῳ opponantur Græco, præputio, & Scythæ. Nam Scythæ quia numerosissima gens fuerunt, ex omnibus ferè collecta gentibus, rectè in eos & Iudæos potest universus mundus dividi, non secùs ac in circumcisionem & prępurium. Iudæos autem barbaros dici solitos notius est ex Origene, Clemente Alexandrino atque alijs, quàm ut demonstrari deberet; ut cùm dogma Christianum apud eos legimus à Barbaris duxisse ortum, hoc est, Iudæis de Scythis sufficiet locus Gen, 14.9. הדעל מלך גוים, *Thagdal Regem Gentium*, sic redditus à Symmacho, Θαδγὰλ βασιλέα Σκυθῶν.

✠. 11. Δοῦλος, ἐλεύθερος, *Servus, liber.*] Hoc quoque adumbratum apud Ethnicos invenias, quibus persuasum videtur, servi & liberi nullum esse discrimen apud Deum: itaque coronati servi pariter cum ingenuis supplicabant. Scholiastes Aristophanis ad Plutum, Ἡ στεφανηφορία τοῖς εἰς θεὸν ἅπασι δούλοις τε καὶ ἐλευθέροις ἰσοτίμως ἐδίδοτο· οὐδὲν πλεονέκτημα τεκμήριον ἐλευθέροις δωρουμένη, οὐδὲ μὴν δούλοις ὀνειδίζουσα τὸ τῆς τύχης ὑποδεές. Nam quod attinet ad sexum, ***nec mas, nec fœmina***, satis liquet adjecisse Paulum, quoniam apud Iudæos soli mares erant hæredes: non ità in hæreditate Dei in Christo.

NOTÆ
AD PRIOREM AD
TIMOTHEVM.

CAPVT TERTIVM, ✠. 15.

Στύλος καὶ ἑδραίωμα, ***Columna & firmamentum.***] Tres interpretationes hujus loci reddam eo quo se mihi approbant ordine: nam primam potissimam, secundam verò probabiliorem tertia existimo. Areopagita qui dicitur, Αὐτός ἐστιν ὁ τῶν πάντων στάσεως καὶ ἕδρας αἴτιος, ὁ ὑπὲρ πᾶσαν ἕδραν καὶ στάσιν. Columna, stare Veritatem; ἑδραίωμα, sedere significat. Sed sive stet, ut pugnet ac sese tueatur; sive sedeat, ut judicet ac regnet, non alibi stat, nec alibi sedet quàm in Ecclesia. Postquam igitur Paulus Ecclesiam domum Dei viventis vocavit ad Templum Salomonis respiciens; στύλον καὶ ἑδραίωμα vocat eandem ad columnam respiciens, quæ in Templo illo sedes fuit regia sive thronus 2. Reg. 23. 3. & 11. 14. ויעמד המלך על העמוד, *Et stabat Rex*

ſuper columna ſua. LXX. ἐπὶ τοῦ στύλου. De Rege novo agitur, cui ſua non erat aliter hæc columna, quàm quia Regibus deſtinata ſedes Quam columnam ſunt harum rerum ſcientiſſimi, qui ſellam fuiſſe dicant in qua ſedebant Principes. Vide 2. Chron. 6. 13. ubi Salomon feciſſe dicitur *baſin æneam* ἑδραίωμα, in formam tabernaculi; ſi Ioſepho fides, ibique dicitur ſtetiſſe Rex in ea, & genua flexiſſe, quia precaturus erat: ſed cùm lecturus erat, ſtabat in ea primum, ſubindè ſedebat; nec legebat niſi ſedens: ומלך עומד ומקבל וקורא יושב, *Et Rex ſtabat, & accipiebat librum, & legebat ſedens*, inquiunt Magiſtri. Quod non ſemel in Talmude reperias, ubi de primo die feſti Tabernaculorum, quod Amſtelodami Palmas & citrea mala pulcrè vittata geſtantes, dum hæc ſcribo, celebrant. Suggeſtus igitur ille idem columna, idem ἑδραίωμα fuit; cui reſpondet Eccleſia, & columen quo maximè nititur, & quidam veluti thronus in quo ſedet cœleſtis Regina Veritas, oracula novę Legis populis annuncians.

Atque haud ſcio an non huc reſpexerit Chryſoſtomus, cùm ait: Στῦλος οὐχ ὡς ἐκεῖνος ὁ Ἰουδαϊκός. Certè Theophylactus & Oecumenius ad Templum retulere, non autem ad columnam nubis. Veritas autem hîc opponitur typis, ut ſciat Timotheus qualis ſanctimonia deceat hanc domum Dei, non jam legalis & umbratica, ſed vera & realis. Hęc prima interpretatio per alluſionem ad columnam illam regiam, cui Rex innitebatur. Sic veritas qua lex regia innititur, in Eccleſia ſua. Succedat altera, quę ad Timotheum refert, & quę Nyſſeno haud malè tribuitur, lib. de vita Moſis, *Non Petrus*, inquit, *& Iacobus & Ioannes tantum ſunt eccleſiæ columnæ*, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι; *ſed omnes qui Eccleſiam ſuſtentant:* πάντες οἱ δι᾽ ἑαυτῶν τὴν ἐκκλησίαν ἐρείδοντες, &c. Timotheum verò idem Deus tanquam pulchram columnam fabrefecit: τὸν γὰρ Τιμόθεον καλὸν στῦλον ἐτεκτήνατο ποιήσας αὐτὸν (καθώς φησι τῇ ἰδίᾳ φωνῇ) στῦλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἐκκλησίας ἀληθείας; quod reddere liceat: Fecit ipſum (ſicut voce propria dixit) columnam & fulcrum veritatis, quæ ſonat in Eccleſia, tanquam in templo, ac Dei domo: Nempe ut in Apocalypſi: *Qui vicerit, faciam eum columnam in Templo Dei.* Certè nihil eſt magis obvium apud omnium gentium Scriptores, quàm ut columnæ regni, atque columna Reip. dicantur illuſtres viri. Nec aliter in illo,

——— *mearum*
Grande decus, columenque rerum.

Maimonides mundi columnam Abrahamum vocat. Patres modò Paulum, modò Petrum & Paulum, modò Petrum, Iacobum, Ioannem & Barnabam, modò alij alios, & ſe ſe invicem hoc elogio cohoneſtarunt: οἱ στῦλοι τῆς Ἐκκλησίας. Diſertiſſimè Baſilius de obitu Maſonij: *Obiit*, inquit: ὁ φθινόπωρον πατρίδος, ἐκκλησιῶν κόσμος, στῦλος, καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Epiſcopum quem deflet, columnam & firmamentum veritatis vocat; nempe

ſicut Timotheum vocarat Paulus. At, inquies, durior eſt ſtructura verborum, ἵνα εἰδῇς πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ θεοῦ ἀναστρέφεσθαι ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Fateor: ſed mitigari poteſt, ſi ſubintelligatur ὤν. στῦλος ὢν καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. Senſus autem optimè procedit: ut ſcias quemadmodum tibi conveſcendum ſit in Eccleſia domo Dei qui ſis columna & columen veritatis in hac domo. Tertia demùm interpretatio non ad præcedentia refert; ſed ad ea quæ ſequuntur, ſic ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία θεοῦ ζῶντος. Στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον: ut myſterium Evangelij magnum dicatur columna & firmamentum veritatis plane ad mentem Chryſoſtomi, cujus hæc ſunt verba: Ἡ ἀλήθειά ἐστι τῆς Ἐκκλησίας στῦλος καὶ ἑδραίωμα; ſed & Irenæi: *Evangelium*, inquit, *in Scripturis nobis tradiderunt Apoſtoli fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum* adverſus hæreſes lib. III. cap. 1. Et iterum cap. 11. fragmento à nobis Græcè ſuperiùs edito ad titulum Evangelij: Κατέσπαρται ἡ Ἐκκλησία ἐπὶ πάσης τῆς γῆς, Στῦλος ἡ καὶ στήριγμα τῆς Ἐκκλησίας τὸ εὐαγγέλιον.

℣. 16. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον, *Et maniſeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum.*] Minora myſteria ſive Catechiſmum rudiorum, ἀρχὴν, θεμέλιον, habes Hebr. 6. 1. 2. ſex articulis contentum: Primus eſt pœnitentia. 2. fides in Deum. 3. doctrina baptiſatorum 4 impoſitio manuum. 5. reſurrectio mortuorum. 6. judicium æternum. hîc τὴν τελειότητα, ſive τὸ μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον, ſex pariter articulis comprehenſum. Primus eſt Deus maniſeſtatus in carne. 2. juſtificatus in ſpiritu 3. nutritus ab angelis. 4. prædicatus gentibus. 5. creditus in mundo. 6. ſuſceptus in gloria. Nam Timotheus inter perfectos. Et hoc & alia obſtant quò minùs alioqui plauſibilem hanc diſtinctionem amplectamur (licèt eam ſequutus videatur Irenæus, loco jam à nobis reddito, ubi dicit columnam & ſtabilimentum veritatis eſſe Evangelium.) Στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα, &c. Quippe *columnam & fundamentum Legis* aut *ſapientiæ* quidem vocant Maimonides, alijque rudimenta ſuæ Religionis, & præcipua capita quæ jam olim ſub avia Timotheus didicerat. Hic autem ut perfectus vir Dei ſpectatus & magni myſterij ἐπόπτης. Sic & Arabes peregrinationem religionis causâ eſſe dicunt ex *columnis & fundamentis* Mohammedis; hoc eſt ex præcipuis & nobiliſſimis articulis, qui doctrinæ ſublimiori veluti ſubjiciuntur. Nec eſt inſolens à particula καὶ ſermonem novum inchoari, ut inchoatur Oratio Menenij Dictatoris apud Livium, & quidam libri Antiqui Fœderis, & quædam capita Epiſtolarum ipſius Pauli. Nec novus eſt ſermo, ſed ab ijs quæ præcedunt, aptus; accedit enim ad ſacroſanctam loci religionem rei tractandæ majeſtas, quæ nulla ſine arcano: Sed hæc olim fuere ſub lege; nunc eò majus apparet hoc myſterium, quòd impunè vulgatum non vileſcit: Κοινοποιέμενον ἐν μικρο-

ποιεῖται, ut Veteres locuti. Vox ὁμολογουμένως Stoïcorum est: ὁμολογουμένως ζῆν finis summus ijs; & explicatur, καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον ζῆν. sed hîc à mysterijs Gentilium petitur. Addimus ad loca quæ jam nota sunt hæc Origenis, Rerum Philosophicarum libro jam laudato, Βιαδῆς ∴ ∵ ∴ ∵ ∴ ∵ ∴ ∵ ∴ ∵ ∴ ∵ ∴ ∵ ∴ ∴ ∵ ∴ ∵ ∴ ∴ ∵ ∴ ∵ ∴ αὐτῶν τὰ ἀπόρρητα μυστήρια, ἃ τοῖς μυουμένοις μετὰ μεγάλης ἀξιοπιστίας παραδιδόασιν οἱ πρότερον ὁμολογήσαντες.

NOTÆ

AD. POSTERIOREM AD

TIMOTHEVM.

CAPVT PRIMVM, ℣. 6.

Ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα, *Resuscitare gratiam.*] Clemens ad Cor. Ἀναζωπυρησάτω ἡ πίστις αὐτοῦ ἐν ἡμῖν. Dictionarium Ecclesiasticum, Ἀναζωπυρῆσαι (rescrib. Ἀναζωπυρῆσαι) ἀνακτίζειν. Alexander Lycopolita, ex Ethnico Manichæus, ineditus, postquam præstruxit hoc verissimum, Ἡ Χριστιανῶν φιλοσοφία ἁπλῆ καλεῖται· αὐτὴ δ' ἐπὶ τὴν τῶν ἠθῶν κατασκευὴν τὴν πλείστην ἐπιμέλειαν ποιεῖται· addit, Καὶ τῆς ἀσεβείας χαρακτὴρ ἀνίζων αὐτοῖς τοῖς ἤθεσιν, ἀναζωπυρεῖν τὸ ἐκ τῆς τοιαύτης συνηθείας συνειλημμένον ἦθος, καὶ κατ' ὀλίγον εἰς τὴν τοῦ καλοῦ αὐτοὺς ὄρεξιν ὁδηγῶν. Plato ἐκκαθαίρεται καὶ ἀναζωπυρεῖται conjunxit. Irenæus, fragmento superiùs Græcè à nobis dato; Πνέοντας τὴν ἀφθαρσίαν, καὶ ἀναζωπυροῦντας τοὺς ἀνθρώπους.

II. Epist. ad TIM. Cap. II. ℣. 19.

Ὁ κύριος ἔγνω, *Cognovit Dominus.*]Num. 16. 5 ubi Deus respondet Coræ, Datahni & Abironi, legitur quidem ἔγνω apud L X X. at in Hebræo יֹדַע *notificavit*, non יָדַע. Sic explicat Augustinus illud Dei ad Abrahamum, *Novi jam quòd amas me;* hoc est, *feci ut innotesceret.* Vide quæ notavimus ad Rom. 1. 19. Hinc bonus admodum sensus exsurgeret, si redderemus, *Notum facit Dominus qui sint sui*, cùm probat & exercet Ecclesiam ut electi manifesti fiant. Multi certè veterum & recentiorum dixisse Christum aiunt se nescire diem Iudicij, quia non revelabat. De Paulo cùm scribit Corinthijs, inter eos se nihil εἰδέναι prçter Christum crucifixum, vix dubitem quin hoc velit, se constituisse nihil *docere* aliud. Vulgò dicunt, *Il n'en veut rien sçavoir*, cùm aliquis non aperit quod rogatur.

NOTÆ
IN EPISTOLAM AD
TITVM
CAPVT PRIMVM. ℣. 12.

KΡῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, *Cretenses semper mendaces.*] De origine hujus Parœmiæ, quæ variè traditur, vide Photium Tmemate 190. ubi de Ptolemæo Hephæstione. Flagrârunt eâdem infamiâ & universa *Græcia mendax*, & gentes aliæ. Apud Hebræos Babylonij & Chaldæi locum etiam Adagio dederunt; apud Græcos Cilices, patria Pauli. Quod non timet sibi contrà exprobari: tanta fuit ei sua fiducia.

℣. 12. Κρῆτες, &c. *κακὰ θηρία, Cretenses, &c. malæ bestiæ.*] Plutarchus libello Πῶς ἄν τις ὑπ᾽ ἐχθρῶν ὠφελοῖτο, in limine, nullam ait Remp. sine affectibus inveniri, cùm inveniatur quædam regio sine belluis, *ὥσπερ ἱστοροῦσι τὴν Κρήτην*, quam dicit *χώραν ἄθηρον*. Hinc lepos Epimenidis vocantis Cretenses *κακὰ θηρία*. Gloriantur apud se nullas esse feras belluas cùm ipsi pessimæ sint belluæ. Noctuas etiam in Creta non nasci, & aliundè advectas mori, narrat Plinius, & ex eo Solinus. Hoc respeximus in Carmine de victoria Venetorum;

Insula quæ nunquam patiens fuit antè ferarum,

ubi de Creta loquimur.

℣. 12 Ἴδιος αὐτῶν προφήτης, *Proprius eorum Propheta.*] Ægyptijs sui erant Sacerdotes, Aruspices, Prophetæ teste Origene. Lucianus in De amoribus Homerum vocat *μέγαν ἀληθείας προφήτην*. Himerius in ijs quæ nondum edita sunt, Μουσῶν τε καὶ Ἑρμοῦ προφήτας commemorat. Eodem ferè tempore maximi exstiterunt apud Iudæos Prophetæ, quo maximi apud Gentiles Poëtæ. Iactant & hi suam ἔκστασιν & *κατοχὴν* & afflatum, & divinum adeò spiritum;

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Fuerit & fortasse in hoc Epimenide aliquid propriæ venerationis. Certè 40. annos à Pausania, 57. à Diogene Laertio in spelunca dormivisse dicitur: inter eos qui resurrexisse ab Ethnicis crediti, refertur à Proclo, in Dissertationibus ineditis, Ἐπιμενίδης ὁ Κρής· apud Platonem autem *ἀνὴρ θεῖος*, apud Plutarchum, *σοφὸς περὶ τὰ θεῖα* dicitur. Poëtæ quidem

Theologi gentilium: at hic propriè θεολόγος dictus apud Diodorum Siculum, quia divinus erat. Sed prçterita incerta, non autem futura divinabat, ἀποφήτης magis quàm προφήτης, docente Aristotele in Rhetoric. 3. qualem Porphyrius Danielem impiè finxit, Christi osor. Idem Porphyrius Mosem, quasi vicissim, Prophetam, idque antonomasticè, dixit; Πατὴρ φησὶ Νειλῶιος, διὰ τοῦτο λέγων καὶ τὸ Προφήτην εἰρηκέναι, Ἐμφέρεσθαι ἐπάνω τοῦ ὕδατος Θεοῦ πνεῦμα. Cui nondum satisfaciunt ea quæ diximus, extremum hoc à me accipiat, quod mihi certè satisfacit. Non tantùm Poëta, sed etiam Propheta fuit Epimenides. Ideoque inter eos qui per *furorem vaticinantur*, recensetur à Tullio libro de divinatione, & cum Sybilla Erythræa conjungitur. Adde quòd Porphyrius περὶ Ἀποχῆς lib. 4. Euripidis versus citat, quibus τοὺς ἐν Κρήτῃ τοῦ Διὸς Prophetas animalibus abstinere narrat. Inter hos Iovis Prophetas Epimenidem censeo, & quidem apud Cretenses: unde Paulo dicitur ἴδιος αὐτῶν προφήτης, hoc est, Iovis Propheta, etiam apud ipsos, de quibus agimus, Cretenses. Theopompus Cretensis ἐν τοῖς θαυμασίοις narrat, Epimenide Nympharum templum ædificante, è cœlo vocem erupisse: Ἐπιμενίδη μὴ νυμφῶν, ἀλλὰ Διός. Vide Laertium in ejus vita.

NOTÆ
IN EPISTOLAM AD
HEBRÆOS.
CAPVT PRIMVM ℣. 9.

Ἔχρισέ σε ὁ Θεός, *Vnxit te Deus.*] Patres hinc volunt dici Christianos, atque adeò Christum, duplici de causa, & quia unctus est à Deo, & quia ungit consortes suos. Clemens Alexandrinus Christianos quasi Χρειστοὺς dictos tradit, quia & ipsi consortes olei lætifici. Iustinus Martyr Apologet. 1. Χριστὸς μὲν διὰ τὸ κεχρίσθαι, καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεόν. Qui locus mihi parùm feliciter emendatus videtur à Scaligero in Eusebianis, χρῖτο καὶ χρίσαι καὶ σμῆσαι. Nec sollicitandus fuit. *Christus dicitur ex eo quòd unctus sit, & quòd omnia Deus per ipsum ornaverit*, eâdem unctione. Olim enim unguenta pertinebant ad τὴν κοσμητικήν, ut notum. Vnctus ipse est ad munus, & Ecclesia uncta per ipsum ad ornatum & decorem spiritualem. Iustino, ut Paulo, Ecclesia, τὰ πάντα: Nova creatio, κόσμος.

Epist. ad HEBR. Cap. II. ℣. 1.

Μή ποτε παραῤῥυῶμεν, *Ne fortè pereffluamus.*] Plutarchus Proverbijs Alexandrinis editu dignis, ait hoc proverbium, ὕδωρ παραῤῥύει, desumptum, ἀπὸ τῶν ὑπὸ σπουδῆς καὶ εἰσρέοντι πλοίῳ ἐμβαινόντων (lego καὶ εἰς ῥέον τι πλοῖον ἐμβαινόντων) καὶ παραβαλλομένων τῷ κινδύνῳ. dici autem de ijs qui putant se quovis modo posse propositum consequi, κατὰ πρᾶξαι τὸ προκείμενον. Hoc idem ὑποῤῥέειν dixit Hippocrates, de Arte libro.

Epist. ad HEBR. Cap. V. ℣ 14.

Τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων, *Eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus.*] Hæc non parùm illustrantur ex Nili Ascetico. jam dicto, ubi athletas ephebos & adultos distinguit: Ὡς γὰρ τοῖς ἐπὶ τὰ παιδικὰ γυμναζομένοις ἀθλητῶν σῶμα ἀσκεῖν εὐπρεπὲς, καὶ τὰ μέλη κινεῖν συνεχῶς, ἀνδράσι δὲ ἰσχύος ἐπιμελεῖσθαι ἀθλητικῶς ἀγωνιστικῆς, καὶ ἐπὶ τοὺς ἱεροὺς διαφέρειν ἀγῶνας· οὕτως τοῖς ἀρχομένοις τῆς εὐσεβείας ἐπιμελὲς τὰς ἐνεργείας κωλύειν. ἀγαπητὸν γὰρ εἰ κρατήσαιεν τῶν παθῶν ἐξοστρακισμένοι ὑπὸ τῶν συντρόφων ἡδονῶν, καὶ ἐπὶ τὰ τῆς συνηθείας ἀπροαιρέτως σχεδὸν ἐλαυνόμενοι κακά. τοῖς δὲ ἐν ἕξει γεγενημένοις τῆς πρακτικῆς ἀρετῆς καὶ τὴν κατὰ διάνοιαν λοιπὸν φροντίζουσι, πάσῃ σπουδῇ φυλάσσειν τὸν λογισμὸν ὀφείλουσιν, ὡς μὴ κινηθέντα ἀτάκτως ἐπί τι κινηθῆναι τῶν διεστηκότων. καὶ ἁπλῶς τοῖς μὲν ἐπὶ σπουδὴ σωματικὰς παιδαγωγῆσαι κινήσεις, τοῖς δὲ τὰς ὁρμὰς παιδεῦσαι τοῦ λογισμοῦ πρὸς μόνην τὴν ἐμφιλόσοφον εὐρύθμως κινεῖσθαι διαγωγήν.

Epist. ad HEBR. Cap. VII. ℣. 3.

Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *Sine patre, sine matre, sine genealogia.*] Hujus loci communior interpretatio facile omnium optima est. Qui nec patrem nec matrem habet, eum profectò satis constat genealogiam habere nullam posse. Quorsum igitur additur vox ἀγενεαλόγητος; Omnino ἐξηγητικῶς· nam si dicere potuisset ἀπατόλογητος, ἀμητόλογητος, nihil opus fuisset addere ἀγενεαλόγητος. Quia verò priora illa duo non admittit Græci consuetudo sermonis, nè daretur locus errori, quasi Melchisedechus parentibus carens è terra exstitisset, aut è cœlo cecidisset, ad illa duo ἀγενεαλόγητος addere necessarium putavit, hoc est, οὗ γένος μὴ λέγεται. Syrus Interpres in hunc sensum reddidit, *Cujus pater & mater in genealogiis non scribuntur.* Quod narratur aut docetur, fieri dicitur. Aristoteles, Οἱ γενῶντες τὸν οὐρανὸν, hoc est, *qui dicunt cælum esse genitum:* nè cui mirum jam videatur ἀγενεαλόγητον, atque adeò quasi non genitum, statui Melchisedecum, eò quòd genitus non dicatur. Confer. ℣. 14. Simile propemodùm est quod in Ecclesiæ historia *Corruptibiles* & *Incorruptibiles* hæretici dicuntur, à quibus corruptibilis aut incorruptibilis Christus docetur. Nec absimile est illud Nicomachi MS. in Biblioth. Medic. Οἱ παλαιοὶ καὶ πρῶτοι μεθοδεύσαντες ἐπιστήμην, προκατάρξαντος Πυθαγόρου. quod malè reddas: *postquam incepit;* reddendum *postquam principia fecit*, hoc est, docuit & invenit, *Pythagoras*, ut ibid. in Scho-

lijs interpretatur Asclepius, & ipse ineditus, philosophus Trallianus, Τοῦ Πυθαγόρου προκατάρξαντος· οὗτος γὰρ πρῶτος εὗρε τὰς ἀρχὰς καὶ τῆς ἀριθμητικῆς καὶ τῆς γεωμετρίας, καὶ σχεδὸν καὶ τῆς ἀστρονομίας, καὶ τῆς μουσικῆς. Chrysost. in Matth. Homil. 46. Ἐπικρημνᾷ τὸν κίνδυνον, *periculum imminere dicit*. Hieronymus, *Virginitatem servavit*, hoc est, *servandam dixit* ac docuit. Heliodorus, Ἔρωτα πτεροῦσιν οἱ γράφοντες, *Amorem alatum faciunt Pictores.* Maro *Pasiphaën solatur*, & *Phaëtontiadas circumdat*, pro *solantem canit* & *circumdatas narrat*. Sic explicant illud Aristotelis Græci ejus Interpretes in Oceano Florentino, Εἰ μὲν φιλοσοφητέον, φιλοσοφητέον· εἰ δὲ μὴ φιλοσοφητέον, φιλοσοφητέον· hoc est, εἰ δὲ λέγει τις μὴ εἶναι φιλοσοφίαν. Psellus libro Quæstionum Thologicarum & Philosophicarum, qui lucem non vidit, postquàm Gregorium Magnum ambiguè dixit loqui de anima, de Nysseno & Maximo subjicit, Ὁμοῦ τῇ καταβολῇ τοῦ σπέρματος ἐπιτηδείου πρὸς ὑποδοχὴν ψυχῆς τυγχάνοντος ταύτην ὑφιστάνουσι, pro ὑφίστασθαι λέγουσι. De Græcis autem alijs, Τῶν δὲ Ἑλλήνων οἱ πρόκριτοι, μετὰ τὴν τελείωσιν τοῦ φυσικοῦ ὀργάνου καὶ τὴν ἀποκύησιν τούτου, ἐναπείρουσι ταύτην τῷ σώματι. *Inserunt*, hoc est, inseri docent. Matth. 11. 3. Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος; id est, *quem Prophetæ venturum prædicunt?* Sic & Prophetæ facere dicuntur quæ prædicunt; Gen. 49. 7. Ezech. 43. 3. & Noë damnâsse mundum, Heb. 11. 7. Confer. 1. Pet. 3. 20 Contrà, quod narratur aut nescitur, censetur quasi non sit. Flacco Satyr. 5. lib. 2 *sine gente* dictus est cujus genus ignoratur, ἀγενεαλόγητος. Seneca Epist. 108. *Duorum Romanorum Regum alter Patrem non habet* (ἀπάτωρ) *alter Matrem* (ἀμήτωρ.) Cicero Athenas Vrbem *ex se genitam*, Tiberius Ruffum *ex senatum* eadem de causa dixit, (ἀγενεαλόγητον.) Quæ igitur invidia & Melchisedecum, sed sanctiori de causa, dici parentibus carere, cujus parentes nec narrantur, nec sciuntur, cùm tamen Rex fuerit & Sacerdos? An ἀθεεὶ contingere potuit ut hujus unius Phœnicis, Χαναναίας δυνάστου, ut vocat Iosephus, tacita fuerint mors nativitas, & Parentum nomina, quæ tamen in tabulas censuales omnino referri debuerunt, ut aliquis legitimus Sacerdos esset? Non esset profectò quòd quenquam offendat quæsitum in rei tantæ silentio mysterium, eóque minùs quòd hæc scribuntur Hebræis; quos mysteria excudere solitos ex ijs quæ in Scriptura omittuntur, docet Philo, ubi multa super eo philosophatur, quòd Caini mors in Scriptura non invenitur. Docent & Magistri, cùm ex eo quòd Iacob διαῤῥήδην mortuum esse non legitur, mysteria, non à Spiritu Dei, sed pro libidine ingenij, machinantur. Iure igitur suo, præsertim apud tales, Apostolus quicquid adumbratim & *negativè*, ut Schola loquitur, occurrit in Melchisedeco, verè ac positivè Christo reddidit μυστικῶς.

Epist. ad HEBR. Cap. X. ℣. 5.

Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, *Hostiam & oblationem noluisti.*] Veteres ità loquuntur de Psalmis Davidicis, quasi continerentur ἀναφορὰν τοῦ περὶ

τῶν περὶ θυσιῶν Μωϋσέως νόμου, καὶ εἰσαγωγὴ τῆς τῆς καινῆς διαθήκης. Patet ex Hippolyti Epiſcopi Romæ Præfatione ad Pſalmos, ut habetur in Catena quadam Biblioth. Florentinæ:

Ἱππολύτου ἐπισκόπου Ῥώμης Ὑπόθεσις
διηγήσεως εἰς τοὺς Ψαλμούς.

Ἡ βίβλος τῶν Ψαλμῶν καινὴν διδασκαλίαν περιέχει μετὰ τὴν Μωσέως νομοθεσίαν, καὶ ὅτι δευτέρα μετὰ τὴν Μωσέως γραφὴν διδασκαλικὴ βίβλος τυγχάνει. Μετὰ γ' οὖν τὴν Μωσέως καὶ Ἰησοῦ τελευτὴν, καὶ μετὰ τοὺς Κριτὰς, Δαβὶδ γενόμενος ὡσανεὶ ∵ ∴ ∵ ∴ ∵ ∴ χρηματίσαι καταξιωθεὶς, καινὸν τρόπον τὸν τῆς Ψαλμῳδίας πρῶτος Ἑβραίοις παρέδωκεν, δι' ἧς ἀναιρεῖ μὲν τὰ παρὰ Μωσῇ περὶ Θυσιῶν νενομοθετηθέντα, καινὸν δὲ τὸν δι' ὕμνων καὶ ἀλαλαγμῶν τρόπον τῆς τοῦ Θεοῦ λατρείας εἰσάγει. καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα τὸν Μωσέως νόμον ἐπαναβεβηκότα δι' ὅλης αὐτοῦ τῆς πραγματείας διδάσκει. Hinc eſt, opinor, quod Mahommedes Davidi ſecundas tribuit, cùm paſſim hos quatuor celebrat libros tanquam cœlo delapſos, Legem, Pſalmos, Evangelium, Coranum. Alij volunt intelligi oblationem pro homicidio, quæ ſub Lege nulla eſſet. Sed non homicidij tantùm David reus erat.

Epiſt. ad HEBR. Cap. X. ℣. 5.

Σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, *Corpus autem aptaſti mihi.*] Locus hic in primis vexatus ab Hebræa origine Pſal. 40. immanè quantum diſcrepat. Duplex proponetur à nobis conjectura, quanquam non utramque neceſſariam, ſed alterutram ſufficere putamus. Prior: Scripſerant Græci fortè ὠτία, quod à ſciolis mutatum eſt in σῶμα· ſed quare? quia toto illo Pſalmo 40, David agit gratias Deo de ſalute ſibi corporis reſtituta. Putârunt igitur dicere Davidem, *Corpus mihi firmum, integrum & ſanum reddidiſti;* nam id interdum eſt כרה, nec modò *perfodiſti.* Accedit quòd ſi ſervus ægrotabat, non ei perforabatur auris, ut tradit Maimonides de Servis cap. 3. ſect. 11. at ægrotabat David; putârunt igitur malè convenire. Deinde potuit huic locum dare corruptelæ, quòd non auris modò fodi ſolita, & quidem dextra; ſed *per corpus auris*, ut Maimonides ibidem loquitur ſect. 8. Sed & σῶμα dicitur apud Græcos de parte corporis. Altera conjectura hæc eſt: Scripſerant fortè οἱ LXX. κατηρτήσω *ſuſpendiſti*, ad ritum reſpicientes illum de quo Exod. 21. 6. juxtà quem dominus ipſe auriculam ſervi poſtibus affigebat, & per eam totum veluti corpus ſuſpendebat: quod vernaculè dicitur, *pendre par l'oreille.* Hoc autem tractu temporis mutatum eſt in κατηρτίσω *adaptaſti*, quod retinuit Apoſtolus ut jam uſitatum, nec minùs reſpondens Hebræo, & maximè conveniens inſtituto ſuo. Sed hîc nulla jam eſt, opinor, alluſio ad ſervilem ritum, niſi fortè quatenus dominus ſervum offerebat, dijs judicibus, אלהים: Aquila & Symmachus πρὸς τοὺς Θεοὺς, LXX. πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ. ubi legitur הגישו, Vulg. *offeret eum*, prædicto Exodi loco; quod reſpondet ijs quæ hîc ſubjiciuntur continenter, *Obla-*

tione semel peractâ corporis Iesu Christi. Certè corporis adaptatio nihil habet commune cum aure perforata. Sed neque necesse est eò Psalten respexisse. Dixisset quippe *aurem*, non *aures*; unica enim perforari solita. Nec Aben-ezra, nec Kimchius, nec Chaldæus, nec Syrus eò retulerunt. Simpliciter, aures à Deo dicuntur perfodi, ut aperiri labia, cùm fiunt dicto audientes, nec obsurdescunt vel obturantur. Hinc *ἐφφαθὰ*, *aperitor* de surdo æquè atque de muto. Multò minùs autem Græca eò trahi possunt: nam *σῶμα* pro *servo* nunquam legi, nec lectum puto; Et miror hoc sensu à tantis viris acceptum hoc loco. Pollux, *Σώματα δὲ ἁπλῶς οὐκ ἂν εἴποις, ἀλλὰ δοῦλα σώματα.* Quòd si *σώματα* simpliciter positum non significat *servos*, multò minùs *σῶμα* de *servo* dicetur. Nam & Iurisconsulti *corpora* dicunt de *servis*, qui tamen de *servo* uno *corpus* non dicerent. *Σώματα* Græci dicunt, ut Latini *capita*, Galli *bouches*, & iidem Græci *ὀνόματα*. Sic & corpus pro *persona*, ut nunc loquimur, Tacitus accepit, apud quem Maroboduus de Inguiomero. *Illo in corpore decus omne Cheruscorum.* Sic *ἐμὸν δέμας* pro *me* apud Euripidem. Sic& in Epistola Senatûs populique Abderitani ad Hippocratem, de Democrito, *σῶμα σοφίης*. Quid igitur? Vnde unde fluxerit error apud LXX. dexterè ac feliciter abutitur Apostolus, *οἰκονομικῶς*, receptâ cuicuimodi Græcorum interpretatione. Non pedibus modò, sed toto corpore dicebantur descendere olim Senatores in sententiam: non auribus modò, sed toto corpore dicitur hîc fuisse Christus obediens, cùm descendit in crucem. Propria fuit autem hoc in loco ratio cur Apostolus emendare nollet ex Hebræo interpretationem Græcam receptam in vulgus: nec modò quia Christo non tam aures quàm pedes perfossi sunt & manus; sed etiam quia servo, si Sacerdos erat, non perforabatur auris, *quia sic pudefieret, nec redire posset ad dignitatem suam*, ut ex eodem discimus Maimonide. Hoc igitur Christum facere dicentem, *Aurem perfodisti mihi*, ea maximè in Epistola in qua summum ejus Sacerdotium enarratur, minùs oportunum erat; certè creare poterat scrupulum in animis infirmiorum Hebræorum. Vt autem scias nec ignarum, nec immemorem textûs Hebraici fuisse Apostolum ad Hebræos scribentem, notabile est quod in eo commentario quem adhibet commate 8 & 9. alia quidem verba Davidis repetit, urget, inculcat; de istis tacet: quibus interea Christum clarè significantibus maximè nitendum erat; si quidem in Hebræo exstitissent.

ṽ. 38. *Ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ*, *Quod si subtraxerit se, non placebit anima mea.*] Vulg. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso.* Quæ licèt longè discrepare videantur, & sensum continent non alienum, & cum Hebræô Habacuci consentiunt. *Incredulus ὁ ὑποστελλόμενος*, qui *resilit* aut *deficit*. LXX. quidem videntur aliter quàm hodie legisse, עלפה pro עפלה, & pro נפשו *anima ejus*,

נפשי *anima mea*, proclivi mutatione: at ſenſu planè integro; nam in quo recta non eſt anima, is placere Deo non poteſt: deinde, in ſuperbos & elatos facilè cadit impatientia & *tædium*, ut rectè hîc Arabs ſive defectio. Sic Paraphraſtes Chaldæus verbis omnino alijs eundem ſenſum reddidit, quod ſolens facit: הא רשיעיא אמרין בלביהון לית כל אלין *Et impij dicunt in cordibus ſuis, Non omnia illa futura ſunt.* Patet autem עלף (ut credibile eſt LXX. legiſſe) ſignificare *defecit*, Eſa. 51. 20. Ioan. 4. 8. Ergò ἐὰν ὑποστείληται, *ſi defecerit*, & ὑποστολὴ *defectio*, mitioribus vocabulis deſignant incredulitatem & initium apoſtaſiæ, cui deinde opponitur fides, atque ὑπόστασις. Perperam enim factum, quòd hoc à ſequenti caput divulſum eſt.

Epiſt. ad HEBR. Cap. XI. ℣. 1.

Ἐλπιζομένων ὑπόστασις, ἔλεγχος, *Sperandorum ſubſtantia, argumentum.*] Cave ſumas hîc voces ὑπόστασις & ἔλεγχος quo ſenſu poſtea ſumi cœptæ ſunt in Scholis. Proclus in ijs quæ non ſunt edita, Τὴν ἀθανασίαν ἣν ἔχομεν κατ᾽ οὐσίαν καὶ τὴν ἁπλότητα τῆς ὑποστάσεως ἡμῶν. Idem, Socrates ἐν Μεγανῷ λέγων αὐτὴν εἶναι, κἂν ἐν ἀνθρώποις ἀνυπόστατος ᾖ. Sic apud Ariſtotelem opponitur ὑπόστασις τῇ ἐμφάσει. Sed & apud Plutarchum, De Placitis Philoſophorum, non ſemel. Apud Dionyſium autem, non Areopagitam, lib. 11. de Divin. nom. τῇ παρυποστάσει, οὐκ ἔχει ὑπόστασιν τὸ κακὸν, ἀλλὰ παρυπόστασιν. Apud Hippocratem verò τῇ ἐπιστάσει, ſed longè alio ſenſu quàm apud Chryſoſtomum in Acta, ubi Chriſtum docet non totos 40. dies fuiſſe cum Apoſtolis, ſed ex intervallo, Ἐφίστατο γὰρ, καὶ ἀφίστατο πάλιν· at hîc opponitur τῇ ὑποστολῇ vel τῇ ἀποστάσει. Dictionarium Eccleſiaſticum, Ὑποστολὴ, φυγή. Meliùs enim à militia deducitur, aut venatione, quæ militiæ tyrocinium. Ὑφίστασθαι *ſubſiſtere* hoſtem, feram, apud Polybium & alios. Nilus, Ἀγύμναστοι πρὸς ἐμπειροπολέμους μαχόμενοι πῶς ὑποστησόμεθα; cujus contrarium ἀφίστασθαι, unde *apoſtata, deſertores*. Hinc & ἀνυπόστατος alio ſenſu quàm ſuprà ſumitur, pro eo qui ſubſiſti non poteſt, hoc eſt, invicto. Verùm hoc loco non agitur de hoſtibus, ſed de bonis quæ ſperantur, & in his libris ὑπόστασις reſpondet Hebræorum תוחלת. Hîc igitur, opinor, ὑπόστασις eſt *patiens exſpectatio*, quod alibi ὑπομονὴ, 1. Theſſ. 1. 3. ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος. Patientiæ ac Spei neceſſitudo & ἀγχιλεχία quædam oſtenditur Rom. 8. 24. 25. 26. unde lux peti poteſt: Τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν· ἐλπὶς δὲ βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς· ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει; εἰ δὲ ὃ οὐ βλέπομεν ἐλπίζομεν, δι᾽ ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα. Vnde οἱ ἀπεκδεχόμενοι *credentes* Hebr. 9. 28. Dictionarium Eccleſiaſticum, Ὑπόστα, ὑπόμεινε. Suprà 10. 32. & 36. Ὑπομονῆς ἔχετε χρείαν· ſed μετὰ παῤῥησίας, ibid. infrà, hujus capitis comm. 26 27. de Moſe, Μὴ φοβούμενος τὸν θυμὸν τοῦ βασιλέως, (id eſt, ἀνυποστόλως, ut loquitur Theodoretus) τὸν γὰρ ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε (id eſt ὑφίστατο, ὑπέμεινε·) tum, ἀπέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαποδοσίαν· hoc jam eſt fidei ἔλεγχος, id eſt, *indicium*, ut eſt in Gloſſario, ſeu *ſpeci-*

men, quia fide primitias libamus: malo tamen *indicium* propter illa, ἐ βλεπομένων· Tullius, *Nec enim minùs nostra sunt quæ animo complectimur, quàm quæ oculis intuemur.* Hippocrates, ὅσα τὴν τῶν ὀμμάτων ὄψιν ἐκφεύγει, ταῦτα τῇ τῆς γνώμης ὄψει κεκράτηται. Ovid.

——— *& quæ natura negavit*
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.

Fide quæ sperantur patienter & fortiter exspectantur, & futura cùm sint, quasi repræsentantur; eademque fide quæ non videntur, indicantur, hoc est, invisibilia videntur, exhibentur. Sic Secundo Philosopho Sol dicitur eleganter κοσμικὸς ἔλεγχος, *Index mundi*. Dictionarium idem Ecclesiasticum, postquam aperuit quid significet ὑπόστασις κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν καὶ ἀποστολικὴν παράδοσιν, hoc est, virorum Apostolicorum, Ἀνυπόστατος, ἀνύπαρκτος· λέγεται καὶ ἐπὶ τῶν ἀφορήτων, ἃ οὐδεὶς δύναται ὑποστῆναι. Item, Ὑποστέλλεται, ὑποπτύσσεται & alibi, Ὑποστέλλεται, ἀναδύεται [Plato Theæteto, Μὴ ἀναδύου τὰ λεγόμενα, *Nè detrecta confessa.*] (meliùs καταδύεται) ὑποκρύπτεται. Ἀνυποστόλως, ἀνυπόπτως, ἀφόβως. Est igitur ὑποστολὴ tergiversatio ejus qui se subducit è certamine aut è conspectu præ timore aut impatientia: cui opponitur tum ὑπόστασις, tum ἔλεγχος nec enim se subducit cui patientia est, quæ rem spe præsumit invictâ, & cui nihil ἀνυπόστατον· neque verò is qui rem quam exspectat velut in specimine (licet non in specie, κατ' εἶδος) videre incepit. Porrò ità concinniùs quàm solet interpunges, Ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων.

℣. 40. Ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι, *Ut non sine nobis consummarentur.*] Duplex Domini adventus ἐπαγγελία dicitur. Prior Gal. 3 18. posterior clarè præcedentis capitis 36. 37. undè potissimùm lucem huic loco fœnerabimur. Prior adventus promissio veterum erat, posterior propriè nostra est. In utroque status Ecclesiæ perfectus describitur, quasi duplex τελείωσις: prior Hebr. 7. 11. & 19. posterior 1. Cor. 13. 10. Præcedentis igitur capitis fine, qui meliùs esset hujus initium (nam hîc, ut alibi non rarò, incommoda & imperita capitum distinctio est) hortatur Paulus Hebræos Christianos ad patientiam, ut factâ Dei voluntate, promisso potirentur, ἵνα κομίσησθε τὴν ἐπαγγελίαν. Quam ἐπαγγελίαν? illam de qua modò loquebatur, potiundam in adventu posteriori Domini, de quo loquitur continenter, Ἔτι γὰρ, inquit, μικρὸν ὅσον ὅσον, ὁ ἐρχόμενος ἥξει, καὶ οὐ χρονιεῖ. Nunc verò absoluto veterum Martyrum panegyrico, dicit eos non accepisse promissum, οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν, nempe suam, id est, non viderunt Dominum in carne: Nos autem Christiani videmus, metentes ὃ μὴ κεκοπιάκαμεν, Ioan. 4 38. & usurpantes quod sibi promissum exspectabant veteres, & quidem sine illis, χωρὶς αὐτῶν. At illi tamen videbunt aliquando Dominum venientem in gloria, sed non sine nobis, μὴ χωρὶς ἡμῶν· quod enim nos exspectamus, ipsis commune nobiscum

erit, adventus Domini posterior; tunc in eo erimus pares. At jam Deus nobis κρεῖττόν τι prospexit; nec enim exiguum προτέρημα censeri debet prior adventus Domini, quo soli gaudemus; bis felices, bis perfecti, semel sine illis, & iterum cum illis: at illi nunquam sine nobis.

Epist. ad HEBR. Cap. XII. ℣. 1.

Ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα, *Deponentes omne pondus.*] Nec superbiam designat, quæ magis inflat & leves facit; nec habitum pinguem corporis, quem omni arte sibi quærebant Athletæ: sed alludit ad morem quo solebant pondus capillitij deponere, τὸν ὄγκον· nam & veteribus Christianis interdictum τὸ ὀγκοποιεῖν, *suggestus comæ*, ut est apud malè dictum Clementem, Constitutionibus apostolicis. Isidorus Pelusiota lib. 5. Epist. 161. docet Athletas primò quidem solitos vestes exuere, deinde tonderi, tum & ungi, additâ causâ, ἵνα μὴ ληφθῶσιν τῆς θριξί. Quę sequuntur ad vestes referri possunt. Bona vestra, inquit, relinquite, tanquam comæ caput ædificantis & gravantis luxuriem, & ijs vos ultrò spoliari sinite; tanquam vestibus, ut sitis incomprehensibiles adversario, cujus λαβὴ peccatum est. Philo contra Flaccum, Μείζονα τιμῆς καὶ εὐδοξίας ὄγκον ἢ σὺ περιβάλλῃ. Idem alibi Augustum dicit noluisse τὰς ὑπερόγκους τιμὰς δέξασθαι καὶ φυσηθῆναι. Ad animam & orationem cùm refertur, accipitur interdum in meliorem partem: Dionysius Halicarn. in Romuli ac Remi elogio ipsis attribuit ἀξίωσιν μορφῆς καὶ φρονήματος ὄγκον, *formæ dignitatem cum excelso spiritu.* Sed & ipsum φυσιοῦν Apostoli 1. Cor 8. Clemens Alexandr. traxit in bonam partem, Strom. 7. Ὄγκος tribuitur Demostheni, *gravis* oratio: & hoc Latinum æquè anceps.

℣. 1. Καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, *Et circumstans nos peccatum.*] Rectè vetus ante Hieronymum Latina Versio reddidit, *Omnem sarcinarum molem amoliri, ac deponere peccatum fragile*, quod facilè frangi ac repelli potest obsistendo; nam hoc est εὐπερίστατον, unde ἀντιπερίστασις. Ex commate autem 4. patet hîc ἁμαρτίαν sumi debere pro tentatione seu occasione peccandi, ac ab Evangelio deficiendi. Ὄγκος est βάρος Theophylacto & Suidæ. Sensus facilis, cùm ex ijs quæ pręcesserunt de facultatum ἁρπαγῇ, tum ex ijs quæ sequuntur continenter, Οὔπω ἀντικατέστητε (idem esset ἀντιπεριέστητε) μέχρις αἵματος. Vnde Chrysostomo magis placet εὐπερίστατον intelligi, τὴν εὐκόλως περιστᾶσι δυναμένην παθεῖν. Ipsa hoc exposcit analogia. Certè apud Prophanos Autores ἀπερίστατον (apud eos enim non occurrit εὐπερίστατον) semper παθητικῶς accipitur: quasi dicat, *Qui spoliant vos facultatibus, currentes adjuvant: pondus enim detrahunt. Nudi currite: ità decet* γυμνικὸν *indè dictum* ἀγῶνα *Omnem illum* ὄγκον *facultatum reijcite libenter: levis est impedimenti jactura cursus expeditior: nec difficilis ad eluctandum tentatio est; huic facilè resisti potest. Aliud vos certamen manet, & quidem longè acrius. Nolite in principio fatiscere, passuri graviora. Nondum ad sanguinem usq; restitistis.*

Duorum fuere generum certamina: leviora, in quibus pręcipuè cursus; graviora, quorum gravissimum pugilatus. Ad utrumque respexit. Curramus, inquit; nam nihil est facilius, præsertim spoliatis, tali testium circumstantiâ, tali Duce & auspice, Iesu: mox cum ipsa morte conferetis manus, hoste cruento, quasi pugiles; nam in cursu non fundebatur sanguis. Verba hæc δι' ὑπομονῆς præcedentibus non malè junxeris.

NOTÆ
IN I. EPISTOLAM
PETRI.
CAPUT SECUNDUM, ℣. 5.

KAὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες, *Vos etiam ut lapides vivi.*] Apud Ethnicos quoque lapidum vivorum reperies mentionem, λίθους ἐμψύχους. Plutarchus de fluminibus non semel vocat *lapides vivos*, inter quos θρασύδειλον Eurotæ proprium lapidem nominat, qui tuba sonante, prosiliebat ad ripam scilicet; Atheniensium autem audito nomine mergebatur in profundum. Nec minus fabulosa, quæ Suidas habet de Heraisco Ægyptio philosopho qui ritè dignoscere calleret ἀγάλματα τὰ ζῶντα, καὶ μὴ ζῶντα, vel ἄψυχα καὶ ἄμοιρα θείας ἐπιπνοίας. Contrà Petrus fideles verè *lapides vivos*, verè spirantes ac loquentes Dei statuas spirituales, & participes θείας ἐπιπνοίας hîc dixit. Adeò non sibi nimis placuit in illo Domini elogio. *Tu es petra, & super hanc petram*, &c. ut Dominum primò quidem dicat *petram vivam* ἐξόχως & *petram quæ facta est in caput anguli*: Deinde verè Fideles universos velut in laudis suæ propriæ consortium vocet. Vos etiam, inquit, velut totidem petræ, qualis olim ego dictus sum, adeóque petræ vivæ super illa petra, quæ rejecta est ab hominibus; sed electa & pretiosa coràm Deo ædificamini. Numquid inter petram distet & lapidem non video: nisi quod in priori lepos est, & ad Petri nomen allusio.

NOTÆ
AD EPISTOLAM
IACOBI

CAPUT PRIMUM, ℣. 1.

X*Αίρειν, Salutem.*] Primus Cleon Atheniensium Demagogus hanc vocem Epistolæ præmisit, εὐαγγελιζόμενος τὴν νίκην, quam de Spartanis insignem retulerat. Quàm familiaris apud Gentiles, tam insolens Apostolis in Epistolarum limine salutatio, qui pro χαίρειν, dixerunt χάρις ὑμῖν affini, sed sanctiori vocabulo. Homericum χαίρειν repudiavit Plato, & εὖ πράττειν dicere maluit; Pythagoras ὑγιαίνειν· sed & Epicurus: ut vel hinc nôris eum in voluptate corporis non constituisse summum bonum, sed in mente sana, sano in corpore. At cur Apostolus hîc præmisit χαίρειν, quod cæteri non faciunt Apostoli? Plato autem damnat, ὡς μοχθηρὸν καὶ οὐδὲν σπουδαῖον ἐμφαῖνον, ubi Dionysium reprehendit, quòd Apollinem χαίρειν jusserit voce ἀνθρώποις ἀξιοῖς, nedum Deo, parùm dignâ. Quam & Ptolemæus Lagi ad Seleucum scribens rejecerat in Epistolæ finem, initio præponi solitam: qua de re videndus Lucianus. Manethon tamen Ægyptius, quos dedicavit Ptolemæo Regi libros Ἀποτελεσματικῶν, itá orditur:

> Χαίροις, ὦ Πτολεμαῖε, λαχὼν βασιληΐδα τιμὴν
> Γαίης ἡμετέρης κοσμοτρόφου Αἰγύπτοιο.
> Ἄξιά σοι τάδε δῶρα φέρω βασιληΐδος ἀρχῆς,
> Ἄστρων οὐρανίων τῶν φάσεις ἀπλανῶν τε πλανῶν τε,
> Ὅσσα βροτοῖς τεύχουσιν ἐπιβλέψαντες ἐν ἀρχαῖς,
> Σπειρομένοις καὶ τικτομένοις δειλοῖσι βροτοῖσι
> Μοιρῶν ἀρρήκτοισι μίτοις, &c.

Quæ plura posui, quo judicent eruditi an stylus conveniat antiquitati quantam præfert codex longè rarissimus, lectúque difficillimus: quanquam non ignoro Manilij, qui de eodem scripsit argumento, ævum ex stylo male colligi ob τὴν ὑποκειμένην ὕλην, quæ negat ornari. Ad rem. Iacobus hoc loco χαίρειν optavit, opinor, quia statim πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε dicturus erat, ut sibi muniret ad sequentia faciliorem viam. Talia multa sunt in Sacris Literis ex occasione concinnè posita. Sed & Angelus ità salutavit Beatam Mariam Luc. 18. & Concilium Hierosolymitanum fratres Gentiles Act. 15. 23. qui & ἐχάρησαν ἐπὶ τῇ παρακλήσει, ibid. 31.

NOTÆ
IN EPISTOLAM PRIMAM
IOANNIS.

CAPUT SECUNDUM, ℣. 27.

Τὸ αὐτὸ χρῖσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων, *Unctio ejus docet vos de omnibus.*] Quid hoc est? unctio docet? Metalepsis. Voluit dicere, ὁ ἀλείπτης, ad rem athleticam, ut alibi, respiciens. At quia Dominum ἠλειμμένον dicunt Iudæi, nè τὸ χριστὸν agnoscant, dixit χρῖσμα, quia χριστὴς non dicitur; ut σόφισμα pro σοφιστὴς, & ἁγίασμα pro ἁγιαστὴς, Autores valdè boni: & Plinius Solem *Principale Naturæ regimen* dixit, hoc est rectorem. Sed eundem retinuit sensum quem si dixisset, ὁ ἀλείπτης. Iam verò Ἀλείπτης est *Doctor, hortator;* & Ἀλείφειν *docere, hortari.* Solebant nimirùm Aliptæ inter ungendum Athletas condocefacere, hortatu & consilio juvare. Dictionarium Ecclesiasticum, Ἀλείπτης, συνήγορος. Optimè, quasi dicat παράκλητος, Spiritus Sanctus Dei: cui opponitur κατήγορος Apoc. 12. 10. spiritus malignus Diaboli. Chrysostomus in Paulum Orat. 3. Θεραπεύων τοὺς συντετριμμένους, ἀλείφων τοὺς ῥᾳθυμοῦντας. Idem de matre Maccabæorum, Πῶς αὐτοὺς ἤλειψε; Nazianzenus Orat. 18. de Cypriano in exilium acto, qui cùm linguâ non posset, calamo proderat, Ἀλείπτης ὑπόρειος γίνεται, τοὺς προτρεπτικοὺς συγγράφων. Idem Epist. 170. extremâ, Ὡς ἀθλητῇ ἄριστον χῆδσαι παῖδες τῶν προσφωνήσεσιν ὑπαλείφοντες. Et oratione funebri Basilij, de Martyribus qui superfuerunt victoriæ suæ, ait eleganter, Ὑπολειφθῆναι τοῖς ἄλλοις ἀλείπτας τῆς ἀρετῆς. Est igitur ἀλείφειν officium Paracleti, cui voci respondet Chaldaïca מלין *doctor.* Fuit enim præterea munus aliptæ, qui gymnasij Magister erat, *docere* legem certaminum & exercitationis, ut ex Aristotele observatum est; ne quis porrò miretur unctionem hîc dici non exhilarare, aut corroborare, sed *omnia docere.* Πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, ut sæpe Socrates apud Platonem Apol. hoc est, *omnem rei veritatem.*

NOTÆ

NOTÆ
IN
APOCALYPSIN.

CAPVT SECVNDVM, ℣. 7.

Τῷ νικῶντι δώσω φαγεῖν, *Vincenti dabo edere.*] Hæc Ecclesia Ephesina oderat acta Nicolaïtarum, qui comedebant de Idolothytis: ideò promittitur ipsi perseveranti melior cibus, arbor vitæ. Sic Ecclesię Smyrnensi, quoniam in ea nonnulli complectebantur dogma Balaam, & Idolothytis vescebantur, si persevèraret eorum sectam fugere, promittitur *Manna absconditum*, hoc est, meliores dapes ijs quibus abstineret, panis Angelorum. Laodiceæ autem suadet Dominus, ut emat *vestimenta alba* quibus vestiatur, alludens ad pretiosa, sed summè nigra, vellera ovium Laodicenarum, de quibus Strabo lib. 12. sub finem: Φέρει δ' ὁ περὶ τὴν Λαοδίκειαν τόπος προβάτων ἀρετὰς, &c. εἰς τὴν κόραξιν χρόαν. unde reditus magnos, aliasque civium opes commemorat, quibus illustrantur & illa, ὅτι λέγεις, Πλούσιός εἰμι. Tum ut emat *aurum igne probatum*; quia Lydiæ urbs fuit Laodicea. Lydi autem Crœsi magis quàm Solonis memores affectabant opulentiæ famam; usque adeò ut nominibus ab auro petitis delectarentur. Chryseis, Chrysantius familiaria mulierum & virorum apud ipsos nomina. Antimachi poëtæ uxor Lyda Chryseis, Chrysantius Lydus author agonis Chrysantiani. Pactolus Lydiæ fluvius Chrysorohoas dictus. Chrysopole herba quâ aurum probant Lydi. Suadet autem Ioannes Angelo, ut aurum non herba, sed igne probatum emat. Accedit quòd Plutarchus de fluvijs docet, ubi de Pactolo loquitur: Γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῷ καὶ λίθος ἀργυροφύλαξ καλούμενος. ἔστι δὲ ἀργύρῳ παρόμοιος. ἔχει δὲ δύναμιν τοιαύτην. οἱ ἐν ἐξοχῇ τυγχάνοντες τῶν Λυδῶν συναγοράζουσιν αὐτὸν, καὶ πρὸ τῶν εἰσόδων τῶν θησαυρῶν τιθέασιν, καὶ διαφυλάττουσιν ἀκινδύνως τὸν διατιθέμενον χρυσόν· ὁσάκις γὰρ ἄνω φῶρες ἐπέλθωσιν, σάλπιγγος ἦχον ἀναδίδωσιν ὁ λίθος. *Generatur*, inquit, *ex Pactolo lapis* ἀργυροφύλαξ *terra patria, opinor, custos, argenti per quam similis, cujus hæc est vis. Inter Lydos præcipui coemunt ipsum, & ante thesaurorum suorum limina ponunt; itaque tuto repositum aurum asservant: Quoties enim fures superveniunt, lapis hic tubæ clangorem edit.* Plusquam verissimile est ad hæc talia respexisse Ioannem quæ apud Laodicenos, & Lydos omnes ut no-

tissima jactabantur in vulgus, cùm auctor est huic Angelo Ecclesiæ Lydæ, ut emat non lapidem illum, de quo tot fabulæ narrabantur; sed aurum veræ doctrinæ igne tribulationis probatum & excoctum. Quòd si Smyrnæ fuit templum Martis, in quo cultus fuit lapis niger, ut est apud Apollonium Argonaut. 2. λίθος μέλας ἱρὸς, huic pariter posset opponi lapis albus qui promittitur à Domino; quãquam fortè meliùs quadrabit allusio ad *lapidem fundationis* de quo tam multa Magistri nugantur, cui & insculptum aiunt fuisse nomen tetragmaton, itaq; unum nomen insuper hîc Dominus promittit, nec minùs arcanum, & longè suavius, nomen Patris. Nam sicut Abrahamo Deus innotuerat nomine Schadai, Mosi nomine Iehovæ: ità per Christum nobis nomine Patris, aut Filij Dei, quod eódem redit: hæc enim sunt τ̃ πατρὸς τι. An respexerit ad lapidem quo circumcisio peragebatũr? Μαχαίρας ἐκ πέτρας, & πετρίνας, vocant οἱ LXX. ad Ios. 5. sed & ψῆφος Exod. 4. de Sephora, λαβοῦσα ψῆφον, quod Hieronymus *calculum* reddidit. Iam verò solet Ioannes aquam & sanguinem, Baptismum cum Eucharistia conjungere. Sic *Manna* quod præcessit, ad Eucharistiam referri posset; ad Baptismum tanquam circumcisionem novam lapis albus, acutam significans aciem Verbi Dei quo cor circumciditur. Accedit novum nomen quod imponitur in Baptismo, nomen Christi. Augustinus, Confess. lib. 6. cap. 4 *Ecclesia unica corpus unici tui, in qua mihi nomen Christi infanti est inditum.* Quę si fortè subtiliora videbuntur, non tamen iterùm afferre desinam, quod epistolam ad Laodicenses illustret: Nam vestimenta quidem alba de quibus jam diximus, alibi memorantur. Alijs etiam orta ex divitijs superbia exprobratur. At collyrij mentionem in scriptura tota non alibi reperias quàm hîc

Καὶ κολλύριον ἔγχρισον ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμούς σου, ἵνα βλέπῃς.
Et collyrio inunge, vel intinge oculos ut videas.

Cum sæpè alibi de sanatione cœcorum loquatur, cur nunquam similem in modum Scriptura loquitur? Ioannes imprimis parem occasionem sæpe nactus collyrij similitudinem alibi nunquam usurpavit. Aliquid oportet igitur Laodiceæ fuisse proprium quod huic rei locum dederit: Nempe viguerant apud eam celebres Ophthalmici, maximè verò Alexander quem φιλαλήθη dictum Galenus testatur floruisse Laodiceæ in Phrygia. Hic autem Demosthenis Philosophi discipulus fuit: quem Demosthenem libros tres de oculis reliquisse probæ notæ idem Galenus autor scripserat de illabentibus in oculum animalibus, paleis, arena; de oculorum debilitate; de suffusione; de lagophthalmia; de lippitudine; de oculorum inflatione. Quid quòd hujus Demosthenis collyria duo à medicorum filijs celebrantur, & cataplasma ad oculorum

dolores? Consulendus iterùm de eo Strabo minimè vanus Auctor. Fieri prætereà potuit ut Laodicæ optima fuerint collyria; quem ex Doctoribus suis Ophthalmicis fructum reperit: quemadmodum hac dote, aut certè simili nunc Aurelia inter cęteras Franciæ civitates, pollere dicitur. Vtcumque est, suspicari certè liceat (nam nihil affirmo) ad id aut simile aliquid Ioannem allusisse, cùm non Smyrnæ, aut Ephesi, sed Laodiceæ Angelo collyrium præscripsit. Saltem hoc certum habeo, quod unum volo, cùm his in epistolis, tum in Scriptura cetera, multa dura nobis, & incondita videri, quæ talia non viderentur, si probè perspectas haberemus circunstantias omnes in quib' priscę illæ versabantur Ecclesię.



Norunt qui hanc editionem urgent, quàm serò nobis & alijs in mentem venerit consilium nos huic choro immiscendi: alioqui multò plura potuimus in hoc genere commentari. Quod & facturi sumus propediem, nisi qualecunque est hoc specimen, parùm placuisse intellexerimus. Certum enim habemus, in Divinus libris infinità esse vel nondum penitus eruta, vel ità infeliciter tractata, ut meliùs propemodum fuerit latere. Ad erudita Magnæ Britanniæ *ingenia hæc potissimum cura spectat, cum & cæteris abundent præsidijs, & alto fruantur otio sub* REGE θεοφιλεστάτῳ, *& rerum omnium quibus Pietas & Virtus continetur amantissimo.* CAROLVM II. *dico, cui post tot fide majores ærumnas, quas invicto animo pertulit, fide major Felicitas Dei gratiâ contigit: quam Felicitatem ut eodem animo ferat, voveo; id est, ut habenas Regni, quemadmodum incepit, ità moderetur, ut non tam Regna* Regi *reddita quàm* Regem *Regnis homines agnoscant. Belluas autem, si quæ supersunt humanâ facie indutæ, non moramur.*

Δόξα Θεῷ ἐν ὑψίστοις.

ALEXANDRI MORI DISSERTATIO AD MATTHÆI

CAP. XXIV. ✠. 28.

Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα (Luca 17. σῶμα) ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί.] Sacra parœmia eſt è Iobi cap. 39. petita commate 33. *ubicumque occiſi ibi aquila:* quæ tum ex ſcopo totius capitis, tum ex obſervationibus nonnullis, addo & ex diligenti vocum enucleatione, non unum in ſenſum interpretanda eſt; ſicut enim Oraculum illud Eſaiæ, Populus qui jacebat in tenebris, & in umbra mortis, magnam vidit lucem, varios habuit complementi gradus quaſi per intervalla; 1. reſpectu Iſraëlis ex Babylone reducis, ut patet ex loci circumſtantiis; 2. reſpectu Evangelij Legis umbras pellentis; 3. reſpectu Reſurrectionis & quidem perfectiſſimo quodam modo: nihil pariter vetat quin hoc dictum Chriſti ferè propheticum, in varios ſenſus ad varium Eccleſiæ ſtatum pertinentes diducatur.

Scopus hujus capitis non alius eſt quàm ut Dominus triplici Diſcipulorum quæſtioni, de templi excidio, de adventu Domini, de conſummatione ſæculi ſatisfaciat, quas Diſcipuli quæſtiones ità permiſcuerant, ac ſi hæc omnia uno eodemque tempore contingere oporteret; ſcilicet non exiſtimabant, ſuperbum illud ædificium cujus cauſa mundum à Deo conſervari opinabantur, niſi cum toto mundo corruiturum, cujus è ruïnis falsò exiturum imaginabantur corporale Meſſiæ regnum quale animo informabant, unde loco parallelo apud Lucam quæſtioni, quando veniet regnum cœlorum, hoc eſt reſtitutio Reipublicæ Iſraëliticæ per Meſſiam, eadem ferè quæ hîc, Dominus reſpondet. Attamen quia ità ferebat horum ratio temporum, cùm nondum ſpiritus datus erat, Ieſu nondum in gloriam evecto, & conditio Diſcipulorum impar majori lu-

mini sustinendo; necdum vini novi capax ad illa tria quæ promiscuè, ac indiscretè quæsiverant, respondet pariter Dominus, ita ut magis totius Ecclesiæ utilitati consulat, quàm Discipulorum desiderio & curiositatij serviat, sic enim responsum suum temperavit ut hinc singulis eorum quæstionibus apprimè satisfaciat, & ea proferat è quibus olim certè post Domini mortem planum sensum elicere potuerunt; Nam & alibi Dominus ea sæpè docet quæ nonnisi post eventum à reminiscentibus accipiuntur, nec interea scrupulum injecit eorum animis, vel scandalum obtulit ullum, quod tamen proculdubio contigisset ex nuda mysteriorum talium patefactione; non enim tempus quo ruitura erat superba illa templi moles, planè prędicere potuit, nisi arcanum mortis suæ, quæ templi excidium pręcedere debuit, aperire, cujus mentione mortis obstupefacti fuissent, ut sanè constat & aliorum, & Petri exemplo. Nec potuit planiùs verbis expedire quæstionem de adventu suo, nisi regnum suum spirituale fore ac cœleste palàm faceret contra quod illi animo fingebant, quo demum errore liberandi erant demisso Spiritu Sancto. Denique consummationem sæculi disertè ac explanatè proponere non potuit, nisi œconomiæ suæ rationes conturbaret, si tam longo intervallo distare templi excidium à consummatione sæculi doceret; quod scandalo ac scrupulo sanè locum dabat cùm instare tempus illud ac præ foribus esse, quo Dominus ad consummandum sæculum ac restituendum Israëlis regnum venturus erat constans esset opinio, quam nec eis eripere oportunum fuit; donec majori patientiâ & virtute, tolerandis quæ impendebant tribulationibus, uberiùs effuso spiritu armarentur. Adde quod eorum è re multum erat ut judicium, cujus hora ignota & incerta, quotidie ac singulis horis expectarent, undè hoc ipso capite dicit Dominus diem illum & horam se ignorare, solum patrem nosse, ferè ut Paulus dixit Corinthijs se nihil aliud nosse quàm Iesum crucifixum, quia nihil aliud constituerat ipsos docere. Verum hujus œconomiæ rationes alias reddemus alibi, nunc scopo ità delineato ad observationes proficiscamur.

Ac primò quidem obseruandum est Dominum de industria certóque consilio cùm de templi excidio vaticinatur, accommodatè ad mentem & captum interrogantium adhibere nonnulla quæ aliò referri possunt; nempe ad consũmationem sæculi adventumq; suum ut sunt sanè Domini sensa multò plura quàm quibus continentur verba. Hunc sanè locum patet ex Luca, liquido pertinere ad consummationem sęculi; cùm tamen apud Matthæum aliò referri possit ac debeat.

Secundò, observandum est judicium in gentem Iudaïcam, excisa urbe ac templo, & gente dispersa typum fuisse judicij universalis in consummatione sæculi; ut enim dispensatio legalis, qua Deus populum Iudaicum fovebat olim, typos & umbras habuit illius gratię, quam Deus

in gentes universas editurus erat: ità & judicium singulare, sed immane in clade horrenda Iudaici populi, referre debuit imaginem ac typum excidij, quo totus orbis corruet, ac judicij quo universæ gentes judicabuntur. Vnde illud sedebunt in 12. thronis judicantes tribus Israëlis. Nihil vetat, quin ea quæ de templo ac Iudaïci populi ruïnâ propriè dicuntur, mysticè ac typicè ad ultimum judicij referantur diem.

Observatio tertia, propheticus est quo Dominus hîc utitur sermo, ferè qualis est Ioh. in Apocal. Nec enim planis verbis utitur & ordine accurato, sed figurato, ac si fas est dicere, desultorio genere loquendi: Nulla intercapedine adhibita, ut mos est, Prophetarum, qui & ea sæpè conjungunt, quæ lato intervallo disterminantur, instar eorum qui objecta longissimè inter se dissita eminùs prospiciunt, ac de ijs ità loquuntur quasi coirent atque conjungerentur. Cum igitur hæc fuerit Christi œconomia in terris agentis, atque adeò Apostolorum jam docentium, ut judicij diem ultimi, vel ut proximum denuntiarent, non mirum est si excidium templi cum adventu suo Dominus tantùm non permiscuit; Itaque nonnulla retrahi ac retrò vestigia legendo extendi possunt, ac debent ad tempus Evangelicæ prędicationis, ac totum illud spatium quod inter excidium templi & judicium universale interfluxit.

Observatio postrema pendens ex priori: connexus hujus loci triplex animadvertendus est; Primus ad verba immediatè pręcedentia respicit: alter ad totum caput in universum: tertius ad finem capitis pręcedentis. Primò enim, postquam immediatè Domin⁹ prędixerat forè ut existerent Pseudoprophetæ dicentes Christum esse hîc aut illic: sed latentem, fugientem, ac sese subducentem hominum oculis in deserto, in cellis & conditorijs. Nolite credere, adjecit idem Dominus, duabus de causis: Prima, quòd adventus meus futurus sit illustris & patens omnium oculis, fulguris instar ab ortu ad occasum pervadentis, quod neminem latere potest. Altera quia post ascensum meum omnino alibi quęrere me debetis, quàm ubi ero, in cœlestibus locis, quod omnes in me credentes indubiè facient instinctu Spiritûs mei. Secundò, cùm ità respondat Christus, ut non tam curet quid scire cupiant, quàm quid expediat: ità Discipulorum sublevat infirmitatem, ut cum, sive persecutionem immanem tyrannorum, sive seductiones Pseudochristianorum, sive defectiones Apostatarum, signa tremenda & tristia sui adventus proponit, adhibeat, & inspergat suavissimas consolationes, nè in tam gravi tentatione fatiscerent, quales adversus triplicem illam ærumnarum seriem, hoc unico dicto, continentur. Nam quid potest tyranni furor adversus eum, cujus vita abscondita est cum Christo apud Deum, & qui nidum veluti suum posuit in cœlestibus locis, in quibus corpus Christi pro elemento habet suo, ut aquam piscis; mors autem quam tyrannus intentat illuc defert ac deducit. Deinde, quid potest ars illorum qui ex Pastoribus impostores

& ex Doctoribus seductores fiunt, contra eum qui Spiritus arcano instinctu Christum agnoscit, audit, contemplatur, degustat, complectitur, odoratur ut aquila cadaver suum, quem nullo lenocinio verborum, nullo sophismate hinc abstraxeris, ubi certò sibi conscius est positum esse thesaurum suum & summum bonum? Denique quid possunt apostatarum scandala, stante firmo Dei fundamento, cujus sigillum est, Dominus novit qui sunt sui, sed & hoc, Dominus agnoscitur à suis? Abrumpant illi unitatem Ecclesiæ, Oves meę, inquit, vocem meam audiunt, & aquilæ congregantur circa corpus meum; quę quidem ad caput hoc spectant in universum. Tertiò, à fine capitis pręcedentis arcessenda occasio videtur hujus loquendi formulę. Dixerat enim Dominus, *Ierusalem, Ierusalem, quoties volui te congregare, quemadmodum gallina congregat pullitiem suam sub alis suis: vos autem noluistis! Ecce domus hæc vestra deserta relinquetur*, hoc est templum exscindetur. Cùm igitur sequenti capite quęrunt Apostoli quando templum exscindetur, quid fiet nobis? Non tum, inquit Dominus, congregabo vos ut gallina glocitans pullos, hoc est Evangelij mei frequenti voce, ut tam sępè frustrà facio in terris: Sed post ascensum meum cùm exaltatus fuero traham post me omnia Spiritus mei efficacia interna & invicta, ut corpus mortuum aquilam necessariò trahit ad se vi quadam ἑλκυστικῇ cui resisti non potest. Faciam enim ex nolentibus volentes & πειθανάγκῃ quadam, hoc est dulci blandáque necessitate, ad corpus meum in cœlestibus locis compellam.

Porrò, ex his observationibus quatuor existunt interpretationes. Nam Christus spectari potest, vel ut in sepulchro Hierosolymis conditus; vel ut in cœli nubibus adveniens ad judicium; vel tertiò, ut in Evangelio & sacramentis crucifixus pingitur, ac exhibetur Ecclesiæ; vel denique ut ab anima fideli à deserto ascendente, non inter mortuos quæritur qui vivus est, sed in cœlis quò post resurrectionem ascendit, undè vexillum sui amoris explicat Cantic. Cantic. 2. commate 4. Vndè quadruplex interpretatio.

Prima sic habet, Post mortem demum meam Romani aquiliferi signa sua expandent adversus Hierosolymam obsidentes eam & expugnantes; & qui frustrà timebant si vivus relinqueretur Ioh. 11. commate 48. *Si dimittamus illum Romani venient & urbem ac gentem exscindent*; ij post mortem meam illicò ingruent, & aquilas suas in urbem inferent, me vivo nunquam facturi. Nam quod de Augustino dicitur Hipponem, cujus Episcopus erat, vivente ipso stetisse, postquàm verò extinctus est, statim obsessam & excisam esse: ut sanè de electis constat, hunc mundum stare propter ipsos, & casurum statim ac ipsorum numerus adimpletus fuerit; quanto potiori jure de Domino dici potuit, dum versaretur in terris, Romanos, nihil ausuros adversus Hierosolyma, ubi natus

& ubi ſepeliendus erat. Contrà verò, inquit. quoniam Iudæi me non dimittent, ſed occident, Romani poſtmodum venient virga furoris mei, mortémque meam ſupremo templi, & urbis, & gentis excidio ulliſcentur. Pendet hæc interpretatio à 15. hujus capitis commate, in quo idem alijs verbis dicitur, ſed ità tamen ut illic locus, hîc tempus deſignetur: Illuſtratio petenda non ex Dan. 11. & 12. quæ reſpiciunt ad Antiochi tempora collocantis in templo imaginem Iovis Olympij, quod huc non facit, ſed ex Danielis cap 9. com. 27. quod vertitur ab Hyeronimo, *& in templo abominationes deſolationis*. Nec aliter Theodotion ἐπὶ τὸ ἱερὸν, cur autem ità verterunt, ſcil. כנף quod ala propriè, ad alas Cherubinorum retulerunt, niſi fortè (πτέρα καὶ πτέρυγα, ἀετώματα καὶ ἀετοὺς, alas, pinnas, & aquilas, tecta templorum vocari quandoque, conſtat ex Scholiaſte Ariſtophanis, Galeno item ac Suida) partem illam templi pro templo acceperunt. Verùm alij non abs re per alas intelligunt Romanas aves, & aquilarum ſigna & exercitum Hieroſolymis involantem, quod patet ex comm. 26. ejuſdem 9 capitis, ubi Meſſias veluti Caput & Dux Romanorum Hieroſolyma vaſtantium depingitur, quia nim. Romanis uſus eſt Miniſtris vindictæ ſuæ adverſus gentem ingratiſſimam, & quòd ibi præcisè finienda deſolatio à Daniele dicitur, nobis videtur ad id referendum quod dicuntur à Matthæo, decurtati dies illi ἐκολοβώθησαν ἡμέραι, &c. Adde quod ala deſolationis apud Danielem poteſt intelligi velocitas legionum Romanarum in obſidione urbis, quâ omni opinione citiùs, expugnata eſt à Tito majorem in modum feſtinante Romam reverti ad opes & voluptates, quod à Tacito eſt obſervatum, ipſis quoque obſeſſis excidium ſuum accelerantibus cùm frumenta combuſſerunt, quod eſt à Ioſepho proditum. Cur autem abominatio deſolationis dicuntur aquilæ? Nempe Iudæi ſemper idola & imagines abominati ſunt, aquila verò numen Romanorum fuit, & inſculptæ in ſignis Cæſarum imagines pariter adorabantur. Tertull. Religio Romana tota caſtrenſis ſigna invocat, ſigna dijs omnibus præponit. Tacitus aquilas numina legionum & bellorum deos, Romanas aves propria legionum numina dixit: ſed præ cæteris luculentus eſt Ioſephi locus, ubi Iudæos facit Vitellium deprecantes nè copias ſuas per Iudæam traduceret, ideò quod patrio more conſpicere ijs imagines non licebat: neque verò quæ ſignis inſculptæ à Romano geſtabantur, οὐ γὰρ πάτριον αὐτοῖς εἶναι περιορᾶν εἰκόνας, &c. Vix tamen probatur nobis quod hîc à doctiſſimis obſervatum eſt viris, ad auream illam aquilam quæ juſſu Herodis majori templi portæ affixa eſt, propter quàm hippenni exciſam quadraginta juvenes flammis dati ſunt: longè præſtaret de vexillis Romanorum, templo illatis poſt expugnationem urbis accipere, niſi obſtaret quod Dominus hîc expugnationis futuræ ſignum prænuntiat, quale id non potuit eſſe quod urbe demùm expugnata contigit; omnino

reſpexit

respexit ad eadem signa in castris ex adverso templi Hierosolymitani à Tito constituta quasi quoddam templi illius imitamentum, in loco sancto, id est, in terra sancta, & ubi non oportet, ut Marcus habet; totâ enim circùm regione Idola & Imagines arcebantur: verba Taciti: *fulgentibus aquilis, signisq; & simulachris in modum templi*, quæ idcircò abominatio desolationis vocatur, quod apposité cum Luca convenit cap. 21. comm. 20. & 19. comm. 43. ὅταν ἴδητε κυκλουμένην πόλιν, &c. περιβαλοῦσιν, &c. quæ omnia desolationem ab exercitu Gentili & Idololatra, & quemadmodum loquitur Tacitus, Titum castris ante mœnia Hierosolymorum positis legiones instructas ostentantem, expansis velut alis, ut est apud Danielem, claré significant. Nec tamen per corpus mortuum Iudæos intelligamus, ut nonnulli, vel homines in peccatis mortuos ut alij, quanquam Habacuci cap. 1. Chaldæi aquilis, Iudæi gregi comparentur. Satius omnino est Christum intelligere, qui morte sua Romanos, mortem suam ulturos, velut accersiverit.

Interpretatio II. Si tamen ea quæ præcedunt immediaté vel ea quæ sequuntur verba respicimus, videntur hæc omnino ad ultimum Domini adventum pertinere. Nam hæc præcedunt, *sicut fulgur*, &c. *adventus filij hominis*: illa verò sequuntur, *apparebit signum filij hominis, statim, & mittet Angelos suos ad congregandum electos suos*, &c. Signum autem illud aspectabilis gloriæ suæ, de quo Esaias 11 cap. com. 2. ubi autem Dominus apparebit cogentur aquilæ, hoc est, fideles ad ducem suum rapientur, & convolabunt in nubibus, 1. ad. Thess. cap. 4. com. 17. Tractu spontaneo, & instinctu Spiritûs quæ rectè conveniunt cum præcedentibus immediatè, quibus exprimitur summa pernicitas per splendorem fulguris, eadem nunc per aquilæ volatum depingitur, qui apud Iobum cap. 9. com. 26. symbolum est summæ velocitatis, *ut aquila*, inquit, *volat ad escam*. Huc facit quod & Ælianus notavit, cæteras aves flexionibus in volando uti, solas aquilas in volando, sive sursum sive deorsum directo volatu niti: spatium itaque magnum celeriter emetiri; & quod Paulus ait, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, unde non raro patres Chrysostomus, Ambrosius, alij Martyres & Angelos congregandos circa corpus Christi, docent in illo die, tanquam alatos & regios accensos, quod fulciri videtur Lucæ cap. 7. & Ioh. 17. ℣. 28. Mittentur quidem Angeli ad reprobos, pariter & electos, diversa tamen ratione futuri, reprobis tanquam satellites & apparitores, qui trahent ipsos è sepulcris, & obtorto quasi collo rapient ad tribunal summi judicij, cujus authoritate ac imperio resurgent vi coactiva; Electis autem duces & anteambulones, quos ultrò sequentur, nec trahi sed duci se patientur, quippe qui efficacia & influxu spiritus ejusdem resurgent, qui excitavit Christum à mortuis Rom. 8. ℣. 11. tanquam membra cum capite cohærentia, & vi blanda spiritûs velut emergentia, cùm reproborum corpora, ut ea

quæ ſunt in aqua demerſa, uncis veluti quibuſdam & harpagonibus trahantur ad littus; Natantium verò viva corpora caput extans agiliter & ultrò ſequantur.

Interpretatio III. Tertiò, gravida hæc & prægnans vario ſenſu ſententia, itá poteſt accipi ut referatur non ad Chriſtum in ſepulchro Hieroſolymitano conditum, nec ad eundem venientem in cœli nubibus, ſed in Evangelij prædicatione depictum, veluti mortuum atque crucifixum, ut Paulus ad Galatas loquitur: quo ſenſu ea quæ præcedunt, non de judicio ultimo, ſed de prædicatione Evangelicâ intelliguntur, quæ inſtar fulgetri totum orbem pervolitavit ab ortu ad occaſum, Rom. 10. com. 18. & in Ep. ad Col. limine, adeſſe in toto mundo, ut prædicatum omni creaturæ dicitur Evangelium. Huc accedit quod paulò antè dicebat Dominus non eſſe audiendos, qui Chriſtum eſſe in deſerto, vel in conclavi, ſeu ſanctiori conditorio, ſeu penu cibaria (id enim eſt ταμεῖον) dicerent, ſenſus enim novi hominis tenebras à lumine, vocem ſponſi ac paſtoris à voce adulteri & latronis, pabulum à veneno, & odorem mortis ab odore vitæ djiudicant: ſpiritu non quidem dirigente alios, qui paſtorum eſt, ſed diſcernente, qui communis eſt ovium, præditi, poſterioris ad Cor. 2. com. 15. quod idem ſignificavit Dom. Ioh. 10 com. 32. Cùm ſurſum elatus fuero traham omnes poſt me. Nimirùm de cruce ſua, & hanc ſequuturâ Evangelij prædicatione loquebatur. Convenit autem inprimis hæc ſimilitudo aquilæ pro ſummo bono habentis cadaver, quod cæteræ omnes animantes refugiunt atque abhorrent, præſertim verò quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, tanquam horribile ſpectaculum, cum anima fideli Chriſtum crucifixum agnoſcente pro theſauro ſuo & pabulo vivifico cujus carne ac ſanguine libenter paſcitur, quem tamen Chriſtum crucifixum alij mortales, tanquam in eo nulla eſſet forma, nulla ſpecies averſantur. *Nihil eſt in eo*, inquiunt, *cur deſideremus eum*; *Quid eſt in dilecto tuo præ cæteris?* Græci Sophiſtam ſuſpenſum vocant, ut Lucianus; Iudæi תלוי vulgò, eodem ſignificatu, ut verè dixerit Paulus Chriſtum crucifixum, eſſe Græcis ſtultitiam, Iudæis ſcandalum: præcipuè verò Iudæis horrori fuit, ut patet ex Eſaiæ. 53. quia erant cum eo ejuſdem ſpeciei & gentis, & Meſſiam expectabant throno inſidentem non crucifixum.

Interpretatio poſtrema. Hic demùm locus, itá poteſt accipi, ut non tam eventus prædictionem quàm officij præceptionem contineat, non ſine dulciſſimo ſolatio adverſus afflictiones, de quibus com. 29. Neque particula γὰρ impedit, quam nec Syrus habet, nec vetus Interpres; atque itá Chriſtus hîc ſpectandus venit, non ut ſepultus Hieroſolymis, non ut veniens in nubibus, non ut crucifixus & prædicatus in Evangelio, ſed ut ſedens in cœlis ad dexteram Patris & pro nobis intercedens, & Eccleſiæ preces, eleemoſynas, & bona opera ſuſcipiens; Hinc Patres nos tam ſæpè revocant à terreſtribus ad cœleſtia, atque ex his maximè ver-

bis argumentum deducunt. Hanc mensam Chrysostomus ait, non esse cornicum, sed aquilarum, quoniam qui ad corpus hoc accedit excelsum esse oportet, nihil terreni sapere, non humi serpere, sed perpetim oculos in Christum in sublimi positum tanquam solem justitiæ defixos habere; Aquilas, inquit, vocat, quia debent perpetuò in cœlum niti, non ut serpentes mordere terram & vesci pulvere; Alam meam vis ostendam tibi, velociorem aquilinâ possum ostendere, quæ non ad viginti volat aut triginta stadia, nec ad nubes aut cœlum usque, sed suprà cœlos omnes ad dextram Dei. Huc etiam respexit consuetudo veteris Ecclesiæ in Liturgijs omnibus prodita, ubi Presbyter ante consecrationem exclamat, *Sursum corda*, Populus autem respondet, *Habemus ad Dominum*; quem esse morem vetustissimum patet ex Cypriano. Huc nos Apostoli pariter vocant ad Colloss. 3. com. 1. & 2.50. ad Eph 2.5. & passim ubi ad cœlos tanquam ad patriam & metam vocamur, atque adeò in cœlis conversari ut municipes dicimur, Philipp. 3. extremo. Et eò monemur oculos & capita erigere, undè Christus venturus est ad redemptionem nostri, ut siquidem cum eo resurreximus, cum eo vivamus, & de eo semper cogitemus, atque ità magis in cœlis quàm in corpore versemur: anima enim magis est ubi amat quàm ubi animat, vel, ut meliùs Scriptura, ubi thesaurus ibi cor, ubi cadaver ibi aquila: quæ mystica Christi cum fidelibus unio, & vis quædam veluti magnetica, rectè falsorum Prophetarum doctrinæ opponitur, adeóque rectè cum præcedentibus illis cohæret, *Si dixerint, est in deserto, est in conclavi nolite credere*, nempe quia cœlum patet, undiq; patet ad cœlum via: Nec jam ulli templo, nec jam ulli monti, vel ulli loco affixus est divinæ præsentiæ fructus, in spiritu & veritate positus. Ea tamen est humani natura ingenij ut Deum cœlo evocare, ac secum in terras deducere malit quàm in cœlum sequi, *Faciamus nobis Deos qui præcant nobis*, inquiunt aurei vituli fabri ac cultores. Faciamus hîc tabernacula tria, inquit Petrus: omnes autem Discipuli vehementer animo angebantur quoties Christus de discessu loquebatur. Nescij quanto potior esset lux & consolatio Spiritus corporali Domini præsentia. Hinc illa, *Domine si hîc fuisses, frater meus mortuus non fuisset*, quasi absens absentem sublevare Lazarum non potuisset: sed & altera quæ Christum postquàm frustrà quæsivisset in sepulchro, & hoc responsum tulisset ab Angelo, Noli quærere inter mortuos eum qui est in vivis, & corpus mortuum Christi subreptum existimâsset, ubi Christum viventem reperit tam ei (ut ità loquar) mordicus inhæret, tam ambitiosè complectitur, ut nunquam sibi ampliùs eripiendum putet. Castigat terrenum feminæ studium Dominus hoc dicto, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem*, quasi dicat, *Tempus instat quo non ampliùs quisquam in terris tanget aut adorabit pedes meos, maturè debes ab hoc ritu discedere, ut as-*

suescas interno cultui, quem solum, postquam ascendero ad Patrem, omnes fideles animæ mihi præstabunt, contingentes me, atque amplectentes fide, non in terra, sed in cœlis mecum versantes, non instar ovium, sed instar aquilarum prosequentes corpus mortuum trans nubes in cœlestibus locis.



ALEXANDRI MORI

AXIOMATA

THEOLOGICA,

Scripturarum interpretationi inservientia.

AXIOMA PRIMUM.

Sæpè Dominus occasione data utitur, ad id ut homines à terrenis ad cœlestia deducat.

CLARUM id in historia Samaritanæ mulieris Ioan. 4. quum ei Dominus dixit, *Aquam tibi dabo*: cur enim non dixit ei, ex Spiritu renasci oportere, quod Nicodemo dixit? aut cur non dixit Nicodemo se panem vivum esse, quod alijs dixit? Omninò, quia pro re nata rerum terrenarum, qua impressa erant apud homines quos alloquebatur, simulachra libenter usurpabat suæ saluti depingendæ.

Sic Samaritanæ mulieri de putei altitudine, ac Iacobo putei datore multa jactanti, commodùm de Spiritus aqua, Deique dono verba facit, *Qui biberit ex aqua quam ego ei dabo non sitiet æternùm*, Ioan 4 ℣.14. Sic eodem capite ℣. 32. & 34. quum eum Discipuli ut comederet invitarent, rogarentque, an aliquis ei dedisset ei edere? Respondit apprimè ad rem, *Cibus meus est ut faciam voluntatem ejus qui me misit.*

Sic ejusd. Evang. cap. 6. quum edidisset miraculum quo quinque panibus quinque millia hominum pavit, cumque turba die sequenti ea propter assequeretur, quod eis ipse Dominus exprobrat comm. 26. accipit occasionem de cibo non perituro, sed permanente loquendi, séque præ-

ferendi, ut anteà Iacobo putei datori, nunc Mosi datori mannæ ỽ. 32. & 35. & rursus ỽ. 49. déque illo mysterio, quo caro sua manducatur, ỽ. 44. & seqq. multa dicendi.

Sic Nicodemo nobili præ sapientia viro (erat enim unus ex magno Synedrio & ἄρχων τῶν Ἰουδαίων) non bibendum aut manducandum, sed renascendum esse dixit, ut ulcus obiter tangeret, altiorisque eum nobilitatis admoneret, atque à nimia sui generis ac splendoris admiratione ad cœlestem ortum ac regenerationem vocaret.

Sic Ioan. Apocal. 2. ỽ. 4. Prima, è septem, epistola, quæ est ad Ephesios, Dominum ità loquentem facit, *Vincenti dabo comedere de fructu arboris vitæ*; & sic ad Pergamenos, cùm in cæteris nihil tale occurrat. Notandum ergò has loquendi formulas opponi hæresi Nicolaïtarum, qui homines ad vescendum Idolothytis, & ad Ethnicorum convivia concelebrandum, non sine luxuria seducebant. Ephesij autem idcircò laudantur quod odio haberent acta Nicolaïtarum c. 2 ỽ. 6. Pergameni reprehenduntur quod inter eos essent qui doctrinam Balaam & Nicolaïtarum retinerent φαγεῖν εἰδωλόθυτα ỽ. 15 Pollicetur igitur Dominus utrisque, tum Pergamenis, modò Nicolaïtas ampliùs non imitarentur, nec eorum interesse sustinerent comessationibus in templis idolorum, tùm Ephesijs modò in suo adversus Nicolaïtas odio perseverarent, dapes longè quæsitiores, convivium longè optimum, hinc fructum arboris vitæ, indè manna reconditum.

Sic nè plura, Ioan. 7. ỽ. 5. quum dicit Dominus, Qui credit in me, flumina aquæ vitæ fluent ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ, captavit occasionem ità loquendi in festivitate illius diei magni, & Spiritum promisisse suum, idcircò existimatur sub aquæ symbolo, quòd eo die concelebrarentur quædam velut hilaria Iudæorum, & potui paulò liberaliùs indulgeretur, usque adeò ut Plutarchus Baccho fuisse sacrum hunc apud Iudæos diem prodere non dubitet. Verùm quia multa perperam Iudæis Plutarchus affingit, & frigidum videtur vino bene potis hominibus aquam promitti, longè præstat hujus occasionem dicti, ex ritu occupari Iudæorum qui traditur in Talmud tractatu de *Festo Tabernaculorum*. Solebant igitur Iudæi hoc ultimo & magno die, quod summa populi lætitia & pompa erat, aquam haurire ex fonte Siloam, ad radicem montis Sion scaturiente, haustamque grandibus haustris afferre ad Sacerdotes qui eam super altare fundebant, & supra dicebant ac decantabant illud Esaiæ cap. 12. ỽ, 3. *Haurietis aquam in gaudio ex fonte salutis.* Adde quod persuasissimum habebant, ut ijdem docent Magistri, Spiritum Sanctum suâ illâ lætitiâ usque adeò delectari, ut eos tunc maximè ad prophetandum inflaret, quod & Ionæ Prophetæ illo die contigisse narrant. Quid est igitur proclivius quàm ut eò Dominus respexerit, cùm dixit eodem illo die Σκηνοπηγίας extremo, *Qui credit defluent flumina*

aquæ vivæ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ, quasi dixerit, Haustas ex alio fonte aquas paro, perennes illas atque cœlestes quæ non ità defundentur in mundanum & lapideum altare, ut citò exarescant, sed in altare cordis carneum ità inundabunt, ut ex ijs fons perennis & manalis existat, & non propheticus ille afflatus quem superstitio vestra huic diei attribuit, sed verum Spiritus donum credentibus promissum, credentibus continget.

Porrò, quia non desunt quibus durum ac ferè subobscurum videatur quod ait Christus *flumina defluent ex ejus ventre*, non probamus quidem nimiam horum verecundiam, cum Scriptura, in qua nihil turpe dictum, non quidem γυμνῇ κεφ. distinctéque pronuntiet quod vetat pudor, sed crebrò tamen utatur illa quam Græci vocant εὐθυῤῥημοσύνην, ac sine ambitione suum rebus nomen reddat, quod videtur duriusculum delicatis auribus. At immeritò, cujus exempla rei alibi sufficimus è veteri maximè instrumento. Intereà cùm vix ullum locutionis hujus vestigium appareat in cætera Scriptura (nisi fortè apud Iobum ubi videtur venter sicut renes pro mente accipi, vel apud Prophetam exclamantem, *venter mi*) observare liceat in Græco non esse γαστέρα, sed esse κοιλίαν, quæ latè fusum significatum obtinet. sicut enim בטן Hebræis, ità ferè quid quid est κοιλὸν, omnis cavitas, Græcis κοιλία dicitur: & apud Medicos ipsum cerebrum quia cavum. Prætereà Grammaticorum facilè doctissimus Hesychius κοιλίαν reddit ὀχετόν. Est autem ὀχετὸς, rivus, canalis, aquæ ductus. Quid igitur? Si diximus κοιλίαν hîc esse rivum, sensum profectò bonum, & sponte fluentem invenerimus, flumina fluent ex ejus rivo. Planè sicut in eodem Evangelio idem Dominus eodem de argumento, sub eadem imagine verba faciens, dixit Samaritanæ Ioan 4. ℣. 14. *Aqua quam ei dabo fiet in eo fons saliens in vitam æternam.* Sic jam dicit Iudæis, *Qui credit in me, flumina salient ex ejus rivo*, id est, rivus quem ei dabo fiet in flumen saliens. Vtrobiq; mens eadem, fore sub Novo Testamento ut non modò quantum satis est cognitionis ad salutem unusquisque ex Spiritu Christi haurire potuit, sed etiam ut alios doceat & consoletur, ut ejus cognitionis fructus & utilitas in quamplurimos redundet, juxta id quod habetur Proverb. 5. ℣. 15. verbis non alienis ab instituto nostro; Metaphora enim desumitur à rivis qui solent in agros deduci fœcundandi gratiâ, & in locis ibi excavatis hærere. Ac Spiritum suum dixit Dominus fore quidem rivum initio, sed qui deindè pariat in se flumen ac ingentem copiam & vim aquarum ex se fundat: vel metaphora petitur à conceptaculis aquarum lapideis, undè per tubos deinde aqua funditatur, in plerisque fontium, & κοιλίας nomine venire possunt cùm sint excavata. Hebræi vocant בטן. Et in lib. Regum ædificiorum projecturæ ventris nomine dicuntur, & Latinè sicut Gallicè non multùm alieno sensu ventrem facere dicimus. Prior metaphora tamen tùm in Hesychij authoritate, tùm

ex collatione loci, ubi Dominus ad Samaritanam in eadem verba loquitur, pondus habet longè maximum.

AXIOMA II.

Sæpè interpunctatione sublata, vel mutata sensus fit illustrior.

NON desunt in Veteri Testamento locorum exempla, qui distinctione mutata explanantur, licet enim puncta vocalia nefas existimemus pro libidine immutari, cùm præsertim, an divino instinctu & afflatu prodita sint, an à Masoretis reperta nondum liqueat, interea puncta & notas, quæ distinctioni tantùm inserviunt, humanæ industriæ imputari debere, atque ubi res id exigit mutari posse dubitat nemo. Ipsi tradunt Hebræi totam Legem fuisse quasi פסוק unum atque periodum unam, vel secundùm alios, & distinctionem unam, exceptis nominibus divinis, ut scribunt Maimonides & Elias in præfatione trium Masoreth, quia ipsa distinguentium apud Hebræos accentuum natura id patitur: Non enim semper distinguunt quantumvis eorum sit officium. Sæpè Atnach, præsertim in Psalmorum, Iobi & Proverbiorum libris, vel minori distinctioni servit, vel nihil omninò distinguit. In ipso limine Bibliorum, *In principio creavit Deus cælum & terram.* Atnach est in voce אלהים, ubi tamen distinctio nulla, & Psal. 11. ℣.5. *eum qui diligit iniquitatem odit anima ejus*, vox חמס quæ iniquitatem significat; afficitur accentu Atnach, neque tamen distinctionem patitur; Atque hinc nata est controversia Psalmo 20.℣.10. in illis verbis, *Domine serva, Rex nos audiat in die qua invocaverimus*, quæ versio est Hieronymi talium peritissimi: cùm tamen & Vulgata, & Arabica, & Vatabli edita nomine sic habeant, *Domine salvum fac Regem & exaudi nos in die quo invocaverimus*, dùm alij Atnach qui subest voci הושיעה conjungere volunt, alij volunt periodum distinguere.

Sic 1. Reg. 4. ℣. 21. malè conjunxit vulgatus Interpres quæ erant dividenda; Dicit enim Salomonem in sua ditione habuisse omnia regna à flumine terræ Philistæorum, usque ad terminum Ægypti; Sed ut quis sit ille fluvius divinemus opus est Oedipo & natatore Delio. Vertendum fuit à flumine & à terra Philistæorum, quod Hebraïcarum vocum notatio requirit, ut per terram Philistæorum intelligatur mare mediterraneum, quod illam terram ferè alluit, ut fuerint tres termini regionis Israëlitidis, Euphrates qui est fluvius magnus, Mare mediterraneum quod est mare magnum, & Rhinocorura Ægypti fluvius. Confer. Gen. 15. ℣.18. Deut 11. ℣.24. & Ioan. 1. ℣.3. Sic Hieronymus tradit in Esaiæ cap.38. ℣.12. in hæc verba, *cessavit generatio mea*, sive, *ablata*

est, se junxisse verbum חדל superioris clausulæ, cùm tamen aliò referri non incommodè possit.

Ità in Novo Instrumento capitum, commatúmque distinctiones, cola, virgulas, & interpunctiones additas esse à pijs hominibus & industrijs, quibus non rarò id accidit quod hominibus solet: quæ res immane quantùm eos qui Scripturæ sensum, afficit, penitiùs indagant neq; absq; fructu & operæ pretio sagax Interpres aliquod exemplar, in quo continenter ac eodem ductu tota series Evangelici sermonis exhibeatur, nancisci conabitur, & citrà præjudicium versabit: quanquam & hic modus adhibendus, & sunt certi denique fines, quos ultrà citráque nequit consistere verum. Quàm enim frigidè abutantur hoc jure, qui in verbis Domini, *Amen, amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso*, interpunctionem adhibent post hodiè, quasi sensus foret, *dico tibi hodie*, clarius est, quàm ut probari indigeat. Perperàm & veteres Hæretici, Ioannis Evangelistæ cœlestia illa verba, *In principio erat verbum*, καὶ θεὸς ἦν puncto dividunt, & comma secundum ità incipiunt, ὁ λόγος οὗτος; & novi verba illa in quibus Iesus Christus Deus in sæcula benedictus dicitur, dilacerant ut post Christum, adhibita interpunctione, dicant cætera instar Epiphonematis esse, deprompti ex Iudæorum formula. Deus nempe sit in sæcula benedictus. Nec-non in Epistola ad Titum cap. 2. ℣. 13. in istis verbis, μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, post vocem Θεοῦ distingunt, ne Christus intelligatur: sed horum satis insaniam prodit quod articulus desideratur τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος, si enim eadem persona non intelligeretur dicendum erat τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ τοῦ σωτῆρος. At verò siquis hac observatione utatur, sensus modò luculentior efficitur, modò amplificatur & ditescit.

Sic Apocal. 13. ℣. 8. ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς τοῦ ἀρνίου ἐσφαγμένου ἀπὸ καταβολῆς κόσμου,] verti solent ut agnus mactatus dicatur, jam indè à jactis mundi fundamentis, valdè quidem bono sensu, & in Scriptura sacra benè fundato, etiamsi Theologo insigni aliter videatur; Attamen si cui libuerit consulere libri ejusdem caput 17. ℣. 8. ubi hæc verba Ioannes posuit; ὧν οὐ γέγραπται τὰ ὀνόματα ἐπὶ τὸ βιβλίον τῆς ζωῆς ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, jam non dubitabit quin postrema hæc verba ἀπὸ καταβολῆς κόσμου capitis 13. ℣. 8. interpunctatione post vocem ἐσφαγμένου adhibitâ ad librum vitæ ab æterno, & ante jacta mundi fundamenta scriptum, in libro Dei referri debeant, non autem ad mactationem agni pertineant.

Sic Heb. 2. ℣. 9. Τὸν δὲ βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον βλέπομεν Ἰησοῦν, διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον.] Verba quæ intercolantur διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, pro varia interpunctione, vel referri possunt ad vocem ἠλαττωμένον quæ præcessit, nempe Christus mortis suæ triduo rectè dicitur minor factus Angelis ad breve tempus, quod

quod βραχύ τι significat, vel possunt referri ad vocem ἐστεφανωμένον quæ sequitur, Christus enim propterea coronam gloriæ tulit, quia passiones crucis pertulit, quia de torrente bibit: propterea exaltavit caput, quia sese usque ad mortem crucis exinanivit: propterea ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσεν, & largitus est ei nomen supra omne nomen.

Pari planè pacto 1. Pet. 5. ℣. 10. ὁ καλέσας ἡμᾶς εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ δόξαν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὀλίγον παθόντας, αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς, hæc verba ὀλίγον παθόντας, vel referri possunt ad vocationem quæ præcedit, atque id rectè; Nam per afflictiones ad gloriam vocamur. Quod igitur doctissimus Exercitator pugnat id esse incommodum, quia vox παθόντας præteritæ significationis est, minùs persuadet, non enim cohæret vox παθόντας cum vocatione tantùm, sed cum gloria. Nempe vocamur ad gloriam potiundam, non antè tamen quàm passi fuerimus. Vel eadem verba referri possunt ad καταρτισμὸν qui sequitur, ut sit mens: Deus post modici temporis passiones perficiat & confirmet vos, ut habet ipsa Gallicana versio, ne quis tanquam novum & à se repertum proferat.

Sic Heb. 9. ℣. 11. Verba hæc, διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκηνῆς, vel referri possunt ad præcedentia interpunctione sublatâ post vocem ἀγαθῶν atq; ità de Christi humanitate accipi quæ divinitatis tabernaculum veluti quoddam fuit, sive templum in quo inhabitavit: ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, inquit Ioannes, vel in tabernaculo habitavit: vel posita interpunctione post vocem ἀγαθῶν, referri debent ad sequentia illa, εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, ut intelligatur ἡ μείζων καὶ τελειοτέρα σκηνὴ de tabernaculo cœlorum aspectabilium, per quos iter est nobis ad sanctuarium cœleste. Qui sensus posterior in primis consentaneus videtur: Deus extendit cœlos ut cortinam tabernaculi Psal. 104. & in hac ipsa Epistola c. 8 ℣. 2. Christus vocatur Minister veri tabernaculi, quod fixit Dominus, non autem homo, ubi planum est per tabernaculum cœlos intelligi, ubi Dominus pro nobis intercedit; & ejusdem Epistolæ capp. 4 & 6. dicitur Christus penetrâsse trans velum, nempe tabernaculi, hoc est, trans cœlos.

Sic Heb. 10. ℣. 38. ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. Ità intelligitur à Veteribus nonnullis, ut ex fide, non ex lege, justus dicatur consequi vitam, distinctione post vocem πίστεως adhibitâ, contra quam fieri solet ubi justus dicitur ex fide sua vivere. Sic Rom 7. 24. τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου, quidam ità distinguunt ut vocem τούτου ad corpus non verò ad mortem referant, hoc pacto, *quis me liberabit à corpore mortis hoc, non à corpore mortis hujus*, quæ est recepta interpretatio. Sic Rom. 8. ℣. 2. ὁ νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριστῷ ἠλευθέρωσέ με ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου. Triplici potest distinctione in tria

membra dividi, ut liberati dicamur ab hoste triplici, lege, peccato, & morte, quanquam oppositionis lex magis requirit, ut liberati dicamur à lege peccati & mortis per legem Spiritûs & vitæ

Sic ad Philipp. c. 1. ẏ. 21. ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν χριστὸς καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. Si post vocem ζῆν adhibeatur distinctio, sensus erit, mihi Christus & in vita & in morte lucrum, qui profectò sensus instituto Apostoli consentaneus est: ad collectionem verborum si spectemus, longè proclivius est, ut sine ulla trajectione reddamus, mihi vivere Christus & mori lucrum est, nulla nisi post vocem χριστὸς interpunctione facta, sic & Syrus & alij complures, ut idem Apostolus Philippensibus dixerit quod Galatis cap. 2. 20. ζῶ δὲ, οὐκ ἔτι ἐγὼ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ ὁ χριστός.

Sic. Col. c. 2. ẏ. 3. ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. Hunc locum Interpretes ità instituunt ac distinguunt, quasi ἀπόκρυφοι referatur ad εἰσι, & interpretationem ità faciunt, In Christo latent omnes thesauri, quasi lateant & abscondantur in Christo: non autem revelentur atque pateant hi thesauri; vel quasi toto capite, adeóque tota epistola non doceret Apostolus quæ ante latuerant mysteria in Christo, jam exposita nos habere. Deinde vox ἀπόκρυφοι longiùs paulò distat ab illis ἐν ᾧ εἰσι, quàm ut eò, necessitate nulla, retrahi debeat. Sanè quinam sint hi thesauri satis liquet ex præcedente commate: nihil enim designant aliud quàm quod Paulus novissimè vocarât πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας, &c. Cæterùm hæ divitiæ certitudinis intelligentiæ mysterij Dei explicantur, & non latent in Evangelio: in Christo enim, ut postmodum ait Apostolus, habita & contemplanda sese probat omnis plenitudo Deitatis, idque σωματικῶς, non autem in umbra, sed in re ipsa & luce liquida, & imagine viva. Commodiùs igitur absque ullius trajectionis molestiá vox ἀπόκρυφοι interpretabitur ὡς κεῖνται, & eam retinebit sedem in qua collocatur, ut sensus hic existat, in quo Christo sunt, & adversantur nobis omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi: nempe olim tempore legis, quo respectu mysterij nomine veniunt: nec procul petenda nobis est huic rei probatio: Dicam, an demonstratio? Capite præcedenti ẏ. 26. & 27 loquebatur Paulus de mysterio quod absconditum fuit à sęculis ac ætatibus, nunc autem conspicuum factum fuit sanctis ejus, & mysterium illud vocat divitias mysterij hujus inter Gentes. Iam verò dicit esse in Christo divitias easdem, sive thesauros sapientię hujus mysterij absconditos, nempe à sęculis & ætatibus absconditos, nunc autem exhibitos in Christo Sanctis ejus, ut paulò anteà loquebatur. Nec aliter Paulus 1. Cor. 2. 7. vocat sapientiam in mysterio occultam, nempe olim occultam temporibus V. T, quam Deus pręfinivit ad gloriam nostram, hoc est, quâ beare nos & Evangelij tempora illustrare atque glorificare ab æterno decrevit. Nihil autem obstat quod vita nostra dicitur abscondita in Christo, Col. 3. 3. Ibi enim loquitur

Paulus de vita æterna, quod patet ex ℣. 4. *quum Christus vita nostra apparebit, vos cum eo apparebitis in gloria.* Hîc verò de cognitione loquitur Evangelica, quæ in Christo apertè liquideque revelatur, déq; sapientia quam Deus in hoc sæculo largitur.

Sic Luc. 2. ℣. 14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.] Sunt qui post vocem ὑψίστοις punctum adhibeant, ut significent gloriam esse in excelsis, propterea quod inter cœlum & terram pax facta sit; quamobrem sequentia connectunt Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη. Alij bimembrem duntaxat periodum faciunt, neque dividunt vocem εἰρήνη à sequentibus ullo puncto, & legunt εὐδοκίας. Hoc sensu, Pax in terra, non erga quoslibet, sed in homines beneplaciti. Vide quæ dicta sunt ad h. l. in Notis superioribus ad quædam loca Novi Fœderis.

Sic 1. Cor. 7. ℣. 29. Ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν ἵνα καὶ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι.] Alij pungunt post vocem ἐστιν, ut ἵνα novam periodum ordiatur, sensusque sit, tempus contractum est in posterum. Alij punctum appingunt post vocem συνεσταλμένος. Deinde Apostolum sic loquentem faciunt τὸ λοιπόν ἐστιν, superest ut qui uxores habent, *&c.* quæ τοῦ λοιποῦ formula, ut Latinè *cæterùm*, Gallis *au reste*, per quam familiaris est Apostolo.

Sic dubium non est quin Apocal. 1. ℣. 5. prava sit distinctio, καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστός, qui videtur Solœcus non erit, modò hæc verba ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ in præcedens comma rejiciantur. Deinde, alterum comma sic incipiet ὁ μάρτυς ὁ πιστός. Testis ille est fidelis.

Sic Augustinus de Doctrina Christiana, libro tertio, cap. 2. πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον.] Philipp. 1. ℣. 23. Sibi videri ait cum sequentibus compungi posse, quasi optimum in carne manere, idemque necessarium Apostolus judicaret, quod nobis intereà non est ambiguum, plausibilius Paulo.

2. Cor. 7. ℣. 11. Καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος.] Reddi possunt hæc verba pungendo post vocem πνεύματος ex Augustino, *Purificemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctimoniam in timore Dei. Sed recepta distinctio nimium sponte fluit quàm ut sollicitari debeat.*

Sic 1. Tim. 3. ℣. 14. Ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα, & quæ sequuntur. Prestat omnino columnam veritatis referre ad illam templi Salomonis columnam, de qua 2. Reg. 11. 14. & 23. 3. & 2. Chron. 6. 13. cui Reges insistebant veluti fulcro, & ἑδραιώματι, quoties ad populum verba faciebant. Ecclesiæ igitur tanquam columnæ illi regina veritas insidet. Interpretationem adjuvat nostram, quòd Ecclesia hîc οἶκος Θεοῦ, id est, templum Dei, similitudine petitâ à Salomonis templo, sed de his fusiùs nostris ad hunc locum animadversionibus

Sic nonnulli volunt verba quæ commate 14. capitis primi Ioannis ab-

solvunt, & referuntur ad λόγον inchoare comma 15. & referri ad Ioannem hoc pacto πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ. Ità concinnè χάρις ad nomen Ioannis alluderet quo gratia continetur, ἀλήθεια ad ejus testimonium spectaret. Sed longè præstat retinere receptam distinctionem, cum continenter 16. commate τὸ πλήρωμα τοῦ λόγου memoretur, adeóque per Mosem data esse veritas,& gratia per Christum dicatur.

Sic Heb. 3. ℣. 9. Hæ voces, *40. annis*, in Psalterio Arabico conjunguntur cum verbo *viderunt*. In cæteris editionibus Psalterij cum sequentis commatis verbo προσώχθισα, sive, *infensus fui*. Ideóque idem Apostolus ejusdem capitis commate 17. ut quàm liberum esset, ostenderet cum verbo προσώχθισε τεσσαράκοντα ἔτη conjunxit.

Sic Ioannis capite sexto. ℣. 45. πᾶς οὖν ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθὼν, ἔρχεται πρός με. Virgula post vocem μαθὼν, potest deleri: nam hîc Dei doctrina doctrinis hominum opponitur. Non si quem docent homines continuò discit, at si quem Deus docet & discit. Si quis Patrem audit, hoc est, à Deo docetur, juxta illud, ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, & discit & ad Christum venit;omnes enim qui docentur veniunt comm. 37. & soli veniunt qui docentur comm. 44 Igitur quando conjunguntur hæc verba, ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθὼν, videtur designare aliquos audire patrem, sive à patre doceri qui non discunt, cùm tamen ea sit vis doctrinæ Dei, ut nemo docentem intus audiat qui non obediat, nemo doceatur qui non discat,& ad Christum veniat. Melius igitur distinguuntur ut sit mens. Quicunque Patrem audit, id est, quicunque à Patre docetur necessariò discit, & discendo ad Christum pergit.

Sic Ioan. 7. ℣. 38. Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος.] Cùm hæc postrema verba nullibi extent in Scriptura, putantur non cohærere cum istis καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ verùm ad præcedentia pertinere, ut sic legatur; ὁ πιστεύων καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ unico tractu, atque sic denuò distinctio adhibeatur, & verba Domini sequantur, *flumina aquæ vitæ*, &c. Chrysostomus, καὶ ποῦ εἶπεν ἡ γραφὴ ὅτι ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος; τί οὖν ἐστιν ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, ἐνταῦθα ὑποστίξαι δεῖ, ἵνα ᾖ τὸ, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν τῆς αὐτοῦ ἀποφάσεως. Cum Chrysostomo Syrus Interp. facit: nam hęc verba, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, sicut Scriptura dicit, vel potiùs *edicit ac jubet* (id enim est Hebræis & Arabibus אמר) cum præcedentibus connectit ac insuper, non *sicut Scriptura dicit*, habetur apud eum, sed *sicut Scripturæ dicunt*, ut non ad unum locum, sed ad plures Veteris Testamenti allusisse Dominum inducat. At hîc nobis ostendendum esset rationem constare, quamobrem hæc verba, καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ ad sequentia referantur, uti vulgò referri solent, quippe illa sequentia, *flumina aquæ vivæ defluent*, ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ, non quidem, αὐτολεξεὶ,

& verbo ad verbum, sed καθ' ἰσοδυναμίαν & æquipollenter apud Esaiam & Ezechielem reperias, quod satis esse alibi docebimus cum bono Deo.

AXIOMA III.

Interrogationis nota quum adhibetur sensus interdum longè fit illustrior.

SIc Iob. 13. ℣. 15. *Etsi occiderit me in eum sperabo*] Redditur *in eum* quasi esset לו cum ו: cùm tamen legatur לא cum א, id est, *non.* Et Masorethæ dicunt esse unum ex illis locis, qui cùm scribantur לא, id est, *non*, legantur tamen לו cum ו, id est, *in eum.* Quod si legeretur ὡς κεῖται non tamen diversa esset interpretatio, modò cum negatione לא interrogationis nota ponatur, nec enim aliud sonat interrogando, *etsi occiderit me non sperabo in eum?* quàm, *etsi occiderit me sperabo in eum* absque interrogatione; adeóque interrogatio cum negatione vehementius affirmat.

Sic Gen. 4. ℣. 23. כי Hebraïcum interrogationi inservit juxta sententiam Chaldæi Paraphrastæ, *quia virum occidi?* id est, *quasi ego virum occiderim*, vel, *An ego virum occidi ut Caïnus occidit Abelem juvenem?* quo loco Lameth dehortatur mulieres ab odio quo in eum exardescebant, *quid commerui? An fratrem juvenem, ut ille interfeci?* Quanquam alij rectè dictum interpretentur gloriosum, quasi diceret, *quamvis res mihi esset cum robusto & juvene viro, tamen eum occiderem.*

Sic 2. Sam. 16. ℣. 18 *Non essem ejus & cum eo manerem?*) Ità leguntur ab alijs ut absque negatione, & ab alijs ut absque interrogatione fundant eundem sensum, quippe negatio cum interrogatione validæ affirmationi æquivalet. Itaque res eodem volvitur.

Sic Esai. 49. ℣. 6. *Parùm est ut sis mihi servus,*] aut, *parva res est.* LXX. reddidere, μέγα σοί ἐστι τοῦ κληθῆναι παῖδά μου. Sensu in speciem contrario, sed uno eodémque, si verbis Prophetæ nota interrogationis appingatur. Docet appingendum Chaldaïca Paraphrasis; *Num quid parum est vobis quod vos vocemini Servi Dei?* Planè LXX. legerunt ut Chaldæus cum interrogatione, *parum est ut sis mihi servus*, id est, *magnum est*, ut illi converterunt.

Sic Mich. 5. ℣. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvula es in millibus Iudæ.*] LXX. καὶ οἶκος Βεθλεεὶμ ἐλαχιστος εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλίασι Ἰούδα. At planè contradictorium haberi videtur Matth. 2. 6. καὶ σὺ Βεθλεὲμ γῆ Ἰούδα οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα. Evangelista clarè negat quod affirmat Propheta. Quid igitur, an dicemus non ab Evangelista, sed à Pharisæis & Scribis (quia Evangelista dum eos facit loquentes eorum dicta recitat fideli-

liter historiæ ritu) mutationem hujus modi profectam esse? Mutilârunt equidem illi locum & μηδαμῶς extulerunt, nec addiderunt palmarium illud, *Et egressus ejus à diebus æternitatis*, κολακεύοντες τὸν βασιλέα, inquit Chrysostomus. At corrupisse locum non fit verisimile, cùm præsertim ea de re Matthæus nihil admonuerit, & cùm ea mutatio nihil veritati nocere potuerit. Plausibilius Evangelistam post impletam Prophetiam dixisse quod res erat, cùm Propheta prędicaret quod non erat. *Nunc equidem*, inquit Propheta de suo loquens ævo, *minima es*. *Nunc*, inquit Evangelista de suo loquens tempore, *minima non es ampliùs*. At fortè meliùs dixerit Propheta fuisti, juxta Chaldæum Paraphrastem, cujus hæc sunt verba, *Quæ minima fuisti adeò ut computareris inter millia Iudæ*: Sensu egregio: *fuisti minima*, dicit Propheta, *non es minima*, dicit Evangelista. Consentanea nimirùm loquuntur. Non est novum neque insolens apud Prophetas, ut quum aliquid notæ futurum est, fuisse jam dicatur. Sed omnis penitùs difficultas tollitur, si cum interrogatione legatur Prophetæ locus, quod fieri sępè videmus, etiam ubi nota interrogandi nota desideratur, ut hoc loco; Nam ipsa pronuntiatio interrogationem facit, etiam ubi nota non appingitur, juxta illud monitum Concilij Aquisgranensis; *Multa sunt in Scripturis quæ nisi modo proprio pronuntientur in contrariam recedunt sententiam.* Sic Ierem. 31 32. Quod in Hebręo affirmatur, LXX reddunt negativè, non sine interrogatione. Sed luculentus præ cæteris est locus, & huic simillimus, quem suprà ex Esai. 49. reddidimus. Aiunt nonnulli minimam, respectu aliarum civitatum vocari, non minimam, quia ex ea Dominus nasciturus erat: quæ tamen etsi vera sint non solvent nodum; quippe ut sua constet fides Evangelistæ, opus omninò est eodem sensu, atque respectu accipiantur quàm Prophetæ verba, nempe ut impleatur quod per Prophetam dictum est. Hugo Grotius de Zorobabele Prophetæ locum intelligit, sed impudenter, si Chrysostomo credimus, τινὲς, inquit ille, ἀναισχυντοῦντες περὶ Ζοροβάβελ πάντα εἰρῆσθαι. Omnium itaque solutionum commodissima videtur, quę notam interrogationis Prophetę addit. Et cùm tot expediendi se viæ aperiantur: Mirum profectò quomodo Hieronymus, contra quem Augustinus, lapsos hîc esse memoriæ lubrico Scriptores θεοπνεύστους dixerit. Longè magis ad rem quod idem Hieronymus prodit, Codices fuisse, quosdam LXX. Interpretum in quibus Prophetæ sensus cum negatione redderetur: undè Matthæus deprompserit verba sua. Solent nempe Scriptores Novi Testamenti versionem LXX. etiam quando ei cum Hebræa origine parùm convenit retinere, ad hominem, ut ità loquamur, disputando. Erat enim versio illa summa in existimatione apud Iudæos. Vide Axioma VIII.

Sic Ioan. c. 1. ℣. 50. *Quia dixi, me vidisse te sub ficu credis.*] Nonnulli, *credis?*

Sic Rom. c. 8. ℣. 33. Τίς ἐγκαλέσει κατὰ ἐκλεκτῶν Θεοῦ; Θεὸς ὁ δικαιῶν.] Pertendit verba hæc Augustinus, *Deus qui iustificat*, cum interrogatione legi debere, non ut vulgò simplici affirmatione, *Deus qui iustificat.*

Sic Marc. 16. ℣. 6. Regia Biblia cum interrogatione legunt, ζητεῖτε τὸν Ναζαρηνὸν τὸν ἐσταυρωμένον; sed ex Matth. 28. 5. patet non ita esse legendum, *Scio*, inquit, *quod Christum, qui crucifixus est quæritis.*

Sic Ioan. 8. ℣. 25: Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν.] Cum interrogatione etiam legi potest: Nam τὴν ἀρχὴν adverbialiter positum significat à principio, & ità reddi solet optimè locus, *id sum quod à principio dico vobis.* Tamen quia plerique Codices habent ὅτι quod adverbium est, non ὅ, τι, per ὑποδιαστολὴν, quod pronomen, potest illud ὅτι significare *utique*, vel *quia*, vel *certè. Quianè vobiscum ego primùm loquor? quasi non id quod quæritis aperuerim jam olim anteà? Primùm-nè utique vos etiam nunc alloquor? non id sæpè jam antea docui?*

Sic Ioan. 2. ℣. 4. Dicit Dominus Matri suæ, Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι, οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου.] Quæ verba tùm duriora Matri accidere videntur, tùm explicatu difficilia: cum de qua hîc loquatur Dominus hora sit incertum. Primò, *hora Domini* de passione liquet intelligi ex Ioan. 7. 30. & 8. 20. Vndè Augustinus, *Miraculum*, inquit, *exigebat Mater, at illa non agnoscit viscera humana, tanquam dicens quod de me facit miraculum, num tu genuisti? Divinitatem nùm tu genuisti? Sed quod infirmitatem meam genuisti, tunc te agnoscam quum infirmitas ipsa pendebit in cruce, hoc est enim, nondum venit hora mea.* Tract. 8. in Ioannem, & lib 2. De Symbolo ad Catechumenos cap. 3. *Matri paulò imperiosiùs jubenti filium respondisse*, ait, *Nondum venit hora mea, tanquam ei dicens, veniet hora quando id quod natum est de te in cruce pendens agnoscet te, & dilecto Discipulo commendabit te.* II. Porrò, cùm hora tempus unicuique rei opportunum & tempestivum sit, ad miraculum quod poscebatur Dominus hîc referri potest, quasi dixerit, *Nondum tempus est miraculi quod rogas designandi, nondum defectus vini satis agnoscitur, ab indigentibus rogari; non à te debet. Nam de nuptiali vino pars aliqua fortè recesserat, ideò nondum erat Domini plena hora virtutum, nè miscere magis elementa quàm mutare videretur.* Vt habet Augustinus Sermone de tempore 41. sic tantùm Augustinus. At cur dixit Dominus *hora mea*, non *hora miraculi* patrandi? III. Et cùm statim eâdem horâ legatur patrâsse miraculum, argutè quidem nonnulli verba illa, Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι, ità reddunt, *Quid hoc ad me quid ad te? cura ista relinquenda est illis qui nos excipiunt convivio.* At usus Scripturæ perpetuus minimè id patitur. Et in Veteri Testamento 2. Sam. 19. 22. *Quid mihi & vobis?* & 1. Reg. 9. 18. & alibi, *Quid tibi & paci?* & in Novo Testamento Matth. 8. 29. & 17. 19. Vndè patet hanc formulam increpandi esse quâ significatur, nihil esse

huic commune cum illo, alioqui dicendum fuerat Τί πρὸς σέ; ut Ioan. 21. 22. Tum nomen mulieris quo Christus utitur (nec enim nomine Matris designatur) prodit eum loqui, non ut olim quum privatam vitam degeret subjectus ei per omnia, sed ὡς ἐξουσίαν ἔχοντα, & munus illud cœleste obeuntem quod præ omnibus charitatibus & necessitudinibus terrenis habere debuit: quasi dicet, *Hactenus me voluntati tuæ præbui morigerum, quod superest, ex arbitrio Patris gerendum est qui tempora & horas posuit in propria potestate. Hactenus Mater audivisti, nunc Mulier, quia dum versor in Patris negotio, minimè affectibus naturæ servio; Nihil erat hìc opus tua interpellatione, tuove monitu: nunc ætatis legitimæ cùm sim emancipatus abs te, adeóque vocatus à Patre ad munus meum, actu fungendum ferri nequeo nunc ad terrena quum doceo cœlestia. Tu verò ità mecum agis hortando & præscribendo, quasi me puerum adhuc regeres, quasi nondum hora venisset, quasi adhuc tempus illud expectarem quo me Pater, Spiritus illapsu ac cœlesti voce, glorificatum adhibeat muneri sanctissimo.* Hinc patet verba ista, οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου, commodissimè cum interrogationis nota legi posse, atque ità reddi, *An hora mea nondum venit?* Hora igitur non simpliciter, sed hora mea propriè dicitur de duobus cardinibus, altero passionis quo consummavit, altero Baptismi, nec-non primi quod patravit in his nuptijs Canæ miraculi, quo inchoavit muneris sui exercitium. At, inquies, non est alter Scripturę locus, in quo inauguratio Christi & muneris auspicium horæ vocabulo designetur. Esto, cùm tamen *horæ* vox latissimè fusum significatum obtineat, pro cujusq; rei tempestivitate, quidni liceat eam huic tanto negotio adhibere! cùm pręsertim durum sit ad passionem, quam horam suam posteà crebrò vocavit, hunc locum revocare quippe ne tunc quidem agnovit Matrem pro Matre, sed mulierem etiam apellavit, ut hoc loco, quum ejus curæ Ioannem commendavit. Ioan 19 26. Superest igitur ut ad Cardinem alterum & ad id referatur, quod unum in causa fuit, cur Dominus Matrem non Matris loco existimaret, nec Matris nomine dignaretur. Quod non aliud certè fuit quàm dignitas muneris, cujus functionem omni necessitudini prætulit, non secus ac alibi, *Quæ est Mater mea*? &c. hoc est, *Materno fraternove respectu non tangor, quum in salute generis humani procuranda versor, nam qui se se attentos, præbuerint Doctrinæ meæ quique fecerint Patris voluntatem, sunt mihi mater fraterque: Mater mea naturalis fraterque consanguineus me quoties aliquo avocamento ab officio abstrahunt, mater esse fraterque desinunt.* Cùm igitur nondum esset vocatus ritu solemni ad officium, erat subditus Matri: Iam verò cùm ex more solito regere imperio filium, eique præcipere vellet, non patitur ille qui jam sui compos Deo nec ampliùs Matri obsequitur, quia venerat ut faceret voluntatem Patris. *Tua*, inquit, *hora fuit hactenus,*
quandiù

quandiu tibi fui subditus; mea jam venit, quâ tu me respicere dictisque mihi audiens esse debes. Huc accedit quod si tempus illud quo Dei permissu hostes Domini potestatem in eum obtenturi erant, hora eorum dicitur, Luc. 22. 53. *Vestra*, inquit Dominus, *hæc hora est ac potestas tenebrarum:* quantò potiori jure suam Christus horam vocavit, quâ potestas ei omnis & in cœlo & in terra data est.

AXIOMA IV.

Κλυτὰ sunt in Scriptura, quibus persolvendis expectandus est Elias.

IN singulis ferè Scripturæ libris aliquid reperias ità reconditum, vix ut eò humani acies ingenij penetrare valeat: ità dispensante Deo, ut quemadmodum in natura quæ sunt necessaria vitæ tolerandæ præsidia, panis, aqua, ignis, aër obvia sunt & parabilia; Sed aurum, argentum, gemmæ ac margaritæ, atque adeò quæcunque ad lautitias vitæ ac ornamentum pertinent, magni constant & ex terræ visceribus, vel mari eruuntur; Ità in Scriptura quæ sunt necessaria saluti, ubiq; se dant & oculis ingeruntur: at nonnulla sunt, pretiosa quidem illa, ejusmodi tamen sunt ut ijs absque pernicie carere possis, quæ pertinent ad Ecclesiæ decus ac delicias spirituales, in quibus tamen eruendis opus est industria & labore improbo. Adeóque sicut in Physicis, Mathematicis, & id genus alijs disciplinis nonnullæ sunt veluti Herculis columnæ, utra quas procedere non datur. Nam quis adhuc exempli causâ vel rationem sympathiæ rerum ac antipathiæ, vel quis quadraturæ circuli modum invenit? Pariter in Sacris nonnulla sunt quæ ab hoc ævo manserunt incomperta & manebunt forsitan, usque ad illum diem in quo non videbimus ampliùs per speculum, aut in ænigmate. Creationis descriptio, qualis in Genesi à Mose prodita, multa complectitur ardua, & mortalitatis nostræ modum exuperantia. Volucrium nomina quæ in Levitico memorantur divinamus magis quàm tenemus. Et cæteris in libris, præcipuè ad rationem numerorum atque temporum quod spectat, crebrę difficultates offeruntur, quas pro se quisque solvere satagit; atque ille unus omnium solvit optimè, qui solvi à se non posse profitetur, neque respondere gravatur, *Nescio.*

Sic & in Novo Testamento (ut nihil de Apocalypsi dicam, cujus quantulum quid certò scimus!) ut apud Paulum esse *δυσνόητά τινα* Petrus ipse jam olim observavit, nunc tamen multò plura difficilia intellectu nobis esse oportet, qui tam distamus ab ævo Apostolico. In quibus vel præcipuum, si quid judicamus, locum obtinent Paulina verba hæc 1. Cor. cap. 15. v. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Quod vel ipsa varietas interpretationum satis docet. Alij enim sentiunt

de Clinicis intelligendum esse, hoc est de Catechumenis, qui decumbentes moribundi deploratæ salutis, ac ferè pro depositis cùm haberentur, baptizari cupiebant, quibus & baptismum Ecclesia vetus indulsit. Quod in primis quadraret si ὑπὲρ, hoc significatu, alibi reperiretur, & *quasi*; vel *instar*, designaret, qualem significatum nostrates exprimunt, quum aiunt, *Il a été laißé pour mort*: quod Græcè non ità benè dixeris ὑπὲρ τ͂ νεκρῶ, articulo præsertim repugnante, quanquam & Epiphanius,& alij hanc duritiem (Græcè Docti) concoxerunt, quam si quis concoquere cum ijs volet planè nihil obstabit. Nam ut mortuus dicatur is qui morti est proximus,& in summo discrimine versatur, non est novum neque insolens in Scriptura. Volunt alij ad veterem ritum alludi, quo corpora mortuorum baptizari, hoc est, lavari solebant, quasi dicas, Quid facient qui lavantur super mortuos? quæ mortalis ablutio resurrectionis quædam tessera foret, & nescio utrum huic interpretationi lucem non fœneretur author Epistolæ ad Hebræos cap. 6. ℣. 1. & 2. ubi simul & νεκρῶν ἔργων, & βαπτισμῶν & ἀναστάσεως νεκρῶν facit mentionem. Chrysostomus ad alium ritum refert, non Iudaïcum, sed Christianum, cùm non tingebantur aqua modò, sed corpore toto mergitabantur ter, in honorem Trinitatis, id est, mersione ac emersione trina in signum resurrectionis quæ, κατάδυσις & ἀνάδυσις vocabatur, illa mortis, hæc resurrectionis imago. (Huc & videtur Paulus allusisse Rom cap. 6 ℣. 3. & 4.) Egregia interpretatio nisi obstaret gemina ratio; altera quod verba illa, ὑπὲρ τ͂ νεκρῶν, ità reddere durum videtur, ut significent εἰς ἀνάστασιν τ͂ νεκρῶν; altera quod ille ritus ad omnes Christianos pertineat: hic autem loquatur Apostolus de quibusdam duntaxat, quod illa docent verba, τί ποιήσουσιν: non verò τί ποιήσομεν, *Quid illi facient?* IV. Ingeniosè nonnulli de sepulchretis martyrum intelligunt, in quibus baptizari olim & mori amabant, ut super mortuis, hoc est, super eorum tumulis baptizari dicantur. Nec desunt qui ὑπὲρ significare contendant *præter*, quia ℣. 19, de ijs qui obdormiverant in Christo locutus erat, ut sit mens, quare nos præter eos qui mortui sunt, adhuc nobis hoc damus negotij ut baptizemus pueros? Omnium verò vicit industriam Vir Illustris, qui de baptismo vicario, ritu in Veteri Ecclesia notissimo, erroneo quidem illo, sed non intolerabili intellexit; quoties nimirùm aliquis infans nondùm in albis acerba morte discedebat, sufficiebatur alter in eius locum, cujus baptismus prodesse etiam defuncto videbatur. Quem errorem Marcionitæ posteà multùm auxerunt, qui & sub lecto pueri ante baptismum extincti alium puerum collocabant, tunc extinctum rogabant an baptizari vellet, pro quo alter latitans respondebat, Velle se, ac simul in defuncti vicem niveo exercitui nomen dabat. Hic tamen duo desiderari jure possunt, quod Apostolus huic errori videretur patrocinari, quem nullus refellit, neque hoc loco, neque alibi

uſpiam. Deinde, quòd ævo Tertulliani errorem hunc obtinuiſſe liqueat, non ità liquet Apoſtolorum temporibus innotuiſſe, quamquam Cerinthus & ſequaces aliquo ſimili errore videntur afflati fuiſſe. Tum hæc verba τί ποιήσουσι; jam quadrare videntur huic ſententiæ longè aptius, ſi ità conciperetur τί ποιήσουσιν. Adde quod ratio conſtare nequit cur ὅλως dixerit Apoſtolus, adeóque veriſimilius eſt hunc Marcionitas errorem ex loco Pauli pravè intellecto traxiſſe, quàm ex eorum errore Paulum argumentari. Quod ſi dicamus τὰ νεκρὰ, opera eſſe mortua pro quibus baptizamur, fruſtrà, ſi omninò mortui non reſurgunt, ſed ij tantùm qui cœlibem vitam procùl à negotijs amplectuntur, quia unam eſſe reſurrectionem Veterum nonnullorum fuit perſuaſio. Quòd, ſi porrò dicamus, ut Canonem nos quoque inferamus noſtrum adjuvando loco perdifficili, vocem βαπτίζεσθαι de Baptiſmo ſanguinis eſſe intelligendam, juxta illud, *Num poteſtis baptizari meo Baptiſmo?* ut ὑπὲρ τῶν νεκρῶν de Chriſto intelligatur, & per numeri ἐναλλαγὴν, quæ ſatis frequens eſt in Scriptura, pro ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ ponatur. Quod ne quis autumet liberiùs produci, perpendat ut eâdem ἐναλλαγῇ, uno Herode mortuo Scriptura dicat, *Qui quærebant animam pueruli mortui ſunt.* Quanquam & martyres pro Chriſto & Eccleſiæ ejus corpore ἀνταναπληροῦντες τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων moriantur. Hic ſenſus optimè cohæret cum ijs quæ ℣. 19 dixit Apoſtolus, & cum ijs quæ ſequuntur: Sicut anteà dixerat, *Si non eſt mortuorum reſurrectio, ipſe Chriſtus non reſurrexit; Ità nunc ſi mortui non reſurgunt, Ergò nec martyres. Quid igitur ijs fiet, aut, quid attinebit pro Chriſto mortuo pati, ſi & ipſe qui mortuus eſt non reſurrexit, & qui pro eo martyrio baptizantur, nihil ſplendidius expectare debent, ſiquidem omninò, & in univerſum, nulli ſurgunt mortui. Quæ igitur eos dementia capit, ut pro mortuo moriantur?* Huc facit quod martyres putabantur habere potiſſimam partem in reſurrectione, undè *Primitiæ* vocantur in Apocalypſi, & præ ceteris reſurrecturi credantur. Deindè, ſubjicit Paulus, *Quorſum etiam nos,* non equidem adhuc martyrium patimur, ſed, quod eſt proximum, *vitæ periculum adimus, & quotidiè in mortibus verſamur,* ut alibi loquitur, *Si nec mali ad judicium, nec boni ad vitam reſurgunt, & ſi nulla eſt omninò reſurrectio.* Certè de baptiſmi Sacramento, déque reſurrectione parùm commodè videtur locus intelligi: Nam ſi quis diligentiùs attendat ad illa verba τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι, facilè comperiet Paulum de certis hominibus loqui, non de toto cœtu Chriſtianorum qui baptiſmo communicant. Accedit quod nullius eſſet roboris argumentum, Si nulla eſt reſurrectio, quare igitur baptiſma celebratur? Quippe in promptu erat reſpondere, non ad id baptizari Chriſtianos, ut reſurrectio corporum obſignaretur, ſed reſurrectio ſpiritualis & regeneratio, quam ultrò agnoſcebant illi etiam qui reſurrectionem nega-

bant corporum. Hæc igitur tanta difficultas est ut nihil distinctè ac præfinitè affirmare deceat.

Sic 1. Cor. 3. ℣. 12. & 13. Εἰ δέ τις ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸ θεμέλιον τοῦτον, &c.] Conqueritur Augustinus locum admodum esse difficilem, *Vnum fortè ex iis*, inquit, *de quibus Petrus dixit esse apud Paulum* δυσνόητά τινα. Prima quidem fronte arridet quod vir eruditissimus observat ex Photij excerptis, alludere Apostolum ad aurifodinas Regis Ægypti, ubi οἱ σωματικοὶ, καὶ οἱ ἐν ..., jubebantur aurum variè purgatum & in olla & igne coctum cum plumbo, sale, stanno, & hordei palea, exhiberi. At quominùs assentiamur obstat ratio triplex: Prima, quòd turpe dictu videtur Apostolum sese ac cæteros Dei Ministros cum damnatis ad metalla contrudere, ubi præsertim ac sese munus suum à contemptu vindicare instituit adversus eos à quibus insimulabatur nimiùm tenuis ac tralatitiæ doctrinæ, quasi mysteria non doceret; quam defensionem initio capitis suscepit. Secunda, quòd cùm de aurifodinis non de lapidicinis loquatur auctor apud Photium: Paulus verò de re architectonica non de metallis, nihil est alterutri cum alterutro commune. Tertia, quòd nihil occurrat in verbis Photij, quod ad verba Pauli propiùs accedat, nisi fortè illud κρίθινον πίτυρον; *hordei palea:* sed nec de hordeo, nec de sale, nec de plumbo, nec de stanno verbum Paulus facit, quod interim opportunum erat designandis doctrinis operum improbi commatis; atque ideò πίτυρον videtur hîc non tam pro palea assumendum, quàm pro sulphure, quod mundandis adhibetur metallis Longè dicemus rectiùs allusionem instituere ad vetus tabernaculum, in quo non tantùm auro & argento, sed ligno & lanæ caprinæ arietum pellibus, vili materia locus erat, Exod. cap. 25. ℣. 4. & 5. Non ità in Ecclesia & in novo Templo Dei, omnia ex auro & argento puro juxta promissionem apud Esaiam c. 54. ℣. 11. & 12. Vbi non tantùm, *Fundabo te in sapphiris*, Dominus dixit; verùm etiam, *fenestras & specularia, totumque terminum ex pretiosis lapillis* constituit. Non igitur illi rem acu tetigerunt, qui per λίθους τιμίους marmora intelligunt, quia ædificia ex lapillis pretiosis non excitantur: Allusisse verò Paulum ad constructionem tabernaculi satis clarè innuit quod continenter subjicit, *Nonne scitis vos esse Dei templum, si quis templum Dei subruat, Deus illum destruet*, id est, malè perdet, gravissiméque mulctabit, Iam verò sensus non alius est quàm ei fundamento alios immoliri Homogeneas doctrinas ἰσοτίμους, & pariter cum eo pretiosas, alios Heterogeneas, licet ei non contrarias, aut φθαρτικὰς principiorum religionis Christianæ, tamen disconvenientes & ineptas. Nec enim dubium est quin Apostolus aliquos notet, alioqui non Heterodoxos, qui inania eloquentiæ Sophisticæ lenocinia cum verbo Dei καπηλεύοντες commiscebant, quos & nonnulli quasi mysteriorum sublimiorum Doctores ipsi Paulo prælatum ibant. Captavit igitur hîc

obscuritatem Paulus de industria; quia res non erat apertè profitenda, nè videretur quosdam disertè nimis notare; adeóque objectioni respondet quam nectere vulgus imperitum amat, quoties in doctrinis vel minima varietas exoritur. Quid igitur, an ille damnabitur qui aliter docet? affirmat Paulus non esse damnandum qui fundamentum retineat: neque tamen æqua conditione futurum cum eo qui & fundamentum retinuerit, & idonea fundamento inædificaverit, hunc enim amplam mercedem operis reportaturum esse, quatenus fuit minister Dei. Alterum jacturam operis facturum, (consulatur Psalmus primus versu ultimo) & salvum hominem fore, non quatenus Dei minister, sed quatenus duntaxat fidelis fuit. Vndè varij cœlestis gloriæ gradus non obscurè colliguntur.

Sic & ipse Petrus de se ipso dicere potuit quod de Paulo scripsit, nam & apud hunc δυσνόητά τινα occurrunt. Præcipuè locus qui meritò difficillimus totius Novi Testamenti æstimatur. 1. Pet. cap. 3. ℣. 19. 20. ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς, ἐκήρυξεν. ἀπειθήσασί ποτε, &c. Cujus loci tam varię sunt interpretationes, ut quot capita tot sensus esse videantur. Magnus vir Dei existimat φυλακὴν significare speculam in qua colocati spiritus veluti in vigilia expectarent Messiam. Quæ interpretatio etsi non commoda, tamen orthodoxa. Alij verò; ut Britanni Theologi, sentiunt Christum localiter ad inferos descendisse, ut apud ipsos Dæmonas victoriæ suæ fructum ostentaret. Quæ sententia nullo est veneno aspersa, etsi non commoda; itaque φυλακὴν intelligunt inferos. Tertiò, sunt & alij Hæreticorum facilè principem secuti hac in parte, qui existimant Apostolum hoc velle; Christum subvectum in cœlos Evangelicâ prædicatione captivum duxisse genus illud hominum, quod Noæ temporibus incredulum fuerat, quam in rem adducunt, Eph. cap 4. ℣. 8. Itaque φυλακὴν intelligunt captivitatem, & in voce πορευθεὶς vim faciunt. Hæc autem interpretatio hoc incommodo laborat, quòd prædicavisse Christum asserit spiritibus quos captivos abduxit, qui immorigeri fuerant temporibus Noæ, quibus non vixerant; Itaque in persona patrum immorrigeri fuerant; quâ re nihil absurdius fingi poterat. Quartam plausibilem adduxit interpretationem Vir celeberrimus in suis exercitationibus ad Novum Testamentum, de Gigantibus locum esse intelligendum, qui Noachi tempore vixerunt, de quibus in fragmento libri Apochryphi, qui Enochi nomine insignitur, oppidò multa narrantur, (quod fragmentum illustri viro Scaligero debetur.) Et inter alia eos in carcerem conjectos, ferè sicut Iudas Epistolæ suæ, ℣. 14. 15. Nos autem nobis tantum nolimus permittere, ut ad aniles fabulas Iudæorum & Apocryphorum librorum fragmina confugiamus, quasi Scripturarum facere interpretationem aliter non possemus, nisi ex antiquis ruderibus critici fabulam illam Enochi eruissent

de commutatis in Dæmones animabus gigantum, quod nugantur Iudæi ut ſemper. Neque verò Iudas in Epiſtola ſua de Gigantum animabus loquitur, ſed loquitur de Dæmonibus. Quintò, ut omittamus Auguſtini & aliorum interpretationes, qui φυλακὴν interpretantur figuratè carcerem ignorantiæ, clariſſimam huic loco lucem alluxit venerabilis Bezа, quum vocem ὄσι ſubintelligi demonſtravit, déque inferis φυλακὴν intellexit: quod qui olim tempore Noachi fuerant immorigeri, nunc in inferorum carcere detineantur. Quod res eſt omninò: quia tamen in aliquos incidimus, quibus non in totum hæc ſatisfecit interpretatio, ſi nobis quoque liceat noſtram conferre ſymbolam, videmur nobis lucem haurire non exiguam ex alijs duobus ejuſdem Petri locis, 1 Pet. cap 4. ✝. 6. εἰς τοῦτο γὰρ καὶ νεκροῖς εὐηγγελίσθη ἵνα κριθῶσι: nec-non ex 2. Pet. c 2. ✝. 8. Καὶ ἀρχαίου κόσμου οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα, &c. Ex hoc poſtremo loco patet φυλακὴν interpretari poſſe cuſtodiam Dei, ſeu arcam in qua Dominus Noachum ἐφύλαξε, tum hæc verba de prędicatione Noachi intelligi debere docet vox ἐκήρυξε, quæ reſpondet elogio Noachi quo vocatur κήρυξ juſtitiæ. Ex priori loco habemus Petrum loqui de mortuis, & probare, non ijs tantùm qui ſuo tempore vivebant fuiſſe prædicatum & evangelizatum Chriſtum, ſed ijs etiam qui devixerant; planè quemadmodum, Heb. 4 2. καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι καθάπερ κἀκεῖνοι, &c. Quid igitur vetat quominùs dicamus evangelizatum fuiſſe mortuis Chriſtum, quorum Spiritus in cœlis, corpora in carcere ſepulchri verſantur? Sanè Syro Interpreti non aliter viſum eſt, qui ἐν φυλακῇ vertit in ſepulchro Nec abſurdum eſt, ut figuratè ſpiritus qui ſunt in cœlis, dicantur eſſe, quoad corpus, in ſepulchri carcere, ſicut Apocal. c. 20. ✝. 12. bis νεκροὶ vocantur. Neque verò major eſt ratio, cur magis inferos quàm ſepulchrum carceris nomine intelligamus; mors quippe ſive ſepulchrum pœna videtur eſſe quædam veluti carceraria, cui homines ideò ſubjiciuntur, ut judicium expectent fine longè diverſo; Alij ut ex carcere quum exibunt ad ultimum ſupplicium rapiantur, & ex ſepulchro ad inferos deturbentur; Alij verò ut educti ex carcere in libertatem aſſerantur, & in aërem rapiantur cum Domino. Sicut enim reus cui gratia indulta eſt à Principe, non tamen à carcere continuò liberatur, donec proceſſus judiciarius peractus fuerit, & ſententia promulgata juxta ſolemnes formulas. Ità nos detinemur in carcere mortis, hoc eſt in ſepulchris, etiamſi gratiæ ſimus cõmpotes, donec in ultimo judicij proceſſu à ſummo Iudice abſoluti judicemur, tunc demùm à carcere liberamur, ut in plenam perfectamque libertatem aſſeramur *adoptione* integra per ipſius corporis redemptionem, Rom. 8. Sed quis erit ſenſus? Idem, opinor, utriuſque loci, hos enim duos parietes unà dealbavimus: nec enim dubitamus, quum dixit Petrus, prædicatum eſſe Chriſtum, &c. idem ſibi voluiſſe quod paucis poſt verſibus, quum dicit

Christum evangelizatum fuisse mortuis. Triplex omninò fuit hominum ordo, qui diluvij tempore vixerunt. Primus & potissimus eorum est qui *octo animæ* vocantur, quanquam etiam quoad corpus in arca cum Noacho servati sint. Secundus & medius eorum qui diù multúmq; aspernati Noachi præconis vocem, tandem aliquando resipuerunt ingruente ac territante diluvio, quorum corpora diluvij aquis hausta sunt, licet quoad spiritum salvi fuerint. Tertius & postremus eorum qui etiam suffocati sunt aquis diluvij & flammis infernalibus devorati, quia in incredulitate sua pertinaci animo permanserunt. De singulis horum hominum videtur Petrus locutus esse tribus locis. De tertio & postremo, 1. Pet. c. 2. ℣. 5. ubi dicitur Deus non pepercisse veteri mundo, sed adduxisse diluvium in mundum impiorum. De secundo & medio, 1. Pet. c. 4. ℣. 6. *Εἰς τοῦτο γὰρ καὶ νεκροῖς εὐηγγελίσθη ἵνα κριθῶσι μὲν κατ' ἀνθρώπους σαρκὶ, ζῶσι δὲ κατὰ Θεὸν πνεύματι.* Nam qui diluvio perierunt & in extremis resipuerunt rectè judicati dicuntur secundùm carnem, ac ità mortui; sed vixisse Deo secundùm spiritum, ac proindè quoad animam servati. De primo denique loquitur Petrus hoc loco quem præ manibus habemus, ità tamen ut cæteros conjungat, & eos qui perierunt quoad corpus cum ijs qui evaserunt confundat. Ait enim Noachum, divino suo Spiritu, ivisse prædicatum Christi opera ijs qui aliquando immorigeri fuerant *ἀπειθήσασί ποτε*, Noachumque riserant fabricantem arcam qua sese includeret. Attamen ipsis rebus admoniti, quum jamjam immineret diluvium, præsentemque mortem intentaret, Dei terrore servati sunt quoad spiritum, neque tamen minùs diluvij aquis vorati sunt, atque ità judicati sunt in oculis hominum quidem: at vixerunt Deo. Igitur *πνεύμασι οἱ ἐν φυλακῇ*, cùm dixit Petrus Christum prædicatum ivisse, nihil dicit aliud quàm quod posteà dicet, Christum evangelizatum fuisse mortuis. Notanda in primis particula *ποτὲ* quæ non *πάλαι* significat, sed aliquando. Cur autem aliquando diceret immorigeros fuisse si perpetuò fuerint? Sed hoc voluit aliquando, id est, perdiù immorigeros fuisse Noacho, per centum & viginti annos, ut Iudæorum docent magistri prædicanti & prædicenti futura, qui tamen denique resipuerunt, & ideò *πνεύματα* vocantur: quo nomine, sine ullo additamento, vix ac nè vix quidem damnati homines veniunt. At cur Noachi mentio, non Adami, non Prophetarum, non populi Iudaïci? Quia, quod patet ex altera Petri Epistola, nonnulli erant qui & creationem & historiam diluvij & consummationem sæculi negabant & ridebant, nec mundum perijsse aqua, nec igne periturum credebant. Idcircò Petrus ad Noachi tempora revocat, modò ut similia sua esse tempora doceat Noachi temporibus, quibus regnabat omne scelus, & ipse Noachus videbatur, modò ut imminere Dei judicia qui nec Angelis, nec toti mundo veteri pepercit, adeóque ut admirabilem Dei patien-

tiam demonſtret, noſque ad imaginem divinæ illius virtutis ac perfe-
ctionis vitam exprimendam cohortetur & accendat. Poſtquam enim propoſuit exemplum Chriſti patientiæ, nobiſque ad imitandum proponit exemplum ipſius Dei, qui tamdiù mundum veterem toleravit: ac demùm concludit ℣. 21. reſpondere velut antitypum baptiſma diluvio, δι' ὕδατος, inquit, ᾧ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα, ubi ᾧ referri non debet ad κιβωτὸν quæ generis eſt fœminini, ſed referri debet ad ὕδατος quod proximè adeſt. Sicut autem per aquas diluvij multi ſervati ſunt non ſecundùm carnem, ità nos per aquas baptiſmi ſervamur, non purificatione carnis, verùm conſcientiæ bonæ profeſſione apud Deum. Quanquam communis interpretatio quæ per antitypum intelligit totum illud negotium, de quo Apoſtolus anteà verba fecerat, & reddit, *Cui rei reſpondet baptiſma*, optima eſt omnium, & per eos *qui ſervantur*, Apoſtolus eos qui & quoad carnem & quoad ſpiritum ſervati ſunt intellexit. Fatemur igitur hunc articulum non nimis urgendum eſſe, atque adeò in prædicta interpretatione, quantumvis nobis videatur vero propior, non penitùs tamen acquieſcimus.

Sic in genealogia Chriſti à Matthæo & Luca tradita ijs exercemur difficultatibus, in quibus Thiſbi expectandum eſſe non immeritò dixeris. Hoc ipſe Scaliger agnovit quum de *Caïnan* loquitur, qui apud Lucam inter Arphaxad & Sala ponitur, apud Moſem & Scriptorem Paralipomenωn deſideratur. Vel igitur apud Moſem nonnihil deficiet, vel apud Lucam ſupervacaneum occurret. Viri undecunque doctiſſimi facili negotio defunguntur, & regiè nodum Gordium ſolvunt & ſecant, Caïnan expungendo, & commentitium aſſerendo tum in verſione LXX. tum apud Lucam. Quod illi, fateor, faciunt magnis rationibus adducti. Nam cum in Moſe non reperiatur ac in Paralipomenωn Scriptore, potuit Lucas ex illis emendari, tametſi alij contendant Moſem ex Luca emendandum. Deinde, ſi retineatur, perturbari ordo videtur Teſſera-decadum per quæ Evangeliſtæ genealogiam inſtituunt; Atque adeò Abrahamus non jam decimus ab Adamo, ſed undecimus eſſet. Accedit quod neque Hebræus Samaritanorum Codex, qui tamen quoties diſcedit ab Hebræo, ferè cum Græcis conſentit, non hîc tamen conſentit, ſed Caïnan prætermittit cum Euſebio Cæſarienſi & Africano, nec ejus aut Epiphanius, aut Hieronymus meminerunt. Hujus intereà ſententiæ varia ſunt divergia. Quidam enim exiſtimant Lucam conſcium retinuiſſe *Caïnan* propter LXX. Interpretes, quos Evangeliſtæ & Apoſtoli non rarò etiam tunc ſequuntur quum ab Hebræa origine diſcedunt κατ' οἰκονομίαν, quia magna in authoritate illi erant Interpretes, & manibus omnium verſabantur: nè igitur intempeſtiva lis oriretur de verſionum dignitate donâſſe hoc Lucam Iudæorum in LXX. ſtudio, ut pariter cum illis *Caïnan* memoraret. Alij verò arbitrantur & apud Lucam & apud LXX.

LXX. fuisse insertum atque inculcatum *Caïnan* Librariorum fraude potiusquàm incuriâ. Qua in sententia optimus Cordesius facilè primas tenuit, quippe docuit Hieronymum, qui LXX. versionem incorruptam in Hexaplis Origenis viderat & secutus erat, *Caïnan* tamen omisisse, adeóque Procopium Gazeum scripsisse generationem *Caïnan* obelisco fuisse notatam. Nolimus igitur cum clarissimo Gomaro, id quod venerabilis Beza facit, quum nomen *Cainan* in editione sua expunxit, non satis ab ea reverenter factum, nec firmis rationibus munitum, dicere: quippe non tantùm sui Codicis Claromontani authoritate fuit permotus, quam ferè sublestam & nullius ponderis Gomarus existimat, sed etiam plerorumque Patrum, potissimùm verò Mosis ipsius exemplo: attamen licet fieri potuerit ut ex fine capitis *Cainan* irrepserit nuperiùs in locum non suum ac geminatus fuerit, & ex pronepote Adami factus pronepos Noachi. Attamen, inquam, ne latus apertum præbeamus ijs, qui nos leges nostras migrare calumniantur, ac post multùm dilaudatam Scripturæ αὐθεντίαν inviolabilem, ubi rationibus nostris ità conducit, eam nos illibenter ac temerè sollicitare, conandum nobis est aliâ rem aggredi viâ, sublata nimirùm interpunctione hoc pacto, τοῦ Ἔβερ, τοῦ Σαλὰ Καϊνὰν, τοῦ Ἀρφαξὰδ, τοῦ Σήμ. id est, *Filius Eberi, qui filius fuit Salæ dicti Caïnan, qui filius fuit Arphaxad, qui filius fuit Sem.* Nec dubium nobis est quin si Origenis Hexapla, vel aliqua, LXX. versio integra extâret, ità constitutus locus reperiretur. Sed, ut fit, aliquis imperitus, cùm non benè Lucam interpungeret, atque Caïnan filium Salæ faceret, qui fuit cum eo idem, ut majorem Lucæ authoritatem daret corruptio LXX. usque adeò ùt suos etiam Caïnan liberos & annos adscripserit seorsim, & quia divinare non poterat quot vixisset annos hic natus Caïnan ex proximo desumpsit, eundemque numerum annorum, & παιδοποιΐας & vitæ tum Caïnan tum Salæ fecit, Salæ, benè quia unus idemque fuit: nam Caïnan antequam Salam gigneret, ut habet hodiè LXX. editio, natus erat annos 130. Sala pariter antequàm genuisset Eberum natus erat annos 130. Vixit Caïnan post genitum Salam annos 330. Totidem vixit Sala post genitum Eberum; Vndè fraus & corruptela manifestè dispalescit. Non enim fit verissimile tum patrem tum filium, & eodem anno primùm genuisse liberos; & eodem ætatis anno fuisse defunctos. Huc accedit quod Eusebius lib. 10. παντοδαπῆς ἱστορίας, inter posteros Noachi non recenset Salam: nec enim Caïnam à Sala distinguebat. Caïnam enim cognomen erat quod Hieronymus *lamentationem* reddit. Fieri enim potuit ut hoc meruerit cognomentum Sala, propter dolorem quo afficiebatur ob impia facta Nimrodi, cui coævus fuit. Neque hæc sententia rejici debet quòd in versione Græca Caïnan proponatur ut persona distincta, immò ut pater Salæ; Nam quis nescit miserè luxatam fœdatamque versionem istam. Vel quòd

nulla ratio dari potuit, neque apparens quidem, cur Lucas eum solum binominem proponat: nam variæ subesse potuerunt causæ nobis incompertæ; notissima verò illa, quia LXX. itâ fecerant quos Lucas imitatur. Neque falsum est nomen Caïnam, sed cognomen, licèt apud Mosem sileatur, quemadmodum apud Eusebium Sala prętermittitur. Vel quòd significatio articuli τ͂ eadem esse debeat quæ in toto capite: nam rei natura & materia subjecta huc nos cogit, ut hanc diversitatem admittamus, quod malimus quàm vel tantillum de Scriptura delibare. Vel quòd nihil obstat, quominus & alijs nominibus vel eadem interpretatio affingatur usque ad finem capitis; nam neque nos illa necessitas eò adducit, & si quis id aggrediatur turpiter se dabit, cùm à Mose refellatur: vel quòd probabile non sit Lucam Lectori, sine causa, crucem figere voluisse; nam crux hæc non erat fixa illis qui probè norant in Ecclesia veteri Salam quemdam fuisse cognominatum Caïnan, & hæc Lectoris ignari non Scriptoris divini culpa est. Adeóque in omni loco difficili dixisse id ipsum liceat; ut sanè Pontificij solent in verbis illis, *Hoc est corpus meum*, quæ quantumvis per se luculenta sint, crux tamen illis est. Vel quòd Syrus Interpres voces illas τ͂ Καϊνὰν æquè reddiderit per בר *Caïnan*, ac alias omnes antecedentes & consequentes excepto ultimo gradu. Nam non est Interpres ille divinus, decipi proindè potuit, adeóque deceptus est, quod fateri cogentur etiam qui *Caïnan* expungunt, non enim Syrus expunxit. Vel quòd supponat ex conjectura fuisse Salam binominem. Hæc enim conjectura suas habet rationes non inidoneas, ut suprà diximus, & innocentior est alterâ quæ in Lucam irrepsisse *Caïnan* divinat, quod est in primis opportunum calumniæ.

Sic Matth. cap. 1. ℣. 11. Difficillimus est de Iechonia locus; videtur enim deesse aliquid, cùm Iosias non habuerit filium Iechoniam, sed nepotem: nec etiam Tessara-decadis numerus non constaret; ultimus enim deest in secunda, cùm Iechonias sit primus in tertia. Hieronymus, *Si volverimus Iechoniam in fine Tessara decadis secundæ, in sequenti non erunt 14. sed 13. Sciamus igitur Iechoniam priorem ipsum esse cum Ioachim; secundum autem filium non patrem, quorum prior per κ & μ. sequens per χ & ν scribitur; quod per Scriptores, vitio & longitudine temporum, apud Græcos & Latinos confusum est.* Hactenus Hieronymus. Nova tamen difficultas existit ex eo quòd Iosias dicatur genuisse Iechoniam & fratres ejus in transportatione Babylonica: nam si priorem Iechoniam, id est, Ioachimum intelligunt, fieri non potest ut Iosias eum genuerit tempore transmigrationis Babylonicæ: Nam diù post mortem Iosiæ in Babyloniam fuit adductus Ioachimus anno nimirùm undecimo post Iosiæ mortem. Accedit quòd prior Iechonias intelligi non potuit: nam ille Iechonias, quem genuisse dicitur Iosias, idem proculdubio est cum illo Iechonia de quo sequitur apud Matthæum, post transmigra-

tionem Babylonicam Iechoniam genuit. Ergò, diligenter expendenda est Scriptura Codicis 14. à Roberto Stephano consulti, qui locum ità constituit, Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰαχεὶμ, Ἰαχεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν. Sed quia hæc talia sunt ab alijs occupata, & variè fuséque tractata, plura memorare supersedemus.

Sic multùm difficile intellectu videtur quo pacto Boos Salmonis filius dicatur, cùm ad hunc ab illo 360 ad minimum anni fluxerint: nam eos oportet, ut μέγα χάσμα illud expleatur, genuisse ultra centenarium, quod illis temporibus non sit verisimile. Afferri quidem nonnulla solent exempla, sed rara, & tantam vivacitatem, vigoremque tantum in crudam senectutem contigisse immediatè, incredibile dictu videtur. De Abrahamo certè constat Scripturam affirmantem jam opus ad miraculi partem vocari Rom. 4. Quidquid, id est, μέγα καὶ ζήτημα est.

Sic ubi Ioram dicitur Osiam genuisse cùm quartus ab eo sit, arduum est intellectu, cur tres reges prætermittantur. Absit enim dicamus ex culpa Scriptorum id contigisse, qui nè Caïnan quidem nisi ægrè patimur deleri, velut ab ijs intultum & in exemplaribus innumeris propagatum: aut ut Matthæum dicamus nominum Ochosiæ vel Achasiæ & Osiæ affinitate falsum fuisse, aut lubrico memoriæ rem humanam passum fuisse. Si quis alius rem acu tetigisse videtur Hieronymus est, cujus ad industriam cæteri parùm accessionis fecerunt. Vbi fuisse propositum Scriptori sacro, ut per Tessara-decadas genealogiam Domini enarraret observat: non posse autem constare numerum nisi aliqui prętermitterentur, hos verò prę cæteris meruisse prætermitti, propterea quòd ex Gentili fœmina Ioram Ochosiam genuisset, nimirùm ex Athalia filia Achab & impurissima Iezabel. Ex III. autem Reg. docemur exscindendum quidquid ad Achabum pertineret usque ad mingentem ad parietem. Hi verò tres posteri Achabi Reges non excisi sunt, sed regnarunt: exscindi igitur oportuit & deturbari ex dignitate quam tenuissent in serie genealogica Messiæ; atque ità certè mysticè adimpleri quod erat prædictum ex Achabi posteris, neminem nisi quarta generatione sessurum in throno Regis Israëlis, juxta id quod Lex Iehovæ interminatur ulturum, sese parentum peccata usque in tertiam, quartamve generationem. Quod si quis non erit hoc Catone contentus, Eliam expectato.

Sic ubi Achas Ezechiam genuisse dicitur non minor difficultas occurrit, quàm cum Salmonis Boos dicebatur. Nam si videtur mirum suscepisse Salmonem liberos ultra centenarium, quidni videatur mirum genuisse Achazum citra undecimum ætatis annum. Quod necessariò tamen videtur sequi, nisi fides Historiæ Sacræ convellatur. Viginti enim annos natus erat quum cœpit regnare, regnavit 16. obijt 36. natus. Ezechias ei successit, annos natus 25. quum sedit ad regni clavum.

Ergò, si rectè ponatur calculus, Achas Ezechiam anno ætatis undecimo genuerit. Multùm se torquent hîc mortales multi, adeóque tum exemplis, tum habitu corporis & vigore, tum alijs meditamentis id extraordinarium esse non præter naturam contendunt. Quibus nos nostrum calculum verecundamur. Cùm id præsertim, ne leviter quidem, Scriptura observaverit, quod tamen observatu videbatur non indignum. Nam historia Hieronymi de puero impubere turpior est quàm ut hîc recitetur, adeóque prodigiosior quàm ut inveniat fidem; cùm præsertim qui hanc sequuntur interpretationem idem dicant circa illa tempora ultra centenarium homines procreavisse; at quò vivunt homines longiùs, eò tardiùs gignunt. Omninò quidvis aliud præstabat afferre, sive inter-regnum, sive, ut ità loquamur, corregnum: quanquam inter-regnum ut à mera conjectura fabulosum explodit; Nam fuisse Achasum idoneum generationi anno ætatis undecimo, undè nisi à mera conjectura, eaque portentosa, qualis non est inter-regnum. Corregnum verò, si fas est ità loqui, & alibi sæpè habere locum docemur ex libello Richardi De Sancto Victore, valdè bono, quem Bernardo dedicavit; *Videmus*, inquit, *sæpè quòd Reges filios suos quum vivunt coronant, ut subditorum contradictionem ac rebellionem præveniant. Hoc apud Reges Israël frequens erat, timentes nè per aliquam rebellionem regnum eorum ad domum David rediret, & hoc quidem in Scriptura quamvis apertè non dicatur, invenitur in ea undè suis locis facilè evincatur. Et notandum quod tempora corregnantium interdum attribuantur soli patri, quandoq; filio soli, quandoque tam filio quàm patri. Sunt enim qui quamvis filios suos coronaverint, nullo modo dum vivunt, regiam potestatem exercere illos velint. Meritò ergo ejusmodi tempus regnandi attribuitur soli patri. Sunt qui post filiorum coronationem, modò propter corporis, modò propter mentis infirmitatem, otio vacant, luxui deserviunt, & negotia regni per omnia filijs committunt. Nonne hæc tempora regnandi meliùs attribuuntur filio quàm patri? Sed quando regni negotia communiter tractabant, & contra rebelles simul modò, modò separatim regnum defensabant, sicut Romani Imperatores suis temporibus fecisse leguntur; Nonne regnandi tempora utrisque meritò adscribuntur?* Hactenùs Richardus libro cui titulus, De Concordia temporum Regum corregnantium super Iuda & super Israël. Simile quid Achazo & Ezechiæ contingere potuit.

Sicubi Iechonias genuisse Salathielem dicitur, cùm nullos habuerit liberos, quod patet ex Ierem. 22. 30. gravissima difficultas occurrit. Sunt qui existimant vocem gignendi de successione regni accipi posse, quia filius interdum ità sumitur: & Iulius Cæsar Augusti genitor: & Augustus Germanici vocatur, qui tamen improles fuerunt. Sed præstat fortè maledictionem divinam quæ habetur Ierem. c. 22. ℣. 30. non tam de

orbitate quàm de miseria & calamitate intelligere; Vox enim עֲרִירִי quâ utitur Propheta deducitur ab ea quâ utitur Psaltes psalmo 137. ℣.7. ערו destruite; nam id significare Magistri docent Hebræorum. Vndè translatâ significatione ad eos qui liberis carent, vel aliâ calamitate conflictantur, extenditur: ac præsertim quâ quis in exilium pellitur. Sicut enim ædificari dicuntur quibus proles nascitur, & augeri proles; ità destrui & orbari qui sunt improles. Aquilæ prima editio, *sterilem* reddiderat: secunda, ***non crescentem***: Symmachus, ***vacuum***: LXX. & Theodosio, ***abominabilem*** & ***abdicatum***, quod ex Hieronymo compertum habemus. Poterit igitur עֲרִירִי significare, vel ***externum***, vel ***orbum liberis***, vel ***exutum dignitate***, vel aliter, ***miserum***. Quod si liberis orbus fuisse intelligatur, maledictio divina conditionatè accipienda erit. Si verò id parùm placeat, nullos habuisse liberos idcircò dicatur, quia non habuit liberos Rex qui succederent in regno Iudæ, quod perinde videbatur, ac si nullos habuisset. Neque tamen velim adversus eos pugnare qui Iechoniam Salathielem genuisse interpretantur, successorem in regno habuisse, cùm primogenitum Regum in Scriptura legamus; & filium pro successore poni negare non possimus.

Sic & illud vehementer obscurum est quo pacto prodierit Iesus ex stirpe Davidis, cùm ex Maria origo ejus repetatur quæ fuit ex Levitica tribu; Messias verò debuit esse ex tribu Iudæ, Elizabetha enim vocatur Aaronis filia quæ cognata Mariæ fuit. Respondent Veteres Mariam paternâ lineâ ex Iuda descendisse, maternâ verò ex Levitica tribu, Elizabetham verò ex maternâ modò parte cognatam ejus fuisse. Attamen quia, Heb. 7. disertè habemus non fuisse Iesum ex tribu Levi, dicere possumus Mariam ratione utriusque partis ex Iuda ortam esse, Elizabetham verò ratione matris tantùm, quod satis erat ut cognata diceretur. Longè major difficultas est, quomodo à Iosepho ducatur Dominus noster, qui non Iosephi, sed solius Mariæ filius fuit. Quorsum itaque hîc pertinebat enarrare genus Iosephi. Neque sufficiet observare Christum Iosephi fuisse filium opinione vulgi, atque adeò more communi, ut Privignus Vitrici filius appellatur, non naturâ secundùm semen, sed ex lege connubij. *Ecce*, inquit Maria, *pater tuus*, Luc. cap. 2. ℣. 48. Sic enim admodum infirmum esset argumentum quo Iesus ex Iuda descendisse perhibetur, quia filius Iosephi fuit, qui Iosephus ex Iuda descendit. Quippe ut constet suum pondus huic rationi, oportebat Christum non modò appellari filium, aut censeri lege connubij, sed etiam ex Iosephi semine fuisse ortum, quia Messias, non tantùm ex tribu Iudæ, sed ex semine Davidis oriturus erat juxta Prophetas. Rectè quidem Hieronymus asserit legitimam esse probationem, quia, ut patet ex Num: 36. cap. minimè licebat virginibus nubere nisi suis contribulibus. Ergo, qui probaverit Iosephum ex tribu Iuda esse, idem pariter probaverit

Mariam ex eadem esse Tribu, ac proindè Dominum. Iudæi tamen objectant non sequi, etiamsi nupserit Maria tribuli suo, proptereà ex tribu David originem ducere, quia in Tribu Iudæ, præter lineam David, ex Pharez erant aliæ lineæ, multáque millia in tribu Iudæ præter Davidem adeóque minimè licuisse virginibus hæredibus quas ἐπικλήρους Græci vocant, nempe, unigenitas, aut saltem fratre carentes, quas τοῖς ἐπιπροίκοις opponunt, quæ dotem habebant non patrimonium. Esto, vera sint hæc omnia. Quidni autem dicamus Mariam fuisse talem Virginem, hoc est, non ἐπίπροικον, sed ἐπίκληρον, & fratre carentem? Cur? nonne Scriptura fratrem, si fuisset ei aliquis, æquè commemorasset, ac sororem. Adde quod Eusebius, Emissenus, Ioannes Damascenus idipsum perspicuè tradunt. Cùm igitur non liceret Virgini ἐπικλήρῳ, & hæredi extra tribum suam nubere, nec nisi agnato suo & consanguinitate propinquo, nisi ne bona de familia transirent in familiam? Hinc patet ex eo quòd Maria Iosepho nupserit, eam ex eadem cum eo tribu & linea fuisse, utpote quæ nubere non tribuli tantùm, sed agnato proximo debuerit. Evangelista verò Domini genus à Iosepho deduxit, propterеà quòd mos non erat enarrare mulierum genealogias. Atque hæc & & alia viri solertes commentari possunt, quod Evangelistis invicem conciliandis, & ex cavillis Iudæorum vindicandis utile sit. At fatendum tamen vix esse quod usque quaque satisfaciat, ingenio præsertim pervicaci. Causa duplex, una, quòd Spiritus Sanctus rerum circumstantias quæ non faciunt ad regnum Dei, cujusmodi solent ab alijs auctoribus anxiè putari, & μικρολογίαν συγγραφικὴν, ut loquitur Synesius, aspernatur. Altera, quòd genealogiæ Iudæorum perierint, in quibus inprimis credibile est, velut ex monumentis apud Iudęos pręsertim locupletibus hausisse genus Domini Evangelistas, quę ratio fortè fuit ut ad Iosephum deducat genus Domini Matthęus, quia scilicet habebatur in actibus publicis, accedente interim luce & authoritate divini Spiritûs, qui ab omni errore, vel in talibus, Evangelistas defendebat. Quia verò nunc instituere collationem cum Iudæorum genealogijs non licet, si non habeamus nos quod pro certo respondeamus, non habent illi quoque quod adversus nos nisi temerè futiliterque obijciant. Porro, ad fideles quod attinet, quibus hinc aliquod scandalum videtur obijci, facilè est istiusmodi scrupulos avellere, atque adeo in rem suam convertere; Non enim videmus authores prophanos hęc spernere, aut verò sese in eas contradictiones inducere, quas apud sacros Auctores nobis deprehendere videmur; qui pręcipuè religionem aliquam obtrudere moliuntur, sollicitè illi cavent nè quid possit obijci quod imbecillitatem humanam redoleat, & omnibus eunt obviam, quæ suspicionem aliquam vulgaribus ingenijs possunt inijcere, aut eam quam pretendunt auctoritatem labefactare. Quis credet Paulum & Iacobum tam

fuisse inertes aut incautos, ut non declinassent invidiam quæ in speciem illis conciliari poterat ex justificatione per fidem ex illo, ex hoc autem per opera si humanâ modò scripsissent industriâ? Quis Matthæum & Lucam existimet itâ fuisse supinè socordes, ut quod nè mediocri quidem ingenio denegatur vitare non potuerint, ac ludibrio adversarijs deberent, dum diversâ eandem rem aggrediuntur viâ? Crassum hoc nimis erat, nimisque facilè ad evitandum, quàm ut quisquam potuit in animum inducere ab ijs fuisse admissum, si humanâ voluntate scripsissent, ac ex pacto voluissent mortalibus imponere: quod sine blasphemia dixisse liceat. Sed quia sibi conscij erant divini, quo ferebantur, Spiritus, fiduciâ sui minuta transvolant ac prętervehuntur, quum pręsertim ad curiositatem faciunt non ad salutem. Loquuntur enim ὡς ἐξουσίαν ἔχοντες, ut nobis hujusmodi scrupuli adeò non eripere suam Evangelistis divinitatem, sed majorem ijs auctoritatem circumdare videantur. Nemo enim homo tam confidenter, tamque parùm timidè de tantis rebus privato Spiritu scribere potuit. Quod superest, placet nobis dictum Hieronymi: *Talibus*, inquit, *quæstionibus hærere non tam studiosi quàm otiosi hominis videtur esse.* Placet Aug. lib. 3. contra Faustum cap. 5. *In Christo unum sunt, etsi alius aliud, aut alius aliter, vera tamen omnes dicunt, nec sibi ullo modo contraria, si pius Lector accedat, si mitis legat, & si non hæretico animo, undè tentetur, sed fideli corde, undè ædificetur, inquirat.* Sed de his hactenus.

AXIOMA V.

Sæpè Veteris Testamenti loca redduntur in Novo per meram duntaxat allusionem, ut vetera verba sensui novo deserviant.

NON est arbitrandum quoties in Evangelio locus aliquis ex Veteri Testamento desumptus occurrit, continuò argumentum esse probando alicui dogmati Christiano idoneum, aut eo fine prolatum; Nam sępè contingit ut ῥήσεις Prophetarum velut emblemata, proverbia, & parœmiæ ab Apostolis usurpentur. Neque mirandum est Paulum in Lege innutritum scatere istiusmodi loquendi formulis, quæ longè aliò trahuntur, quàm à primis authoribus erant adhibita. Non tamen, apud Iudæos homines, nullius erant ponderis allusiones istiusmodi, quandoquidem nihil familiarius est magistris Iudæorum, quàm ut loca Scripturæ à litterali sensu ad mysterium torqueant & deflectant, & allusionibus veluti demonstrationibus utantur, accommodatitioq; sensu longè intentiùs quàm proprio delectentur. Apud eos igitur non potuerunt esse contemptui dicta Prophetarum etiam ἐπικῶς & ῥαψῳδίας more laudata.

Sic Rom. cap. 10. ✠.18. Laudat Apostolus verba Psalmi 19. ✠. 5. Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, &c] Quæ verba quum de cœlis fuerint olim à Davide edita, Paulus Apostolis reddita voluit: ubi potest observari non exigua, cœlos inter & Apostolos convenientia, ut constet nobis ratio, cur Apostolus hęc potius verba quàm priora illa, *Cœli enarrant gloriam Dei*, protulerit. Nam si hoc tantùm demonstrare studebat, fuisse in cœlesti fabrica, tanquam in literis & lineis, quibus tanquam rudimentis divinæ glorię Ethnici rudiores intuebantur inscriptas Dei virtutes. quarum ex contemplatione poterant divinæ cognitionis haurire mysteria, non minus hoc ex prioribus illis effecisset *Cœli enarrant gloriam Dei*, quàm ex ijs quę commemoravit. Sed quęsivit Apostolus in similitudine cursus Apostolici & cœlestis & utriusque velocissimi sal gratiæ, quo sermonem suum condiret. Cúmque significare vellet usque adeò veloci cursu Apostolos in omnes terrarum oras pervenisse, ut jam in toto mundo Evangelium prædicarent cum cœlestibus orbibus, qui velocissimè convertuntur, eos composuit. Certè non aliter Davidis quàm per allusionem adhibuit verba, quia nulla se dabant idonea magis exprimendo sensui Apostolico. Vox autem φθόγγος quam LXX. secutus, hîc Paulus posuit Hebræo קום non malè respondet, quicquid alij sentiant qui LXX. viros legisse קולם nullâ necessitate hariolantur, cùm similitudo ducatur à lineis & literis quibus elementarij pueri paulatim informantur: quippe vox eadem ab Esaia cap. 28. ✠. 10. 13. est adhibita, ut rudem pueritiam Israëlis designaret צו לצו קו לקו pręceptum post præceptum, lineam post lineam eos dicit edocendos esse Huic autem nomenclaturæ non respondet incommodè φθόγγος, cùm à Plutarcho in vita Fabij & ab alijs usurpetur non tantùm pro sono, sed etiam pro scriptura literæ, non aliter quàm diphtongum & vocalem scriptam Latini quoque dicunt. Sunt enim inter Hebręos doctissimi qui קו non tantùm pro linea, sed etiam pro sono accipi pugnant. Quę tamen omnia non efficiunt Apostolum ex loco Davidis propriè argumentatum esse, nisi fortè pro more Iudęorum, qui convenientiam locorum solent loco legitimę probationis existimare. Attamen efficiunt ut illius Prophetici loci recitatio non tantùm elegans & concinna sit, verùm etiam pręsertim apud Iudęos admodum probabilis.

Sic Matth. cap. 2. ✠. 15. *Ex Ægypto vocavi filium meum*] Ex Ose. c. 11. ✠. 1. Multum vexatus locus est à Iuliano & à Iudęis. Osęas loquebatur de populo Israëlis, qui filius Dei primogenitus vocabatur. Sed vel in eo gessit populus dilectus imaginem dilecti filij nempe Christi: vel Christo aptantur verba de populo prolata, propter arctissimam communionem corporis & capitis, ut locus hic literaliter, aut historicè, aut saltem typicè, aut analogicè de Christo intelligatur. Quod est planius ac minus coactum per accommodationem allusionemque factum non

sine

ſine fundamento convenienti, quo Evangeliſta utitur Spiritûs prophetici conſcius, qui Spiritus Chriſti, Petro teſte, idem cum Apoſtolico fuit, non tam ut probare aliquid inſtituat, quàm ut vetus dictum ad novum altioremque ſenſum rapiat, quę accommodatio longè fit illuſtrior ac jucundior cum ſuis nexa fundamentis. Animadvertitur 1. quòd filius Dei primogenitus, Iſraël propter adoptionem, Chriſtus propter generationem dicatur. 2. Quòd ut circumcidi & cęteras Legis moleſtias, ità & exilium ſuſcipere Chriſtus voluit, cui ſuus Pharao Herodes fuit, nè quid ejus ærumnis vel à puero deeſſet, atque ut impleretur de eo quod ſcriptum eſt de populo: Pſalm. 129. *A pueritia & juventute mea ſæpè me afflixerunt.* 3. Quòd Angelus Domini comitaretur perpetuò veterem populum, ac potiſſimum, quum ex Ægypto liberaretur, Exod. 14. Angelus autem Chriſtus erat qui Patris populum ex Ægypto velut elatâ manu eduxit, idem quaſi denuo vocatus ex Ægypto dicitur, ut verè adimpleret opus quod olim pręludebat, & à vera ſpiritualis Ægypti ſervitute populum ſuum liberaret. Atque huc facit quòd Chaldaïca paraphraſis apud Oſeam repoſuit, *Per Angelum miſſum à facie mea eduxi eos.* 4. Corporis & capitis ἀλληλουχία, ſicut enim Chriſtus dicet, *Eſurivi & non cibum dediſtis mihi:* & Saüli dixit, *Quid me perſequeris?* nimirum, *In nobis ipſe patitur, & nos in illo coronabimur*, ut loquitur Auguſtinus; Ità ipſe olim cum populo & Eccleſia, deinde tota cum illo ex Ægypto vocata eſt. 5. Denique ſimilitudo quâ liberationem noſtri ex peccato & morte, Scriptura ſub imagine liberati ex Ægypto Iſraëlis depingere amat, apud Matthęum certè qui objectionem hanc occupavit. Cur enim non ex terra promiſſa venit Chriſtus ex qua ſurgere debuit Meſſias? cur ex Ægypto vocavit? Pari planè pacto, inquit, quo populus ille veſter, cujus erat adoptio & promiſſiones, in Ægyptum adductus eſt, de quo tamen Deus dixit. *Quum puer eſſet Iſraël eum vocavi ex Ægypto.* Sic verus Meſſias pulſus eſt in exilium, ſed in medio exilio Deus ejus curam geſſit, quem voluit per idem deſertum tranſire in pueritia ſua, per quod populus infans olim, & loca illa calcare ubi Lex lata in monte Sinaï. Paſcha inſtitutum & ſanguine poſtes imbuti, nè quid noceret Angelus Vaſtator filijs primogenitis Iſraëlitarum. Per Angelum adductus Iſraël; per Angelum ſed alterius ordinis revocatus Ieſus. Dixit Dominus Moſi, Exod. cap. 4. ℣. 19. *Mortui ſunt omnes qui petebant animam tuam.* Dixit Ioſepho, Matth. cap. 2. ℣. 20. *Mortui ſunt qui quærebant animam pueri.* Pharao infantes jubet interimi, ex quibus tamen unus evaſit non ſine miraculo, qui dux populi fuit exeuntis ex Ægypto. Alter Pharao Herodes cunctos, nè regio quidem excepto, pueros interfici jubet, inter quos tamen unus evaſit primogenitus Dei admonitu cœleſtis Oraculi, qui dux populi fuit exeuntis ex mundo. Et ſi quę talia.

Nec aliter accipiendus locus qui statim sequitur ℣. 18. *Vox audita est in Rama*, &c.] Quod Bethlehemitico infanticidio applicatur, an litteraliter & historicè? Omnia repugnant, nec enim Rama Bethlehem fuit, neque Bethlehem in parte Benjaminis ut Rama, neque Rachel mater Iudæorum puerorum. An typicè? non fit verisimile; nam quæ similitudo populi totius, cum pueris unius aut alterius pagi? aut infanticidij cum deportatione in exilium, in captivitatem? aut calamitatis propter scelera immissa, cum clade indignissima innocentium puerorum? Quid igitur dicemus? allusionem esse duntaxat sacram sive παρῳδίαν, in qua paucis mutatis vetera verba rei novæ adhibentur, quæ tamen παρῳδία suis nititur fundamentis. Primò, quia ex Ieremia repetitur quem notum est in lamentationes solvi ac θρήνους, & luctui describendo idoneum in primis. Secundò, quia inter Prophetæ illius dicta lugubria non aliud erat isto aptius propter loci proximitatem, Rachelis sepulchrum juxta viam in finibus Iudæ, ad exprimendos matrum plagentium ejulatus, propter cæsos ab Herode infantes, non aliter quàm Rachel plorabat filios suos. Ac demum, quia in oppido Rama vocati sunt Iudæi Babylonem deportandi. Commodùm ergo, post similitudinem liberationis ex Ægypto, ad Babylonicam transit deportationem, quia Ægyptus & Babylon præcipuè fuerant servitutis nostræ imagines.

Nec aliter interpretari debemus quod sequitur Oraculum ejusdem capitis ℣. 23. *Vt impleretur quod dictum fuerat per Prophetas*: Ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται. Cujus dicti occasio ex eo petitur quòd urbem Nazarethum Dominus incoluisset. Levis occasio maximæ rei, sed quæ non tàm revincendis Iudæis, quàm fidelibus consolandis affertur. Neque tàm ut probetur Evangelica veritas, quàm ut illustretur ac magis ac magis confirmetur in credentibus. Nam urbs Nazarethum, quod sciamus, nihil habuit commune & affine præter nomen cum veteribus Nazaræis. Allusio igitur sacra est mystica, quæ à Iudæis derideri non potest, quos febriculosis allegorijs indulgere delectat. Sed ejusmodi allusio tamen quæ ab Apostolis edita & eorum authoritate sancita, vim apud nos habet longè maximam. Apud Iudæos qui Apostolorum auctoritate non trahuntur, alijs utendum locis: aut si hoc etiam uti velimus ex consuetudine ipsorum, id à nobis debet institui. Nam & illi in suis commentationibus non rarò dicunt, *Vt impleretur quod dictum est*, ubi factum simile narrant, non verò idem cum eo quod Prophetæ commemorant. Quod ut meliùs intelligatur fundamenta quædam istiusmodi allusionis mysticæ nobis sunt observanda. Primò, de verbis neutiquam sollicitos fuisse Apostolos, nec ἀκριβείᾳ philosophicâ, anxietate grammaticâ sua dogmata executos, quas minutias qui captat in sacris eorum Scriptis non agitur eodem quo illi spiritu. Argumentantur, non syllogismis, nec enim fas est, quia ἡ ὑποκειμένη ὕλη demonstrationes rationis humanæ non ad-

mittit, sed Spiritûs tantum demonstrationes. Verum parodijs arguunt mysticis, & similitudinibus, typis, exemplis, imaginibus, & allegorijs, quod ipse profitetur Apostolus ad Galatas scribens cap: 4. ẏ. 24. ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. Neque tamen id cuivis permitti debet, ut ingenij sui lusus faciat Ecclesię Sacramenta, ut id de Origene proditur; Solis id Apostolis concessum est qui loquebantur ὡς ἐξουσίαν ἔχοντες, & auctoritate sua dictis pondus addebant: quia non quæ proprio instinctu commentati erant, sed quæ à Domino acceperant cœlesti quâdam Cabbalâ, tradebant. Non jam illam Cabbalam loquimur putidis referram nugamentis, quam febriculosi Iudæi venditant, sed illam quam Deus tradidit Masoram, & quam Apostoli acceperunt Cabbalam, hoc est, penitiorem sensum & medullam quæ sub Legis litera & cortice latebat, quam Paulus non ad pedes Gamalielis edoctus est, hanc enim abjecit, sed ex summo cœlo hausit & didicit, quæ nihil est aliud quàm interpretatio mystica & arcana Prophetiarum, aut rerum gestarum quæ Prophetis ex parte indulta olim est, quam & rarò docuerunt, & scriptis non commendarunt, sed in Apostolos effusa pleniùs, quam & crebriùs ursꝭrunt, & Ecclesiæ consignarunt. Nam cui mortalium unquam venisset in mentem, ut hoc exemplum demus, quum dixit Deus; *Propterea derelinquat homo patrem suum & matrem suam & adhæreat uxori:* depingi mysterium spiritualis Christi conjugij cum Ecclesia, quem intellectum ex revelatione cœlesti acceptum ad Ephesios pandit Apostolus. Quum igitur Nazarenus dicitur ex mente Prophetarum Dominus, propter incolatum urbis Nazarethi, revelatio est mysterij cujus conscij erant Apostoli, quo Deus ità rerum eventum pręstituerat, ut ab omnibus, adeóque à Iudęis ipsis alia omnino cogitantibus, Nazareni nomen Christo imponeretur: Tertullianus libro IV. adversus Marcionem: Nam & sumus nos de quibus scriptum est, *Nazarei exalbati super nivem;* quod si nemo in homine illo reprehendit, cùm tamen ea non fuerit animi mens Ieremię cujus verba recitavit, quorsum dura videbitur similis apud Evangelistam de Christo parodia? præsertim cùm fundamentis potioribus innitatur. Secundò, non casu aut fortuitò contigit quod נצר & צמח in Veteri Testamento ità Messię adhibeantur ipsis confitentibus Iudæis, ut non tantùm צמח de capillo dicatur increscente capiti, ut cum נזר magis conveniat, quæ vox capillitium designat, quâdam vel metaphora, vel metalepsi, sed etiam dicatur *germen* futurum ejus nomen. Germen autem synonimum est surculi, quem vox נצר significat, ut vix aliud Matthæus memorârit, quum dixit, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται. Nec est quòd quemquam nimis commoveat quòd Ναζωραῖος à voce נצר multum videtur distare, nam præterquamquòd voces omnes, quoties in alias transfunduntur linguas, ad earum ingenium inflecti solent, novamque terminationem sortiri: Sacri Scriptores Grammaticæ μικρολο-

γίαν funditus aspernantur, nec aucupantur syllabas, majoribus intenti. Tertiò, vox נצר apud Prophetas Hebraïcè loquentes bis tantum reperitur, & utrobique de Messia intelligitur: nam quod ab Esaia vel Daniele alijs aptatur, fit hoc ab ijs Chaldaizantibus μιμητικῶς ut crebrò solent.

Sic & in Novo Testamento nunquam hęc nomenclatura nisi Christo aptatur, quod non sine numine contigisse putandum est, cùm præsertim de Nazaræis non semel scriptura loquatur, sed nunquam sub hoc nomine, adhibitâ semper periphrasi, quasi sacrum hoc Nazarei nomen, tum in Gręca, tum in Hebræa Lingua, uni Christo reservaretur. Quartò, locum hîc habet quod Chrysostomus observat, multa prædicta esse à Prophetis, non tam διὰ λόγων καὶ ῥημάτων quàm διὰ τύπου καὶ διὰ τῶν πραγμάτων, ut nihil attineat nimium sese torquere in investigando loco ubi verba extent διαῤῥήδην, aut verò in aliquo librorum qui perierunt injuriâ temporum affirmare id extitisse. Quod facit Chrysostomus ad hunc locum, faciunt alij pręstantissimi viri, quanquam etiamsi statueremus aliquem librum perijsse, ità permittente Deo nihil tamen in eo Canonis perfectioni detraheretur, quæ non est posita in eo, ut numerus librorum constet; Nam perfectus erat Canon quum nondum esset Evangelium pro hoc tempore, sed in eo ut in libris extantibus omnia saluti necessaria contineantur. Nihil tamen opus est hac hypothesi, sensus enim horum verborum ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, hic est, *Verè hic Domini Nazaræus erit, quemadmodum variè olim prædictum ac præsignificatum est.* Quod & contigit sive ad vocem נצר, sive ed vocem נזיר respiciamus quæ significant, *virgultum*, *germen*, *separatum*, *sanctum*, *coronam olei & unctionis*, *Cidarim sacerdotalem*, *diadema Regum.* Quæ omnia non tantùm in cruce implementum habuerunt; tunc enim instar virgulti ex arida terra germinavit: sed in ipso crucis titulo, ubi Rex dictus est propter coronam, Iesus propter sacerdotium, quemadmodum & Christus dicitur propter unctionem olei. Quę notiones omnes voce Nazaræi continentur. Sive respexeris ad typos Nazarçosq; veteres, inter quos duo fuere eximij Ioseph & Samson, Ioseph propter principatum, Samson propterea quod populum liberârit & servârit morte sua: nam & נצר custodire, servare significat. Quintò, denique observandum est non esse urgenda verba. Error enim fuit popularis Iudæorum Ναζωραῖον pro Nazarethano dicentium, quem non castigat Evangelista, sed in rem suam sensumque meliorem trahit, nempe Syriacè loquebantur, ità ut α Gręcorum velut ω pronuntiarent. Arripit omen, si fas ita loqui, Evangelista doctus à Deo, id quod faciebant Iudæi animo malo, ritè administrari à Deo sapientiâ summâ. Simile quid contigit, quum *Eli*, *Eli*, Dominus in cruce clamaret, intellexerunt enim Eliam ab eo invocari. Sed longè similius quid Caïphas pronuntiavit,

Expedit unum hominem mori pro toto populo, quæ, si respexeris ad mentem pronuntiationis, fuere durissima verba, si ad providentiam Numinis hæc omnia dispensantis, ut ex ore hostium veritas inclaresceret, oraculum fuit Sacerdotis prophetantis, quum alia omnino cogitaret, uti Ioannes auctor est. Ità quum Iudæi Dominum Nazarenum vocitarent ab urbis Nazareth incolatu, qui verè Nazaræus Domini erat alijs de causis: *Meliùs loquimini quàm putatis*, inquit Evangelista, *veritas imprudentibus vobis excidit, nomen quod in dedecus jactatis, laudi vertimus Christiani, falsum est quod cogitatis, verum est quod profertis, & jam impletur quod fuerat olim prædictum, Nazarenum fore Messiam: Christus enim vobis etiam invitis & nesciis Nazareni elogio quod est Messiæ proprium, ornatur admirabili Dei providentiâ, ut ex ore blasphemantium exeant prophetiæ.* Sic, ut & alio utamur exemplo; Quum Iudæi Evangelium novitatis insimularent, primò quidem Dominus non esse mandatum novum ostendit, sed antiquum, atque adeò æternum. Deinde verò, novitatis elogium admittit, sed alio & novo sensu, adeóque non detrectat novitatis appellationem, ut Evangelij titulum Novum Testamentum esse voluerit: quasi diceret: *Si non possum aliter vestram domare proterviam, Esto, dicatur nova doctrina mea, sed nova, quia excellens, jucundum & novum nuntium, spiritualis, cœlestis & æterna est.* Nam hæ notiones omnes hac nomenclatura continentur. Ità quum Nazarenus à Iudæis Dominus per ludibrium diceretur, nè pro Messia existimaretur qui non potuit nasci ex Galilæa vel Nazaretho, ac nè Propheta quidem ullus, aut boni quicquam hinc existere. Secundò quidem, Evangelista diluit accusationem, docetque natum esse Bethleemi juxta Micheæ oraculum. *Et tu Bethleem Ephrata*, &c. Deinde verò, quia non desinebant Iudæi Nazaræum appellare, non Betlehemitam, cui appellationi suus color hic erat, quòd educatus fuerat Nazarethi, adeóque hinc prodijsset ad munus obeundum συγχωρητικῶς Matthæus dicit: *Esto, Nazarenus dicatur, sed intellectu legitimo, non qualem vos fingitis ab oppido, sed qualem res ipsa postulat ex oraculo Veterum quod vos nescientes, non inscio Deo, & inviti, Deo volente impletis, quum Nazarenum vocatis eum in quem omnia conveniunt quæcunque olim prædicta sunt cum hac appellatione, consentanea, vel affinia.* Non enim ex hoc loco licet argumentari respectu occasionis, non certè magis quàm si adversus Iudæos afferret aliquis Caïphæ testimonium, *Expedit ut unus homo moriatur*, &c. Sed ex rebus ipsis hunc in locum: Qui revera veteris Nazareatus omnes implevit ceremonias, Deo sanctificatus, ac devotus, qui verè germen ac surculus fuit, de quo Zacharias & Esaïas, qui verè simul Rex & Sacerdos, verus Iosephi fratrum Princeps, verusque Samson liberator populi, ac debellator hostium, in quo denique omnia videmus impleta, quæ vel in

secta Nazaræorum. vel in typis nativorum aut votivorum, vel in vario significatu originis & cognatorum nominum præsignificata sunt, is verus Messias fuit, etiamsi Nazaræi nomen, ei nunquam fuisset impositum, sicut verus Emmanuel, fuit qui non fuit eo nomine dictus, tametsi Propheta præcinerat, *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quia *vocari, esse* significat, & multa διὰ τῶν πραγμάτων implentur. Nec aliter in Christo dici potuisset impleri oraculum, *Et Nazaræus vocabitur*, quando talis revera fuit separatus à peccatoribus, & sanctificatus Deo. Atqui non modò hæc omnia implementum habuerunt in Christo rebus ipsis: verùm præterea non sine divina procuratione factum est ut à perperàm pronuntiantibus Iudæis ad Syriacam formam Ναζωραίου nomen Christo adhæserit, nè quid ei deesset vel nomine tenus, quod hunc verum esse Dei Nazaræum ambigere pateretur. Ergo, verus Messias fuit. Adde quod est Galilæus Christus, & Galilæi vocabantur per contemptum Christiani, ut ex illa voce quæ Iuliano tribuitur, patet, *Vicisti Galilæe*, non tamen Christianos *Galilæi* cognomentum admisisse legimus. Quare igitur *Nazareni* audire non detrectarunt, cùm Nazareth oppidum esset in Galilæa? Quia non sine divina contigerat virgula, ut Nazarenus diceretur Christus ab inimicis propter urbem, qui revera talis dici meruit propter mysterium.

Sic & in eundem sensum adeóque multò potiori jure referri potest locus Pauli Rom. c. 8. ℣. 36. desumptus ex Psalm. 44. Vbi quod Veteres Israëlitæ commemorant de suis angustijs, Paulus reddit & applicat fidelibus Novi Testamenti, ut ostendat parilem fuisse tum veteris Ecclesiæ tum novæ conditionem, *Sicut scriptum est*, inquit, *mortificamur quotidiè.* Vbi allusio tantùm est, & veterum Iudæorum verba novó atque Christiano sensui inserviunt, quanquam & Ecclesia vetus rectè dici potest typus Ecclesiæ Christianę in calamitatibus, quas propter Deum, non autem propter peccata populi patiebatur. Ità enim ferebat Legis dispensatio, ut infamem populum plerumque castigaret propter peccata, sed rariùs propter gloriam sui nominis ad martyrium vocaret. Quum ergo affliguntur Iudæi propter Dei gloriam typum gessisse videntur Christianorum & Evangelicæ dispensationis, qua de re alibi. Quæ certè in Psalmis verba querimonias Iudæorum exhibent, qui sortem suam deplorant & solvuntur in lachrymas, ea Paulus carmini triumphali novorum fidelium velut inservit, exultantium non conquerentium quod habeantur digni propter Deum pati talia.

Sic in Apocal. cap. 1. ℣. 7. *Omnis oculus videbit eum, & qui eum transfoderunt.*] Qui locus desumptus est ex Zacharia c. 12. ℣. 10. Sensu non tantùm alieno, sed etiam, ut apparet, planè contrario. Loquitur enim Propheta de conversione Gentium, & intuitu fidei & fletu pœnitentiæ, adeóque de prima Christi ἐπιφανείᾳ. Cùm Theologus lo-

quatur de Iudæis qui Christum rejecerunt, & intuitu desperationis & fletu impœnitentiæ, atque adeò de ultimo Christi adventu. Nihil est igitur planius quàm hîc vetera verba penitùs novo sensui deservire. Hunc autem Zachariæ locum LXX. reddiderunt *ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο*, pro eo quod insultârunt: nempe legentibus in Codice suo רקדו pro hodierno דקרו, vicinia enim duarum litterarum imposuit nimiùm ד & ר similitudo. Cui loco cum sit affinis alter Psalmi 22. ℣. 17. כארו *Transfoderunt pedes meos & manus meas*, ubi legitur כארי *sicut leo*: manifestum est diversitatis hujus causam non esse imputandam Iudæorum corruptelæ, quidni enim etiam corrupissent illum alterum Zachariæ cap. 12. ℣. 10. cùm præsertim LXX. perperàm legissent, aliterq; quàm in Hebræo reddidissent, quod eorum corruptelæ ansam opportunam præbuisset, cùm tamen LXX. Psalmo 22. reddidere admodùm fideliter *ὤρυξαν foderunt*. Cur non corrupissent versum ejusdem Psalmi 22. de partitione vestium deque projectione sortis, quo certè loco nihil est luculentius. Adde quod ipsi confitentur Iudæi, Legi כארו in Codicibus nonnullis; sed præsertim patet idipsum, nempe vocem כארי non posse significare *sicut leo*, laudato Psalmo, patet, inquam, ex hac nota Masorethica, *Duo sunt Cametsatha in duplici significatione*, hoc est, vox כארי bis extat in sacro Codice cum Camets ab initio sub כ, nempe semel Psalmo 22. & iterùm Esai. c. 38. ℣. 13. *Proponebam mihi usque ad manè sicut leo*, כארי, *qui confracturus est ossa mea.* Iam verò cum hoc loco Esaiæ palàm sit voce hac leonem denotari, necessariò efficitur ex nota Masorethica nobis à Iudæis præbita, in Psalmo 22. non leonem intelligi, sed aliud quidpiam. Quid autem aliud quàm *foderunt ὤρυξαν*? ne fingi quidem potest ab hominibus Hebraïcè doctis. Atque hæc obiter dicta sunto.

AXIOMA VI.

Spiritus Sanctus non aucupatur syllabas.

NÆ magnam injuriam Scripturæ faciunt, qui eam cogere volunt intra Grammaticorum angustias & *μικρολογίαν σπγγεχεικλὼ*, ut loquitur Synesius; quasi non eas minutias neglexissent Scriptores sacri majoribus intenti. Quod vel primo Geneseωs libro pius Noachi parens docere potuit, qui *Noachum*, ità vocasse dicitur, *quia consolabitur populum*, cum vocis *Noachi* legitima originatio deducatur ex נוח *quies*, non autem à נחם, quod est *consolari*, si Grammaticorum arbitrio stetur. Sed valeant illi quando sensus eódem volvitur, nam consolatio nihil aliud est quàm quies animi.

Sic in Veteri Testamento multas *ῥήσεις* & *ἀλλαγὰς* videmus Prophe-

tas alios ex alijs mutuari, ut Ezechielem atque Zachariam ex Ieremia, non tamen ità, ut verba totidem recitent. Sic Psalmus 18. legitur apud Samuelem lib. 2. cap. 22. sed non sine crebra & magna diversitate ut ✝. 5. Psalmi, *funes mortis:* Samuel habet, *fluctus mortis.* Et ✝. 8. pro *fundamenta montium*, legitur apud Samuelem, *fundamenta cœlorum.* Et ✝. 11. pro וידא *& volavit*, existit apud Samuelem וירא *& apparuit.* Et ✝. 15. *fulgur* pro *fulmine.* Et ✝. 23. pro *non removebo à me*, legitur, *non recedam ab ipsis.* Et ✝. 28. *oculos elatos deprimes*, pro eo quod est apud Samuelem, *& oculi tui contra elatos.* Et ✝. 36. *Et dextra tua fulcit me*, totum hoc deest apud Samuelem. Et ✝. 43. apud Psalmum, *Sicut pulverem ante ventum exaniebam eos*, apud Samuelem, *Sicut pulverem terræ calcabam eos.* Et ✝. 46. pro ויחרגו *& horrescebant*, est in Samuele, ויחגרו *& accingebant se.* Et ✝. 51. pro מגדל *Magnificat salutem Regis sui*, est in Samuele מגדול, id est, *Turris Regis sui.*

Quæ cùm ità se habeant, & Prophetæ quum Prophetarum verba recitant, sint ad sensum attenti de verbis parùm solliciti, minùs mirum videbitur quod Evangelistæ ità recitent Prophetarum verba, ut non annumerent ea, sed ad mentem respiciant. Nec habebant Iudæi quod conquerantur, Prophetas laudari parùm fideliter à Scriptoribus nostris, cùm eorum Prophetæ in superioribus Prophetis recitandis eadem libertate usi fuerint. Atque huc præ cæteris referri meretur locus, Matth. cap. 27. ✝. 9. desumptus ex cap. 11. Zachariæ, cùm tamen Matthæus dicat id à Ieremia prædictum fuisse: quæ prima difficultas est. Altera, quòd in verbis Evangelistæ incredibilis propè varietas à verbis Prophetæ animadvertitur. Ad primam quod spectat, sensit Augustinus esse ἁμάρτημα μνημονικὸν Scriptoris sacri qui Ieremiam pro Zacharia posuerit. Hieronymus verò ex adverso quidvis potiùs dicendum existimat. Hîc verò ut alibi observamus hæc duo veteris Ecclesiæ lumina contrario nisu in longè diversa ferri, nè quis miretur quod Augustinus ille tantus laudator Scripturarum & religiosissimus cultor, hoc loco memoriæ lubricum viris Dei affingere non vereatur; intereà dum Hieronymus ille audentior Interpres, qui Paulum *detorquere ac abuti Prophetarum scriptis* asserere non dubitat, certè nullatenus id probavit; *Paulum verò & Petrum non invicem concertasse, verùm ex compacto ac de industria, œconomico veluti mendacio, ut meliùs Gentium ac Iudæorum salus procederet*, pugnavit adversus Augustinum, quod in eorum epistolis, legi omnino dignis, videre est. Hoc jam loco nempe ut ab Augustino longissimè recedat, verecundatur sacro Scriptori, vel memoriæ peccatum imputare, quæ vera est ἀνθολκὴ, quâ liberior solitò Augustinus, & frugalior ac ferè scrupulosior quàm pro more suo Hieronymus factus est. Quippe hic etiamsi fateatur hoc testimonium in Ieremia non reperiri,

reperiri, & in Zacharia similitudinem quamdam referri, & quanquam sensus non multùm discrepet, ordinem tamen & verba diversa esse ac præpostera, tandem ait, *Accusemus Apostolum falsitatis, quòd neque cum Hebraico, neque cum LXX. congruat Interpretibus, & quod hîc majus est, erret in nomine* (ubi jam commotior Augustinum videtur tangere) *pro Zacharia quippe Ieremiam posuit. Absit hoc de Pedissequo dicere Christi, cui cura fuit non verba & syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere.* Hactenus Hieronymus contra Augustinum nitens, ut eorum vel hîc *διανοίαν* possis cognoscere. Nos verò tametsi non putamus nimium exagitandos esse viros maximos, qui cum Augustino peccâsse interdum Evangelistas memoriæ lubrico statuunt, quippe cùm Spiritus quo instabantur, non omnes ijs infirmitates ademit, sed hactenus duntaxat ijs adfuerit, ut cœlestem doctrinam incorruptè consignarent; minimè tamen consentaneum existimamus, quas possumus culpas, in Amanuenses & Notarios derivare, eas in Scriptores divinitùs afflatos refundere. 2. Alij ariolantur non probant binominem fuisse Zachariam, & Ieremiæ cognomen habuisse, ut Zacharias Barachiæ filius Ioiadæ etiam dicebatur. 3. Sunt qui velint ex Apocrypho seu occultis Ieremiæ locum depromptum esse. 4. Alij ad traditionem confugiunt, & Ieremiam primum authorem fuisse illius oraculi, quod scripto ipse minimè commendavit, sed ore docuit Zachariam discipulum, qui hæc scripsit prout solent discipuli præceptorum imitari stylum. 5. Censent nonnulli (quâ in opinione Iustinus martyr) fraude Iudæorum expunctum esse locum ex Ieremia, quod neutiquam est verissimile, ut alibi demonstramus. 6. Conjungi duo loca, sunt qui existiment, quorum locorum prior apud Ieremiam, posterior sit apud Zachariam; & adijciunt nonnulli, parenthesi concludenda esse hæc verba (*καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως*) adeóque addendam esse copulativam, hoc pacto; (*διὰ Ἰερεμίου καὶ τοῦ προφήτου λέγοντος,*) ut posterior Zacharias intelligatur. Sed hæc libera sunt nimiùm & anxia. Neque tamen improbamus parenthesim hujusmodi, quia revera Ieremiæ cap. 32. ℣. 15. aliquid non absimile occurrit. Sed religio nobis est adijcere particulam καὶ sacro textui; neque putamus absurdum esse *figuli* voce designari apud Prophetam, figuli agrum, de quo Evangelista, in quo nempe figulus habitabat, sicut Vcalegon, pro Vcalegontis ædibus positum invenitur. Virgil lib. 2. Æneid.

——————Iam proximus ardet
Vcalegon.

Plausibilius est quod aiunt alij, apud Interpretem Syrum, & in nonnullis etiam Codicibus Latinis, *per Prophetam*, simpliciter legi. Quod si constaret Matthæum scripsisse Hebraïcè, qua de re dicemus alibi, potuisset scribere ביד נביא *per manum Prophetæ*, sive, *per Prophetam*, &c.

Mmm

verso ד in ר qui lapsus est proclivis, legi facilè potuisset ביר, Beth, Iod, Resch, quod in compendiosa Scriptura, in Ieremia. vel διὰ Ἰρεμίυ, significat. Quidquid sit, longè satius est hoc erratum Amanuensibus quàm primis scriptoribus imputari: cujus errati rationes hæ possunt adduci. Primò, quòd Scripturæ curtatæ; quod Veteres notârunt, proclivis esset in hisce nominibus mutatio, nam pro Ἰρεμίυ, scribant ιου, & pro ζαχαρίυ, scribant ζου: quæ nemo non videt facilè commutari posse. Deinde, simile aliquid reperiri apud Ieremiam non est negandum, qui non modò de vase fictili, cui fuerunt inclusi emptionis libri, loquitur, sed etiam de lagena fictili, quæ projecta fuerit ad portam fictilem, vallemque *Gehinnom*, quæ occisionis dicta est, ut ei non malè ager sanguinis respondeat. Quæ omnia cùm obversarentur animo scriptoris, qui apud Zachariam tale aliquid occurrere nullus meminerat, facilè potuit adduci, ut emendaret quod emendatione non indigebat, & *Ieremiam* pro *Zacharia* scriberet. Tertiò, huc accedit necessitudo inter Ieremiam & Zachariam, summa etiam ratione nominis, nam Ieremias *exaltans*, Zacharias *memorans*, vel, *celebrans* interpretatur: quod eòdem fermè recidit. Sed cùm respectu doctrinæ, ut solent Discipuli præceptorum imitari stylum, Zacharias, qui Ieremiæ discipulus perhibetur, multa ex illo trahit, ut Iudæi Zachariam, veluti quemdam Ieremiam redivivum habuerint, in quo & fuisse spiritum Ieremię narrant, adeóque nonnulli censeant, quod vivâ voce traditum acceperat à Ieremia Zacharias, & scripto consigârat; Id Evangelistam primo auctori reddere, ab eoque dictum asserere, non scriptum, quod à Zacharia scriptum est; licet alibi dicta simpliciter dicuntur, quæ scripta etiam reperiuntur, sed satis est quod Evangelista non scriptum à Ieremia, sed ῥηθὲν affirmavit. Cæterùm quod non displicuit Viro doctissimo, licèt pium, subtilius tamen quàm solidius videtur, *Consultò hæc à Spiritu Sancto permutata esse nomina, ut appareret unam eandemque esse doctrinam, neque propriam illorum qui scripserunt, sed communem omnium.* Nam cur Ieremiæ potiùs quàm Ezechieli aut Mosi ea tribuerentur, quæ apud Zachariam leguntur?

Sed ad rem ipsam veniamus ac observemus primò, hæc omnia dicta quæ petuntur è Veteri Testamento ab Evangelistis, non semper eò spectare ut Iudæorum protervia revincatur, sed præcipuum sæpè scopum hunc sortiri, ut fideles magis ac magis confirmentur. Christi miracula, & miraculorum omnium longè maximum resurrectio adversus Iudæos in primis urgebatur, sed & veterum oracula nonnulla luce meridianâ clariora. Secundò, id quoque observemus, confertim accipienda esse dicta veterum Prophetarum quæ commemorantur ab Evangelistis, quæque suo loco sigillatim & narrationi sparsim intexuntur. Si quis ex ijs velit legitimè dimicare, cogendæ sunt hę copiæ in unum

velut exercitum, cujus robur haud facilè frangat, qui singulis quasi militibus defungi facilè videbatur. Colligamus, exempli causâ, quæ Matthæus passim prôseminavit loca, & sic argumentum instituamus. *In quem competunt quæcunque olim de Messia & prædicta & præsignificata sunt, ille verus est Messias: atqui competunt hæc omnia in Iesum Christum ex Virgine natum Bethlehemi, Immanuelem nostrum, verum Nazaræum, ex Ægypto vocatum,* &c. *In quo & illud admirabili Dei procuratione fuit impletum quod à Zacharia fuerat olim adumbratum, adeóque, literaliter impletum, quod allegoricè fuerat adumbratum de triginta siclis,* &c. *Ergò, I. Christus est verus Messias.*

Hîc jam fatemur, verba longè diversissima esse, quod patebit conferenti Prophetam cum Evangelista; sed res quoque ipsa paulò videtur alienior; quippe apud Zachariam ipse Propheta mercedem postulat; apud Matthæum proditor, *Quod vultis mihi dare*, inquit Iudas. 2. apud Zachariam triginta sicli fastidiuntur, ut pretium vile nimis, non sine salsa ironia: sed apud Matthæum accipiuntur à Iuda, ut pretium benè justum. 3. Apud Zachariam appenduntur in mercedem laboris præstiti; apud Matthæum traduntur Ischariotæ in præmium prædictionis futurę. 4. Apud Zachariam Propheta jubetur à Deo argenteos proijcere per indignationem: apud Matthæum Iudas proprio instinctu proijcit per desperationem. 5. Apud Zachariam, causa projectionis est indignatio nata ex indignitate pretij: apud Matthæum pœnitentia & desperatio nata ex diris angoribus conscientiæ. 6. Denique, Zacharias proijcit ad templum & ad figulum: apud Matthæum proijciuntur in templum à Iuda, sed à Sacerdotibus dantur pro agro figuli. Quę omnia efficiunt, ut hîc allusio sacra non sine Metaphora & Allegoria esse videatur, ut quod à Zacharia fuerat pronuntiatum, ἀλληγορικῶς & primâ intentione ad populum veteris ævi referebatur, verè ac realiter à Christo impleatur, & secundâ sed pręcipuâ intentione ad Christi tempora pertinuerit. Ad verba quod attinet non tam citatio est quàm paraphrasis. Non enim Evangelista recitat locum propheticum, sed interpretatur, impletum narrat, adeóque sententiam vaticinijs exprimit fideliter: at verba non admodum curat. Ad rem ipsam quod spectat, etiamsi non omnes conveniant circumstantiæ, satis est convenire præcipuas. Primò, utrobique triginta sicli pretium idem; quod non sine numine contigit. Sacerdotes putabant sese accersere Christo æternum dedecus, quòd triginta sicli servilis capitis pretium foret sub Lege, nam Capita libera quinquaginta siclos pendebant; sed aliud erat consilium Deo, qui consilio Pontificum pręerat, & hęc omnia ità temperabat, ut sicut Caïphas imprudens ac invitus prophetaverat; Ità nunc Pontifices imprudentes ac inviti pretium Christo dicerent, omnino quale conveniebat ei qui servus pro nobis factus est, cùm esset in for-

ma Dei, Philip. c. 2. ℣. 7. Adeóque luculentum Zachariæ vaticinium implerent: quę memorabilis fuit rerum συζυγεία. 2. Sicut idem pretium fuit, fuit idem populus qui pretium posuit, ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ, inquit Evangelista, hoc est, aliqui ex Iudęis, aut simpliciter ex phrasi Hebraïca, Iudęi seu Israëlitæ, populus & in Veteri & in Novo Testamento ingratissimus & iniquissimus beneficiorum diuinorum æstimator. 3. Vtrobique figulus memoratur & ager sanguinis, qui Valli Gehennę, seu, ut habent Gręci, τῷ τῆς σφαγῆς πολυανδρίῳ, occisionis sepulchro respondet. Ager enim figuli destinabatur Εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις, inquit Evangelista; nec sine divina providentia contigit ut ager ille ἀγρὸς αἵματος, Akeldama Syriacè vocaretur. Ergo, hîc typus est, ut sic dicam, inversus: nam ludicra veterum ceremoniarum quę Iudæi apud Zachariam Deo veluti justum pretium persolvunt, triginta quidem siclis adumbrantur: sed prætereà quodam veluti antitypo triginta siclos adumbrant, quos Pontifices tanquam capitis Christi pretium numerârunt: sicut enim apud Zachariam ceremonias inanesque fucos, quibus divina beneficia Iudæi pensabant, Deus projici jusserat ad figulum in templo per sanctam ironiam, quasi Deus dixisset, *Vos indignum pretium offertis figulo verè dignum qui reficiat vasa, & resarciat rimas templi vestri ceremonialis.* Ità nunc apud Matth. reddi jubet ac projici à Iuda in templum iniquum quo Christus æstimatus est pretium: Christus, inquam, idem pastor qui populo veteri præerat, eodemque pretio ab eodem populo æstimatus fuerat, adeóque projici triginta siclos à Sacerdotibus impulsu Dei, ut omnia respondeant in agrum figuli; quasi Matthæus dicat, *Tunc impletum est, seu continuatum est impleri, quanquam in diverso facto, res eadem planè Iudæorum ingratitudo summa, qui sicut pretium servile olim Christo pastori obtulerunt; ità nunc iidem illi tametsi aliter, eamdem testantur ingratitudinem, in Christum Redemptorem: nam quem olim ceremoniis coluerunt inanibus, quæ majoris non sunt apud Deum quàm triginta sicli, vile pretium; Ità nunc eundem Dominum non pluris æstimant, quàm si servus esset.* Cui loco sunt alia similia multa in quibus verborum nulla ferè ratio habetur, modo sensus ratio constet.

AXIOMA VII.

Spiritus Sanctus pro auctoritate sua liberrimus est.

AVctores Sacri loquuntur ut à Deo missi &, ὡς ἐξουσίαν ἔχοντες.] Non annumerant verba, nec appendunt. Major quippe fuit eorum dignitas, quàm ut ad minutias descenderent, ac superstitiosè verbum pro verbo redderent, quasi affectantes bonam fidem. Quod solli-

citè faciunt qui proprij reperta ingenij emittunt, quum præſertim ea velut à Deo prodita, venditant. Sed cùm in rebus non in verbis οὐκ ἐν λόγῳ ἀλλὰ ἐν δυνάμει, conſtet veritas nihil eſt magis importunum quàm ſcriptores à Deo afflatos, qui ſuâ fiduciâ ſubnixi & conſcientia Spiritus quo agebantur freti, cogere in anguſtias pædagogicas & jejunas præceptiones formularum noſtrarum, quas etiam ij contemnunt ex ſcriptoribus prophanis, qui ſunt paulò altiori conſcientiâ. Certè ipſi LXX. viri ſua in verſione non κατὰ πόδας Hebræa, ſed modò in alia omnia iverunt, ac ſenſum adulterarunt, (quod in ſacros Scriptores non cadit) modò ſenſum alijs verbis eundem dare ſatis habuerunt: quod ex alijs locis & illo in primis patet, ubi quum eſſet in Hebræo, *Perforaſti aurem*, LXX. σῶμα κατηρτίσω, *corpus aptaſti*, poſuerunt. Quod igitur iſtis bonis hominibus licuit, ut mentem magis quàm verba ſpectarent, quidni ſanctis licuerit Apoſtolis?

Sed ad eos redeamus qui non humana induſtria vel juſſu alicujus Ptolomæi, ſed mandato & inſtinctu divino ſcripſerunt. Summa neceſſitas hujus obſervationis apparebit nempe Apoſtolos & Evangeliſtas de ſenſu ſummopere; de verbis neutiquam ſollicitos fuiſſe. Si loca ſpectemus illa quæ ſunt ex Veteri Teſtamento in Novo recitata, non ſemel aut ab uno, ſed plus vice ſimplici, ut à varijs, adeóque varijs verbis, undè non minùs benè Apoſtolos inter & Prophetas liqueat convenire, tametſi verba diſcrepant, quàm inter Evangeliſtas invicem, quia & hi quoad verba in recitandis locis non raró diſſident. Exempla ſunt, Matth. c. 3. ℣. 3. τὰς τρίβους. Marcus, τὴν ὁδὸν dixit. Confer Luc. c. 4 ℣. 4. & Deut. c 8 ℣. 3. cum Matth. c. 4. ℣. 4. Eſai. c. 29. ℣. 13. & Marc. c. 7 ℣. 6. Ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι πραῢς, καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον, καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου. Ex Eſai. c. 62. ℣. 11. Matth. c. 21. ℣. 5. Zach. c. 9. ℣. 9. Ioan. c. 12. ℣. 15. dicitur, Ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεται καθήμενος ἐπὶ πῶλον ὄνου. Act. c. 7. ℣. 32. cum Matth. c. 22. ℣. 32. & Rom. c. 9 ℣. 33. cum 1. Pet. c. 2. ℣. 6. Cùm igitur Apoſtoli ac Evangeliſtæ eundem locum ex Veteri teſtamento recitantes varijs uti verbis non metuant, perſpicuum hinc eſt omnino eos de verbis parùm laboraſſe: nimirùm homine dignum erat, non dignum erat viris Dei cavere ſibi ab omnis ſuſpicionis temeraria occaſione, anxia quadam & puſillanima ſollicitudine. Sanè nihil eſt quod magis hominem prodat, quàm nimis ſedula bonæ fidei etiam in rebus non neceſſarijs affectatio, uſque adeò ut nonnullis Hebræum Matthæi Evangelium ideo ſuſpectum videatur, quòd præter Evangeliſtæ morem, affectata fide non ſententiam Prophetarum appendat, ſed annumeret verba. De Matthæi Evangelio Hebræo nunc quidem non pronuntiamus, attamen objectionem illam ſuum habere pondus minimè dubitamus. Nihil tale Numa, nihil tale Lycurgus, aut alij quotquot placita ſua pro numinis oraculis in vulgus dabant, nè

fraus dispalesceret: suæ conscientiâ infirmitatis impulsi sollicitè canebant, nè contradictio ulla sibi posset objici. Verùm Apostoli divinæ authoritatis conscij rebus nituntur non verbis. Nolimus ergo, quum loca Veteris Testamenti reddita in Novo interpretamur, nimiùm nos torquere in verbis anxiè computandis, modò sensum eundem utrobique nanciscamur.

AXIOMA VIII.

Novum Testamentum sequitur modò Hebræos, modò Græcos, modò Neutros.

HOc igitur altè in animum demittendum est Scriptores Novi Testamenti παῤῥησιαστικῶς καὶ μάλα αὐθεντικῶς scripsisse, ut eos decebat qui eo ducebantur Spiritu, quem neque fallere posse, neque falli certum est; qui Spiritus ipsa libertas est, non tantùm quia servile jugum Legis excussit, ob redemptionem quam Christus peperit, sed etiam quia scrupulosas formidines & pueriles ignorat, ob παῤῥησίαν quâ gaudet. Vndè Apostolus alterum deducit ex altero, παῤῥησίαν ἐκ τῆς ἐλευθερίας, 2. Cor. 3. per totum caput & quarti initium, & ad Heb. cap. 10. ℣. 19. Nam de verbis esse sollicitum, ac litteræ cortice sub Lege utique videbatur tolerabile, cùm pueri *Lineam post lineam*, *præceptum post præceptum* dicebant sub pædagogo. Quam in litteris ac vocibus anxiam & scrupulosam sollicitudinem hodiéque Iudæi mordicùs retinent; Apostoli verò amoliti sunt, ac liberè pro authoritate sua verba immutárunt, diviserunt, conjunxerunt, miscuerunt, alia fecerunt, amplificârunt, contraxerunt, conscij Spiritus ejusdem qui Prophetas impulerat. Quod adeo nemini scrupulum debet inijcere, ut major hinc ædificatio existat, quippe si curiosè ac ambitiosè verbum pro verbo redderetur, nimia hæc diligentia & pusilla vocum enucleatio, nescio quid humanum redoleret; cùm ex adversò eos necesse sit authoritate divina fuisse prędítos ac armatos, qui tam liberè tamque securè agunt, ut minutias & inanes malæ fidei suspiciones ac scrupulos Iudęorum nihil morentur, modò res ipsas & sensum germanum teneant, quod non aliundè proficisci potuit quàm ex divini afflatus conscientia.

Primò igitur, Novi Testamenti Scriptores etiam ubi discrepant ab Hebræo LXX. viri, sequuntur tamen discrepantes, ac modò aliquid addentes; ut Matth. cap. 4. ℣. 10. Καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Deut. c. 6. ℣. 13. ubi vox μόνῳ à Græcis additur. Vbi Tentator, quamvis vafer, non obijcit Domino ab eo Scripturas non citari ἀπαῤῥήδην, sed cum aliquo additamento, & quidem vocis ad rem apprimè pertinentis. Non enim erat usq; adeò Vitilitigator, ut fuerunt ejus nostro ævo Ministri,

quos non puduit adigere nos ad probandos articulos fidei nostræ totidem Scripturæ verbis argutiâ planè ridiculâ. Et Matth. c. 15. ℣. 9 Μάτην δὲ σέβονταί με, desumptum ex Esa. c. 29. ℣. 13. μάτην additur à Matthæo juxta Græcos. Et passim voces γὰρ, καὶ, πᾶς, adduntur, ut Gal. c. 3. ℣. 13. ex Deut. c. 21. ℣. 23. modò aliquid omittentes LXX. Interpretes tamen sequuntur Apostoli & Evangelistæ; ut Esai. c. 40. ℣. 3. omittunt LXX. בערבה. Omittit pariter Matthæus c. 3. ℣. 3. εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. Confer Esai. c. 8. ℣. 23. & Matth. 4. ℣. 15 Nec-non Esai. c. 40. ℣. 5 cum Luc. c. 3. ℣. 6. Et Deut. c. 18. ℣. 15 cum Act. c. 3. ℣. 22. Et hujusmodi plura, ubi LXX. quum aliquid non reddunt sed omittunt: omittunt pariter Novi Testamenti Scriptores quamvis habeatur in Hebræo Codice. Modò sequuntur eos quando ipsas vocum significationes permutârunt. Ex. Gr. Esai. c. 42. ℣. 3. *Et Legem ejus insulæ expectabunt*. reddidere LXX. Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι: & pariter Matth. c. 12. ℣. 21. Et Psal 8. ℣. 3. *fundasti robur*, LXX. κατηρτίσω αἶνον, *perfecisti laudem*: Matth. c. 21. ℣. 16. planè idem cum LXX. Nec-non Ioëlis c. 2. ℣. 31. *Diem Domini magnam & terribilem*; LXX. Τὴν ἡμέραν Κυρίου τὴν μεγάλην καὶ τὴν ἐπιφανῆ, *Diem Domini magnam & insignem*, Act. c. 2. ℣. 20. Psal. 16. ℣. 9. *gloria mea*; LXX. γλῶσσά μου: & Scriptor Actor. c. 2. ℣. 26. *lingua mea*. Et Psal. 2. ℣. 2. *consultant simul*, Scriptor Actor. c. 4. ℣. 26. LXX. secutus Συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *Congregati sunt in unum*. Psal. 19. ℣. 5. *linea ipsorum*. Paulus cum LXX. Rom. c. 10. ℣. 18. ὁ φθόγγος αὐτῶν, *sonus ipsorum*. Confer Esai. c. 59. ℣. 20. cum Rom. c. 11. ℣. 26. Psalm. 102. ℣. 27. *mutabis eos*, LXX. ἑλίξεις αὐτοὺς. *convolves eos*, quod pro ἀλλάξεις videtur positum, sequitur Scriptor ad Hebr. c. 1. ℣. 12. Sic Psal. 40. ℣. 7. LXX. non *aures fodisti*, sed *corpus aptasti* posuere, ut & author Epistolæ ad Hebr. c. 10. ℣. 5. Sic Esai. c 40 ℣. 6. cum sit in Hebræo, *flos agri*, LXX. & Iacobus c. 1. ℣. 10. habent *flos fœni*, quod sequitur Petrus 1. Epist. c. 1. ℣. 24. Denique Esai. c. 28. ℣ 16. *Qui credit non festinabit*, in Hebræo est, *Qui credit in eum non confundetur*; apud Lxx. & apud 1. Pet. c. 2. ℣. 6.

Cur autem Scriptores Novi Testamenti, tam securè agant, si fas ità loqui, adeóque Lxx. sequantur Interpretes, tum etiam quum illi se supinè gerunt, ac satis incommodam interpretationem faciunt, hæc solet ratio afferri, quòd LXX. Virûm editio, versaretur in manibus omnium, atque in Synagogis prælegeretur. Non itaque Apostolos decebat intempestivè ac citrà necessitatem controversiam de versionibus commovere, cùm vel in ipsa illa versione Græca præsidij satis invenirent. Planè ut nostri quandóque Theologi adversus Pontificios ex Biblijs Lovaniensibus disputant ad hominem, ut ità loquamur; Sic Apostoli, κατὰ συγκατάβασιν, & συγχωρητικῶς, nè novitate offenderent, in gratiam gentium & Hellenistarum, recepta usu communi versione utun-

tur. Verùm enim verò, cavendum ne nimis hoc urgeatur; Nam si res ità est, Quid igitur causæ dici potest, Cur Lxx. Viros deserant. Scriptores sacri, tum etiam quum fons Hebræus cum editione Græca consentit? Quòd si Græcam secuti essent interpretationem licet ab Hebræa origine procul aberrantem, nimirùm nè assuetos huic interpretationi populos turbarent, Cur eam negligerent ac derelictui haberent? quamvis apprimè Codici Hebraïco respondentem, quasi non hinc majus offerretur scandalum animis Iudæorum, qui poterant queritari, flocci pendi ab Evangelistis & Apostolis simul Lxx. Viros (versionem Græcam intelligimus; nam Lxx. illi nonnisi Pentateuchum videntur convertisse) simul & fontes Hebræos, cum aliquid ab utrisque alienum ac veluti tertium producant, quod nec in versione Græca nec in origine compareat Hebræa. Quod fecisse tamen Scriptores Novi Testamenti clarum est his exemplis. Esai. c. 7. ℣ 14. *Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Immanuël.* Lxx. *vocabis*, Matthæus, *vocabunt*. Mich. c. 5. ℣. 2. *Bethleem Ephrata:* Lxx. *Bethleem domus Ephrata:* Matthæus, *Bethleem terra Iuda.* Esai. cap. 29. ℣. 10. נסך *superfudit:* Lxx πεπότικε, *potavit:* Matthæus, ἔδωκε, *dedit*. Esai. c. 42. ℣. 2. *Nec audire faciet suam vocem foris:* Matthæus c 12. ℣. 19. *Neque audiet quis in plateis vocem ejus:* Lxx. *Neque audietur foris vox ejus.* בחוץ enim vel *foris*, vel *in platea* promiscuè significat. Hoseç, cap. 13. ℣. 14. cum 1. Cor. cap. 15. ℣. 54. *&c.*

Præterea viri Dei non patronos egerunt, qui testes producerent aut Philosophos θέσιν διαφυλάσσοντας, &, ut fit, authoritate veterum sua placita confirmantes: Doctores egerunt spiritualibus armis indutos, & legatos Dei authoritate cœlesti præditos, non sæculi disputatores aut rabulas jejunis adstrictos formulis, verùm Interpretes ac Paraphrastes, qui veterum dicta Prophetarum, non modò memorant fidei faciendæ, sed Commentario divino explicant, enarrant, interpretantur, ex ipso adventu & prævia luce Spiritus S. qui Spiritus idem Prophetas inflaverat: ideóque sui optimus Interpres fuit. Ænigmata erant velis & umbris obnubilata veteres Prophetiæ, alioquin ne Prophetię quidem forent, ideóque non recitari tantùm, sed etiam solvi, expediri, & aptari eas oportuit. Hoc autem qui faciunt nihil opus est in verbis hærere, adeóque non hærere opus est, ut planiorem faciant interpretationem: dum eundem sensum alijs verbis referunt.

Cùm igitur solemne hoc esset Scriptoribus humanis ut captarent bonæ fidei existimationem consulendo exemplaria & fideliter & αὐτολέξει loca recitando, divinos decebat Viros majoribus præsidijs fretos, hanc μικρολογίαν & μικροφιλοτιμίαν συγγραφικὴν transvolare ac prætervehi; Major enim fuit majestas eorum quàm ut ad hasce minutias descenderent, & conchas legerent in littore pretiosis gemmis & margaritis referto:

Quum

Quum igitur eos videmus libenter ac planè divinitùs verborum aspernari sollicitudinem, non inde profectum existimemus (quæ virorum longè doctissimorum opinio est) quòd exemplaria ijs non essent ad manum, aut quòd laberentur memoriâ; sed quòd ille Spiritus qui res illis & verba dictabat, ità res ipsas traderet, ut nihil Apostoli de suo subministrarent, verba verò ità suggereret ut patriæ, ingenio, & educationi Amanuensium aliquid permitteret. Quòd ipsum tamen Spiritus obsignabat, quippe syllabarum etiam sermonisque in tantùm curam susciperet, in quantùm veritas rerum & majestatis ratio id exigere videbatur, nè quid eorum calamis excideret, quod rebus tantis ac Numinis majestati parùm conveniret.

Cæterùm salva modò veritas & authoritas esset, qui eos noluit Angelico uti, sed humano sermone, nonnihil hac in parte suis instrumentis hactenus indulsit, ut aliquem proprij sermonis colorem velut aspergerent. Amos è medio rure, & Esaïas ex aula media petitis verbis utitur. Lucas ferè unus ex Scriptoribus Novi Testamenti Græcè loquitur. Paulus Hebraïzat, Ioannes Chaldaïzat. In Paulo Cilicismos, In Iohanne Solecismos ut videntur, nonnulli reperiunt, de quibus alibi dicemus. Etiam in omnibus crebros occurrere Syriacismos, Macedonismos, atque Alexandrinismos nobis dubium esse non debet. Quod non aliundè venit, quàm ex eò quòd Spiritus Sanctus hæc suis Amanuensibus permitteret, quoties nullum veritas detrimentum capiebat. Qui res ipsas in solidum Apostolis & Evangelistis præbebat, verbis etiam singulis ità invigilabat ac præerat, ut nè Iota quidem aut Apex rei non benè respondens poneretur; ac si fortè Apostolo veniret in mentem locutio aliqua disconveniens, eam Spiritus Sanctus cohiberet illicò. Vbi verò quæ obversabantur animo Apostoli verba ex usu populari, & veluti οἴκοθεν, allata, non inidonea contingebant rebus exprimendis, quas Dei Spiritus revelabat. Ille Spiritus qui delicatus in talibus non est, quamvis eum delicatum Tertullianus, verùm in alio argumento & alio sensu, vocavit, non alia magis verba deligebat, sed ea ipsa tamen antequam exararent Apostoli, Dei Spiritus auctoritatis, approbationisque suæ sigillo, muniebat. Planè ut quoties à se gesta, sibique probè comperta Scriptores sacri commemorant, ea Spiritus non ijs denuò revelavit, velut ante ignota & inaudita, quum ea testantur quæ viderunt, sed eorum conscientiam & usurpationem, novo perfectæ lucis & supremæ authoritatis charactere insignivit, ut nè in minima quidem circunstantia fallere, fallive potuerint.

Neque verò aliter se res habet ubi V. Testamenti authores Novi verba recitant. Non enim Spiritus Dei voluit præire singula verba, quæ vel in Hebræo vel apud LXX. legebantur, neque Viri Sancti, quos mysteriorum suorum conscientia dignabatur, manu & calamo excipie-

bant verba Dei quasi linguâ & externâ voce prolata, sed luce internâ Deus ijs res ipsas monstrabat intus ac dictabat: familiaria verò Amanuensi suo verba, modò rebus convenirent non fastidiebat, adeóque præ cæteris eligebat, quæ tamen ipsa non sine Numine ijs in mentem venisse existimandum est; quippe hîc nihil casu, nihil fortuitâ temeritate gestum est: Quòd omnia in examen vocabat, idem Spiritus etiam verba quæ non sine Dei providentia occurrebant scriptoris animo, ut nihil quod rerum pondus elevaret, aut sensum violaret non à se probatum atque sancitum elabi pateretur, Sed ubi ratio sensus constabat, etiamsi verba non responderent quoad sonum & syllabas, modo LXX. Virûm versionem etiam quum ab Hebræo discrepat, modò Hebræum Codicem à L xx. Codice diversum, & utrumque modò, modò neutrum sacri Scriptores sequuntur, non aliam ob causam quàm quòd verba interdum ijs juxta Hebręam originem, interdum juxta L xx. Interpretum versionem occurrerent, interdum juxta neutram, quibus quoties vel tantillum sensus, vel res ipsa detrimenti patiebatur, nova lux Spiritûs Sancti affulgebat, ac nova suis organis verba dictabat. Vbi verò qualia existebant ὀυκ ἀϑεεί in Apostoli memoria, nihil nocebant sensui ac dignitati rerum, non alia magis probabat Spiritus Dei, novo tantùm charactere signata & sancita, ut non ampliùs pro humanis existimari debeant.

Hoc res ipsa docet. Cùm enim versatissimi essent in Gręca sive LXX. Virûm triviali versione Apostoli ac Evangelistę Paulus pręsertim qui Gręcus oriundo fuit, quæ versio pręlegebatur in Scholis Hellenistarum, id est, Græcorum Proselytorum ad Iudaïsmum, sequuntur eam ut plurimùm, etiam hallucinantem in rebus ad fidem nullius planè momenti. At quoties est hallucinata, ut longè major vis ac opportunitas in Hebræo reperiatur, toties retraxit suos Amanuenses ab illa versione Spiritus Sanctus, atque adeò à tramite consueto, ad Hebræum originem revocatis, Hebræa quoque verba suggessit. Facilè itaque solvitur difficultas hinc nata, quòd L xx. tum etiam quum ab Hebræo discrepant, non dubitant sequi Evangelistæ atque Apostoli. De verbis sanè, conceditur, dè sensu, negatur. Quoties enim sensu discrepant ab Hebræo, ad Hebræum nostri confugiunt, nèc ità serviunt consuetudini, nec ità Hellenistis morigerantur; ut aliquod hinc detrimentum veritas capiat, sed extra necessitatem nolunt de verbis, versionibusque rixari; & omnia fiunt omnibus. Quòd autem tunc quoque derelinquant L xx. Interpretes, quum nisi Hebræo optimè respondent, dicere possumus variè fuisse interpolatam Lxx. versionem, jam olim, neque tantùm viris Dei abs re sua fuisse otij ut omnia investigarent, evólverent invicem, conferrent, ut minuti solent Scriptores, animi pusilli. Adde quod à sciolis emendari potuit ex alijs Interpretibus, L xx. versio juxta He-

breum textum. Denique res huc redit Spiritum Sanctum pro sua παῤῥησίᾳ, sic Evangelistis & Apostolis adstitisse, ut sepositâ verborum ac vocum indagine curiosâ (nisi quatenus ad veritatem ac dignitatem rerum ea cura pertinebat in rebus constituendis, in quibus veritas resider, ac in sensu conservando) præluxerit. Nam quid aliud possit afferri planè non videmus, cùm verba Veteris Testamenti modò præpostera, modò hiulca, modò curtata, locupletiora modò, modò alia in Novo reperiantur, sensu tamen eodem ac planè illibato.

AXIOMA IX.

Scriptura Sacra nec redundat in superfluis, nec deficit in necessariis.

QVOD in natura designavit, observavit etiam in Scriptura Deus idem naturæ, idemque Scripturæ author, ut neque morosa & supervacanea diligentia in verbis narrandis aut enucleandis poneretur, neque verò ubi aliquid ex istiusmodi promiscua verborum usurpatione ac tricarum contemptu discrimen imminebat rebus ipsis, vel minimum deficeret Spiritus Sancti meliora suggerentis, præsidium. Quod utrumq; nobis est firmandum illustribus exemplis; quorum priora Spiritûs S. libertatem, superfluæ accurationi oppositam demonstrant; posteriora ejusdem supra quidquid & industriæ humanæ providentiam singularem, adeóque immediatam ac præsentem perpetuò in rebus alicujus momenti ductum, impulsumque comprobant. Priora quibus libertas & authoritas divini Spiritus ostendetur varias in classes distribuenda sunt, quò faciliùs, commodiúsque percipi queant.

Prima igitur Classis eorum erit locorum in quibus allusio mera potiùs est quàm citatio, cùm lemmata veluti quædam ex Veteri Testamento repetita, Novum suo adhibeat instituto, cujusmodi est totum Canticum Beatæ Virginis & magna pars Cantici Zachariæ Luc. 1. & multò maxima pars Orationis Dominicæ Matth. 6. Quis enim ex c. dubitare possit petitionem illam, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*, respicere ad Manna cœlitùs datum veteri populo singulis diebus, qui singuli dies non in voce ἐπιούσιον, quanquam vertit Ecclesia *quotidianum*, sed in voce σήμερον quæ à Luca interpretatur καθ' ἡμέραν, continentur, cùm ἐπιούσιον Manna respiciat, vel quatenus defundebatur ex alto, vel quatenus distribuebatur singulis mensurâ certâ, eo modo ut nefas esset ultrà Homer colligere. Sed de his alibi.

Secunda Classis eorum est, in quibus allusio sacra quidem est sive παρῳδία in qua verba leviter immutari solent, ut gratiæ quodam veluti sale oratio aspergatur, sed allusio tamen fundata in facto admodum simili, vel in alia circunstantia, vel utili ad intelligendum, vel ad

contemplandum jucunda, cujusmodi est illa de qua prædiximus, Axiomate V. Rom. c. 10. ℣. 18. *Et in omnem terram exivit sonus eorum;* Vbi quis non videat παρῳδίαν esse sacram, quum de cœlis à Propheta quæ dicta sunt, Apostolus ad Apostolos retulit leviter immutata, non enim dixit *lineam eorum*, sed juxta LXX. *vox*, aut *sonus eorum*. Verùm de his & similibus jam suprà diximus.

Tertia Classis eorum est qui non occurrunt in Veteri Testamento, cujusmodi non pauca collegit Hieronymus, sive perierint nonnulli sacri & Ecclesiastici libri apud quos extabant, sive ex aliquo scripto, sed veluti effata & apophtegmata divina quædam veluti per manus tradita ex memoria usurpantur. Nec enim traditio priscis temporibus repudianda est ut est profectò nostris; quippe olim revelatione non scripta, postmodùm simul scripta, simul ore tradita, Deus populum instituit, quem propter copiam lucis in Novo Testamento effusam ore traditâ doctrinâ quod erat puerorum desijt adjuvare; sive quoad verba non reperiantur in Vetere Testamento, tametsi quoad res ipsas mentemq; varijs in locis occurrant.

Quarta Classis eorum est in quibus apparet quædam veluti cœlestis Cabbala & revelatio divina rerum supra omnem intellectûs humani sortem positarum, quando Spiritus Dei revelat ea quæ in Veteri Testamento mortales omnes perpetuò latuissent, cœlesti quadam traditione. Quis enim resurrectionem corporum instituisset unquam probare loco illo quem tamen Dominus veluti pesmarium delegit, Matth. c. 22. ℣. 32. *Deus est Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, non est autem mortuorum sed viventium Deus.* Vbi observamus obiter Dominum, quod crebrò alibi facit, emendare Iudæorum tristissimam parœmiam, qui solebant dicere, *Deum non esse Deum viventium, sed mortuorum*, Quod ex eorum commentarijs compertum habemus. Longè videbantur illustriora tum Ezechielis tum Iobi loca: & illa verò potissimùm, *Scio Redemptorem meum vivere*, quæ tamen à Domino aut Apostolis non leguntur adhibita. Sic verba illa Psalmi 22. *Deus mi, Deus mi, Quare dereliquisti me?* Vix ausi essemus nos quidem attribuere Domino, nisi nos ipse docuisset, longéque proclivius delapsi essemus ad ea proferenda, quæ sequuntur, *Foderunt pedes meos & manus meas*: Quæ tamen à Domino aut Apostolis ejus non leguntur prolata. Nimirùm quia per se ità sunt plana & illustria, ut Apostolicæ Cabbalæ revelatione non indigeant, hoc est, authoritate Spiritus ejusdem, qui ea cùm tradiderit in Veteri Testamento, dignatus est ipse veluti mentem suam in Novi tabulis revelare. Quò sanè referenda sunt omnia ea loca in quibus difficilis esse alioquin videtur explanatio juxta illud Pauli, *Nemo mentem novit Spiritus Sancti nisi Spiritus Dei, quemadmodum nemo tenet mentem hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Nec-non &

illud, *Quod accepi vobis tradidi*, allusione non inconspicua ad & Masoram & Cabbalam Iudaïcam, cui Apostolus apud Iudæos eruditus illam cœlestem de qua loquimur Cabbalam opposuit. Qui plura de hac Cabbala voluerit adeat Cunæum capite octavo libri tertij de Rep. Iudæorum.

Quinta Classis eorum est ubi Scriptores Novarum Tabularum non tam loca veteris instrumenti adducunt ad Iudæos convincendos ex verbis, quàm ex ipso eventu, quem ità narrant ut instituto suo vetera verba non parùm immutata, & interdum paraphrasticè amplificata accommodent. Agunt enim Veteris Interpretes Testamenti, quod Matth. 27. planissimum est de triginta argenteis, non enim commemoratur locus Propheticus, verum applicatur, & eventus, atque mens Apostolica verbis propheticis enarratur.

Sexta Classis eorum est in quibus Apostoli & Evangelistæ à Prophetis dicta non reddunt verbum pro verbo, sed interdum ἀκέφαλα, interdum λαγαρὰ, interdum verò μέουρα, id est, ut interdum principium, interdum verò medium, interdum denique finem periodi prætermittant. Quod inter homines vitio verti solet, nec immeritò, quippe quorum non est authoritas & libertas ut absque suspicione infidelitatis loca quæ citant ad testimonium defringere atque curtare; quam tamen libertatem Spiritus Dei sæpè sibi vindicat. Quod cùm Hieronymus non satis animadvertisset in Apologia adversus Pannuchium, in hæc verba erupit; *Aut ea certè nullus damnavit. Calumniemur ergo Paulum*, inquit, *atque dicamus ea testimononia quibus contra Iudæos vel certas hæreses usus est, aliter in suis locis, aliter in suis epistolis sonant, videmus exempla captiva servire tibi ad victoriam quæ suis in voluminibus non dimicant.* Vnde illud frequens apud eum, *Dominus aut Apostolus abusus est hoc testimonio:* ut quum exponit illud, *Domus mea domus orationis vocabitur.* Quanquam non nescimus abutendi vocem aliter atq; aliter accipi posse, adeóq; ab optimis authoribus Paulo attribui pro novo & diverso usu alicujus Nomenclaturæ ut putà Legis. Idem Hieronymus de inscriptione Aræ Atheniensium, Paulum ait aliqua dimutâsse adeóque alibi non raro paulò liberius in hoc argumento fertur propter non satis agnitam divini Spiritûs auctoritatem & ἐξουσίαν, qui non tam ex verborum numero, quàm ex rerum pondere, admirabilitate, majestate voluit homines convincere alios, alios convertere.

Septima Classis eorum est in quibus Apostoli varia loca Prophetarum variorum contexunt, & apta invicem atque conserta pro uno testimonio allegant. Quod apud homines fraudis aliqua suspicione vix careret. Hîc autem nobis non satisfaciunt Viri docti, quum in talibus locis fidem Apostolorum asserere satagunt, ex eo quòd nihil de suo addiderunt, ex alio hauserunt Propheta, cujus non minor fuit apud Iudæos authori-

tas : itaq; Iudæos hinc putant commodè revinci, quod Apostoli ex variis locis Prophetarum sua testimonia instruunt; quasi verò si apud homines id fortè instituatur, non liceat cuivis nectere Centones, atque ut nonnulli apud authores prophanos, hunc in modum tractatos, ità luserunt, ut ex ejusmodi Centonibus oracula divina exirent : Ità si quis hoc sibi permiserit in sacra pagina, falsa & absurda facili negotio existent. Omnino igitur ad libertatem atque authoritatem Spiritus Sancti confugiendum est, qui suspiciones non timuit, neque sese formulis disputationum humanarum alligavit;Ex.Gr. Rom.IX. 33.testimonium habetur unicum, non ex unico Esaiæ loco, sed ex pluribus conflatum: Quod idem videre est ad Romanos c. 3. ℣. 13. ubi locus est ex Psalmo 5. ℣. 10. & 140. ℣. 3. & Esai. c. 59. ℣. 7 8. 9. & Psal. 36 ℣. 2. compositus.

Octava Classis eorum est in quibus modò Hebraïcam veritatem interdum LXX. Virûm editionem, interdum neutram sequuntur Evangelistæ atq; Apostoli, adeóque LXX. sequuntur etiam ubi longè aliter legisse quàm hodiè nos, videntur, tum quoad puncta, tum quoad consonas. Exempla sunt quoad nomina propria 1.Chron. c. 2. 10. *Ram.* LXX. & Matthęus, *Aram*: & Actuum Apostolicorum c. 7. ℣. 16. *Abraham* pro *Iacob*. Quod Amanuensibus imputandum. Luc. c. 3. ℣. 36. Caïnam ex LXX. inseritur qui non comparet in Hebręo. 2. Quoad numerum Act. cap. 7. ℣. 14 dicit Stephanus Iacobum descendisse in Ægyptum cum animabus LXXV Sic nempe legerunt LXX. cùm Hebręus Codex, animas tantùm septuaginta habeat, Gen. c. 46. ℣. 28. Pręterea Rom. c. 9. ℣. 33. πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται, in Hebręo לא יחיש, *non festinabit.* LXX. videntur legisse לא יבוש, *non confundetur.* Sic Heb. c. 11. ℣. 21. ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, in Hebræo est המטה LXX. legerunt מטה. Sic Apoc. c. 2. ℣. 27. & alibi. Psal. 2. ℣. 9. LXX legerunt תרעהם ποιμανεῖ αὐτούς, cùm in Hebræo sit תרועם. Sic Heb. cap. 13. ℣. 15 καρπὸν χειλέων, cùm in Hebræo apud Oseam cap. 14. ℣. 3. legatur פרים *juvencos vitulos*, LXX. legerunt פרי fructum. Quæ omnia satis superque ostendunt justam Spiritus Sancti in rebus minimè necessarijs libertatem.

Nona deniquè Classis eorum est in quibus novi Testamenti Scriptores parùm solliciti de verbis modò addunt, modò detrahunt ijs testimonijs quæ adducunt, quorum exempla suprà dedimus, tum in loco de triginta argenteis, tum in illo : *Nazaræus vocabitur*, quibus addi possunt multò plura, ubi verba discrepant cùm tamen res καθ' ὑπόνοιαν, sive καθ' ὑπόδειξιν eadem fuerit à Prophetis prædicta, quæ apud Scriptores nostros narratur. Quam in Classem possunt etiam ea referri, in quibus, Casus, Personæ, Numeri, Genera, Tempus, affixa mutantur, ut locus proposito respondeat. Sic Matth. cap. 2. ℣. 18. θρῆνος pro θρῆνε. Matth. cap. 11. ℣. 10. σοῦ pro μου. Matth. cap. 15. ℣. 4. τελευτάτω pro τε-

λάψηται: & alibi, εἰς ἅδε pro εἰς ἅδην. Quæ omnia profectò libertatem Spiritus Sancti manifestam faciunt, modò LXX. sequentis, modò protographum Hebræum; & modò Lxx. Interpretum errores tolerantis, emendantis modò, & absque damno sensuum verba pro authoritate sua, modò alia, modò eadem adhibentis, ἐ γὰρ ἐν λόγῳ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐν δυνάμει. Superest ut ad alteram veniamus partem.

Igitur non deficere in necessarijs lucem Spiritus Sancti, quæ in sacris fulget, planum ea loca faciunt, in quibus non ferunt errores LXX. Interpretum sacri Scriptores, quod tametsi ferunt interdum, quum nullum causæ suæ ac instituto detrimentum afferunt. Interdum velut obiter corrigunt, etiam ubi non videbatur res esse maximi momenti, perpetuò interim corrigunt ac emendant, ubi res ac ratio & Evangelij scopus id postulant. Exempla sunt Matth. c. 2. ẏ. 15. Τὸν υἱόν μου, cùm apud Ozeam c. 11. ẏ. 1. Lxx. scripserint, Τὰ τέκνα αὐτοῦ, nempe conspicuum est longè minus illustrem hanc fuisse Prophetiam de filio Dei ex Ægypto vocato apud Lxx. quàm in Hebręo. Sic Esai. cap. 42. illustris extat Prophetia de Messia quam Lxx. funditùs perverterunt, deque Iacobo & Israële intellexerant: at Matth. cap. 12. ẏ. 18. Ἰδὲ ὁ παῖς μου prout erat in Hebræo הן עבדי, *Ecce servus meus*, non autem Iacob ὁ παῖς μου cum Lxx. reddit Hieronymus ad Agathiam epistolâ. *Ex quo apparet Matthæum, non veteris authoritate instrumenti constrictum dimisisse Hebraïcam veritatem, sed quasi Hebræum ex Hebrais & in Lege Dei doctissimum, ex Gentibus protulisse, quæ in Hebræo legerat. Si enim sic accipiendum est ut LXX. Interpretes reddiderunt quomodo in Iesu intelligimus esse completum quod de Iacob & Israël scriptum est, quod Beatum Matthæum non solùm in hoc testimonio, sed etiam in alio loco, fecisse legimus, ex Ægypto vocavi filium meum, pro quo LXX. Ex Ægypto vocavi filios tuos, quod utique nisi sequamur Hebraïcam veritatem ad Dominum servatorem non pertinere manifestum est.* Hactenus Hieronymus. Sic Zach. cap. 12. reddunt Lxx. κατωρχήσαντο, quod est in Hebræo דקרו *transfixerunt*, ubi videntur legisse, רקדו proclivi mutatione, sicut ante diximus, hoc est, *gesserunt*, *salierunt*, κατωρχήσαντο; sed hunc errorem non tulit Ioannes cap. 19. ẏ. 37. quia plurimùm intererat ut Hebraïca hîc origo locum haberet, in qua genus mortis cui datus est Dominus aperitur. Itaque vertit ἐξεκέντησαν, *transfixerunt, pupugerunt.* Sic & Esai. c. 52. ẏ. 7. Lxx. emendantur à Paulo Rom. c. 10. ẏ. 15 & Esai. c. 40. ẏ. 13. Rom. c. 11. ẏ. 34. & 1. Cor. c. 15. ẏ. 54. εἰς νῖκος pro ἰσχύσας, nè quis putet Matthæum duntaxat & Ioannem testimonia ex Hebræo protulisse, quanquam fatendum est hos duos Hebraïcam lectionem sollicitiùs usurpâsse, cùm Lucas Medicæ artis scientissimus magis & magis Græcarum quàm Hebræarum literarum peritus, testimonijs magis utitur Græcis, hoc est Lxx. Hieronymo authore. Nec omittendus Matthęi locus cap. 2. ẏ. 18. Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς καὶ

οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι: omiſerunt Lxx. τὰ τέκνα αὐτῆς Ierem. c. 31. ℣. 15. quibus in verbis potiſſimus cardo citationis Evangelicæ conſiſtebat, & pro παρακληθῆναι dixerunt παύσασθαι. Nempe in Hebræo legerunt להנחם non להנחם. Sed ipſe quoque Lucas interdum hac utitur libertate, ut Act c. 15. ℣. 17. ποιῶν ταῦτα ex Amos c. 9. ℣. 12. ubi Lxx. πάντα ταῦτα. Et Act. c. 13. ℣. 14. ἰδοὺ δέδωκά σε εἰς διαθήκην γένους εἰς φῶς ἐθνῶν, Eſai. c. 49. ℣. 6. Vbi non tantùm τέθεικα pro δέδωκα poſuit Lucas, quod leve admodum eſt, cùm in omnibus fermè linguis dandi & ponendi voces pro uno eodemque accipiantur, ſed etiam verborum partem omiſit Hebræam ſecutus originem. Sic Act. c. 8. ℣. 32. Eſai. c. 53. ℣. 7. & Luc. c. 1. ℣. 17. ex Mal. c. 4. ℣. 5. & Luc c. 3. ℣. 5. ex Eſai. c. 40. ℣. 4. à Luca etiam Lxx. corriguntur, & à Marco c. 14. ℣ 27. & rurſus à Paulo in errore notabili, Rom. c. 16. ℣. 20. & Gen. c. 3. ℣. 15. nec-non Rom. c. 12. ℣. 19. ex Deut. c. 32. ℣. 35.

AXIOMA X.

Variæ Lectiones veritati fidei neutiquam nocent.

FRuſtrà obtenduntur variæ lectiones, ut Scripturarum labefactetur authoritas. Contrà hîc admirari nobis Dei providentiam liceat, quod in tanta varietate lectionum nullum paſſa ſit ſenſum obrepere falſum aut impium; adeòque varietas illa tota, vel in rebus conſiſtat quæ nullius momenti ſunt, vel utrobique bonum ſenſum conſentaneum, piumque præbeant, licet fortè unus commodior videri poſſit, adeóq; ſæpè ubi verba videntur oppoſita, non oppoſitus aut contrarius, verùm planè genuinus ac idem ſenſus eruatur.

Luculentum hujuſce rei exemplum dabit caput tertium Epiſtolæ ad Hebræos c. 3. ℣. 9. ac 17 ex Pſalm. 95. cùm enim hæ voces τεσσαράκοντα ἔτη inverſionibus nonnullis ut Pſalterio Arabico cum verbo εἶδον *viderunt* conjungantur, quod Apoſtolus facit ℣. 9. in multò pluribus editionibus Pſalterij conjunguntur cum verbo אקוט προσώχθισα, *infenſus fui:* quod & Apoſtolus facit ℣. 17. ſenſu inviolato utrobique, ut ipſum jam Apoſtolum habemus authorem, quum varias admittimus verſiones conjungimuſque, cum ille hoc uno eodemque capite ac ſermonis eodem filo facere non dubitârit. Hujus rei hæc fortè afferri ratio non incommoda poteſt quod vox אקוט quæ in Hebræo erat & à Lxx. Interpretibus redditur προσώχθισα duo ſignificet, prius *iraſci, tædio affici*, poſterius *contendere, litigare*; quod etſi non ſit conſpicuum in Græco utrumque tamen ſignificatum Apoſtolus velut innuit, quum primò quidem commate 9. ac 10. Patres Iudæorum opera Dei & miracula vidiſſe quadraginta per annos. Non enim Apoſtoli mens fuit iratum fuiſſe Dominum poſt longanimitatem

ganimitatem annorum quadraginta, tum demum velut excanduisse: Deinde verò, mentem alteram sensumque adjecit, nimirum cum Patribus Iudæorum litigavisse, contendisse, colluctatum veluti esse Dominum per annos quadraginta. Neque multum abhorret ab illo gemino significatu Græca Nomenclatura: Hesychius προσώχθισα, προσέκοψα, προσεκάκησα, ἐμίσησα: idémque προσόχθισμον satis docet quod non tantùm δυσνοπάθειαν, sed etiam γνώμης συμπάθειαν interpretatur, qui significatus posterior deductus est ex eo quòd προσώχθισα interdum προσήγγισα significet, ut idem testatur. Morum nempe συμπάθεια quædam est, ut sic loquamur, animorum approximatio, unde proximus tamen invenit in usu sacro.

Sic Act. c. 1. ℣. 4. Alij legunt συναλιζόμενος, alij συναυλιζόμενος, eodem utrobique sensu, est enim Συναυλιζόμενος *conversans*, συναλιζόμενος verò *sese conjungens*, atque *aggregans*: quæ planè eòdem recidunt, juxta illud quod sequitur ℣. 20. γενηθήτω ἡ ἔπαυλις αὐτοῦ ἔρημος; Versu verò quarto dicitur Dominus fuisse convictor, hoc est, conversatus esse, vel eidem accubuisse mensę, ac velut ex eodem salino comedisse.

Sic 1. Tim. c. 5. ℣. 21. legunt nonnulla exemplaria κατὰ πρόσκλησιν, vel πρόσκλησιν, cùm habeant nostra κατὰ πρόσκλισιν, variante lectione, non variante sensu; qualis variatio sæpè contingit ex affinitate pronuntiationis harum duarum vocalium η & ι, cujus exemplum est insigne 2. Pet. c. 1. ℣. 20. Vbi Scriptura dicitur non esse ἰδίας ἐπιλύσεως, quo loco sincerissimus Interp. legendum suspicatur ἰδίας ἐπηλύσεως; est enim ἐπήλυσις cogitatio fortuita, quum aliquid non meditatum in mentem venit. Vndè veteres Gręci exordia distinguebant, quorum alia vocabant προσεκτικὰ, non sine animi applicatione, alia ἐπηλυστικὰ pro re nata mentem subeuntia. Sed nihil opus est sollicitare lectionem receptam, cùm ἐπίλυσις referri possit ad missionem juxta illud ἔτρεχον καὶ ἐγὼ οὐκ ἐπέλυον, *cucurrerunt & ego eos non miseram*: sumpta similitudine à cursoribus qui pręconis vocatu dimittebantur è carceribus ac veluti solvebantur. Quidquid id est, non diversa res est, sive dicamus, *Non temeraria cogitatione* ἰδίας ἐπηλύσεως *impetus proprij*: sive dicamus *Non propria missione*, aut *vocatione*, seu *propria solutione* atque *enodatione*; ἰδίας ἐπιλύσεως explicari Sacram Scripturam: hæc enim omnia divino afflatui opponuntur.

Sic & Epist. ad Hebræos c. 12. ℣. 1. legunt exemplaria nonnulla τὴν ἀπερίστατον ἁμαρτίαν, peccatum quod facilè non potest evitari, nam id sonat interdum vox περίστατος. Alij sensu in speciem contrario legunt, ijque multò plures, εὐπερίστατον peccatum quod nos facilè circumdat & circumvenit. Quod ut obiter explanemus, observamus. 1. Apostolum loqui ut sæpè occasionaliter, ut sic dicam. Dixerat modò nos agmine martyrum veluti circumdari, quod appellaverat περικείμενον ἡμῖν νέφος, nubem circumfusam quâ undique cingimur. Nunc addit pec-

catum ex adverso, suum facere circulum, ac nos undique cingere, sive more circulatorum ingentem ad se multitudinem quaqua versum convocare. Nam περίστασις est circunstantia, sive corona, circulus, & περίστασιν ποιεῖν circulatorum est & θαυματοποιῶν. Hinc εὐπερίστατος pro insano sumitur, quâ insani turbâ populi facilè cinguntur. Præterea ut circumvenire apud Latinos, ità περιΐστασθαι apud Græcos accipitur pro deceptione, quod tamen ad supplantationem in lucta referre nihil attinet, cùm hic de cursu agatur & præcedat ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα, *omni onere deposito*. Nudi enim currebant, sed veste poterant indui subtili non gravi. Atque neque veste induebantur, quò agiliùs expeditiúsque currerent. Itaque duo dicit Apostolus esse deponenda, pondus cujusmodi sunt divitiæ, honores, & ejusmodi alia cursus spiritualis impedimenta, & peccatum quod cujusdam instar vestis animo adhæret ac implicatur: sicut igitur qui nudi currebant, si deposita veste pondus aliquod capite aut humeris gestâssent, valdè fuissent in cursu retardati, atque iidem tametsi nullum onus impositum haberent, si tamen induti vestibus quantumvis levibus fuissent, impeditùs quàm nudato corpore cucurrissent. Ità vult Apostolus nos & omne onus abijcere divitiarum, honorum, &c. & vestem ac veluti fascias & subligacula deponere peccati. Erit igitur εὐπερίστατος ἁμαρτία, peccatum quod nos facilè constringit & obligat justæ instar vestis. Porrò, περίστασις aliud significat, *ærumnas*, &, *quæ accidentia vitæ*, Quintilianus. *Incidentia*, Seneca dixit. Hesichius, περίστασις, θλίψις, ἀνάγκη, μέριμνα. Inde homines περιστατικοὶ dicuntur occupati, & actuosam colentes vitam, quibus opponuntur οἱ φροντιστικοὶ, qui procul negotijs otiosam studiosamque vitam degunt, qui & ἀπερίστατοι dicuntur Epicteto, quem omnino legite lib. 3. cap. ultimo adversus eos qui egestatem metuunt. Hanc interpretationem Theophilactus adduxit εὐπερίστατον, id est, δι' ἣν εὐκόλως τις εἰς περιστάσεις ἐμπίπτει. nempe qui peccato indulget, facilè in ærumnis & sollicitudines incidit. Denique, apud Varinum περίστασις significat θλίψιν πανταχόθεν εἰς ἀδημονίαν εἰσάγουσαν, afflictionem quæ undique in angores diros inducit. Cæterùm, cùm Regij Codices & alij nonnulli habeant ἀπερίστατον, videtur ingens esse difficultas, quæ planè nulla est cùm ἀπερίστατον significare possit, quod blanditur & facilia omnia tranquillaque spondet, vel quod non non potest facilè declinari. Melior tamen lectio recepta est, quàm & & multò plura exemplaria comprobant εὐπερίστατον, ut significet peccatum validè, undique peccatum constringere. Nam εὐ sæpè sumitur apud Græcos ἀντὶ τοῦ ἰσχυρῶς.

Sic Gen. cap. 8. ℣. 7. *Corvus egrediebatur & revertebatur.*] Vulgara & plerique Patrum non revertebatur, quæ planè videntur invicem opposita, videntur, inquam, quippe nulla est in re ipsa difficultas, cùm in Hebræo sit eundo & redeundo, quod non significat corvum

redijsse intra Arcam, sed reciproco volatu circa illam volitâsse, ivisse, redivisse. Non igitur oppositum, sed idem est si dixeris, & non revertebatur nimirum in Arcam.

Sic Apoc. cap. 14. ℣. 13. Μακάριοι οἱ νεκροὶ οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες ἀπάρτι.] Vox ἀπάρτι modò refertur ad Μακάριοι, modò ad vocabulum ἀποθνήσκοντες quod est ei proximum, à nonnullis accentu acuto in penultima, ut significet *dein:* à nonnullis in ultima gravi accentu notatur, ut *perfectè* significet. Quidquid id est quod profectò admodum leve est, aut sensus idem, aut utrobique valdè bonus efficitur, quanquam cum ἀποθνήσκοντες nobis videtur conjungi aptius & acuto accentu insigniri, ut sit mens, *Beatos esse qui temporibus Evangelij revelati, & in liquida luce constituti, moriuntur.*

AXIOMA XI.

Codicum depravatio nulla est momentosa.

IVdæorum sollicitudinem summam & Mazoretharum diligentiam prope anxiam non est dubium argumento esse vix potuisse mutationem ullam obrepere alicujus momenti. Tamen Hieronymus aliter videtur interdum legisse quàm in Hebræo est LXX. sequutus qui alijs atque alijs utebatur punctis. Ergo, hic nobis. 1. Providentiæ divinæ miraculum adorandum est, qui hac superstitiosa Iudæorum μικρολογίᾳ usus est in rem Christianorum. Augustinus in Psalmum 56. *Propterea Iudæi adhuc sunt, ut libros nostros portent, in confusionem suam. Quando enim volumus ostendere Christum esse Prophetam, proferimus Ethnicis illas litteras, ut ne fortè illis dicant ad fidem nos Christianos composuisse illos libros, & unà cum Evangelio confinxisse. Hinc illos convincimus quòd omnes illæ litteræ quibus Christus prophetatus est apud Iudæos sunt, proferimus ergo Codices ab inimicis Iudæis, ut confundamus inimicos infideles. Codicem portat Iudæus unde credat Christianus.* Idemque alibi Iudæos. *Capsarios Christianorum* vocat. Parvi sunt igitur momenti quæcunque vel depravata videntur, vel injuria temporum labefactata.

Fatendum intereà quandóque dicere Thalmudistas אל קרי *ne legas.* Quòd quum dicunt non dehortantur à lectione recepta, sed significant, *Etiamsi non sic legas, sed aliter ut alia exemplaria habent, sensum tamen eundem constare.* Varietas verò hęc non modò circa puncta, quod est creberrimum, sed etiam circa consonantes interdum occurrit: ut quum Psal. 5. ℣. 10. legendum dicunt קברם *sepulchrum eorum,* non קרבם *intimum eorum,* facili ב in ר conversione. *Legendum* quum dicunt, intelligunt *legi posse.* Vt Psalmo 68. ℣. 15. בצלמות *in umbra mortis,* non

בצלמון *in Tsalmon*, ut revera Chaldæus vertit בטילא דמותא. Et quæ sunt hujusmodi.

Solent quidem afferri תקון ספרים *correctiones Scribarum*, octodecim numero: quæ tamen non sunt accipiendæ quasi Scribæ illi hoc sibi juris arrogâssent, ut aliquid in textu mutarent. Quod Iudæi detestantur, & centies mori se malle dicunt. Atque inter alios Elias Levita ubi de תקון ספרים loquitur eximio libro, מסורת המסורת. Quippe nihil aliud significant per תקון ספרים, quàm incommodum aliquod ex lectione recepta oriri, quod aliter legendum sit quam scribitur, nè Deo aliquod parum dignum attribuatur. Quæ deliria Magistrorum quanti sunt facienda vel uno docebimus exemplo. Gen. c. 18. ỳ. 22. *Abrahamus stabat adhuc coram Iehovah:* aiunt esse תקון ספרים & *Abrahamus stabat adhuc coram Deo*: quod solliciti fuerint Scribæ, *nè fortè hoc non sit via gloriæ coram Divinitate*: inquit Elias, *nec ità serviliter de Deo loqui decuit Mosem*: inquiunt alij. *scribendum erat Mosi, scribere debuit Moses*: inquit Rabbi Salomon, *& stabat Abrahamus coram Deo.* Quod & Aben, Esra, cordatior irridet, ac nos cum illo. Cæterasunt ejusdem penè commatis.

Quum igitur Gen. c. 6. ỳ. 3. לא ידון רוחי באדם *Spiritus meus in homine.* Quanquam Hieronymus aliter legisse videtur, qui non vertit, *non contendet*, sed *non permanebit*: legit nempe לא ילון à radice לון *pernoctavit, permansit*: leve discrimen est, sequutus est Lxx. qui reddiderunt καταμείνῃ. Cùm enim Biblijs uterentur non punctuatis, (quâ re nihil certius) ילון fortasse legerunt, non autem ידון, quanquam τῶ ד & τῶ ל facilis permutatio. ידון autem à radice נדד inusitata, quanquam nomen נדן pro *vagina* in Sacris occurrat. Caietanus barbarè *non vaginabit*. Alij meliùs, *Non erit sicut vagina Spiritus meus in homine*. Sed Hieronymus ipse agnovit in Hebræo esse, *judicabit*, sive, *contendet*.

Huc autem referenda sunt loca in quibus error inolevit incuriâ Typographorum, sed facilis ad corrigendum ex alijs exemplaribus emendatissimis. Quod veteres olim Doctores accuratè fecerunt, qui & plura & meliora exemplaria proferre soliti. Ævo nostro Plantiniana Biblia celebri loco Gen. c. 3. ỳ. 15. היא ipsa legitur pro הוא ipse, quod in altera editione abstersit ex omnium veterum Codicum consensu. Lectionem enim versionis antiquæ, piâ scilicet fraude Pontificius aliquis, invexerat. Quod & bonum decepit Bernardum, *Maria*, inquit, *abstulit opprobrium Euæ & Patri pro Matre satisfecit*, *ipsa conteret*, *cujus est victoria nisi Maria.* Sic Esai. 47. pro הוה Biblia Basiliensia legerunt יהוה pro perditione nomen Dei, qui crassus nimium est error, ut non possit videri, aut à quolibet corrigi.

Sic Marc. c. 13. ỳ. 32. *De die autem illo & hora nemo novit, neque*

Angeli in cælo, neque filius. Augustinus & Hieronymus, verba illa, *neque filius*, ab Arrianis esse inculcata suspicantur. Certè Matth. c 24. ỷ. 32. qui est huic parallelus, non occurrunt, attamen Marci Evangelium compendium esse Matthæi perhibetur. Malim credere aliquem bonâ fide Christianum, ex Matthæo evasisse, cùm nimis opportunum Arrianis existimaret. Quod ad Augustinum attinet, Cur igitur locum illum ex professo explicat quum ait, *Quod non iti sciebat ut tunc Discipulis indicaret, sicut dicit Dominus Abrahamo, Nunc cognovi quod times Deum, id est, nunc feci ut cognosceres, quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Hoc ergo inter illos nesciebat, quod per ipsum scire non poterant, & hoc solum se scire dicebat, quod illos per illum scire oportebat, juxta illud; Tentat Deus ut sciat, hoc est, ut scire nos faciat.* Hactenus Augustinus. Mirari autem potiùs debemus cur Augustinus non adduxerit locum 1. Cor. c. 2. ỷ. 2. *Nihil inter vos scire decrevi prater Iesum Christum eumque crucifixum.* Sciebat enim multa alia Paulus nec oblivioni tradiderat scripta Poëtarum, Iudaïcum jus & Romanum. Omnia tamen hæc dicit se nescire & ignorare inter eos, id est nolle ijs proponere aut edisserere; sic etiam Christus inter Discipulos judicij diem nesciebat. Hieronymus in Matth. 24. ait hæc verba, *neque filius*, in perpaucis exemplaribus Græcis haberi, *sed quia in nonnullis inserendum videtur*, inquit (quod fortè de Matthæo tantùm non etiam de Marco intellexit.) Quidquid, id est, extitisse ante Arrium & Arrianos hæc verba certè apud Marcum Tertullianus author & fundus est, qui diu ante illos, scilicet centum annos vixit, verba illius aurea sunt, *Si scientiam diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit quod verum est, neque nos erubescamus, quæ sunt in quæstionibus majora secundùm nos, reservare Deo, nemo enim supra Magistrum est.*

Sic Matth. c. 6. ỷ. 13. *Quia tuum est regnum gloria & potentia,* &c.] In Latinis exemplaribus omninò desideratur, & à Græcorum fluxisse Lithurgijs admodum justa suspicio est, in quibus populus ad hæc tantùm verba recitat, *Libera nos à malo.* Sacerdos autem respondet Lithurgiæ in morem, *Nam tuum est regnum, tua gloria, tua potentia*, &c. Hoc autem videtur esse non levis momenti, cùm enim gratiarum actio sit potissima cultus rationalis & Evangelici pars, non videbatur in oratione tam perfecta potuisse id totum omitti, sed primò rectè potuit comprehendi sub sanctificatione Divini nominis petitione prima. Deinde, quantumvis hæc verba non habeant Latini Patres, occurrunt tamen ea in Codicibus Græcis nonnullis. Ac denique, Paulus nobis videtur, 2. Tim. c. 4. ỷ. 18. in hanc δοξολογίαν Dominicæ orationis commentarium dedisse, quum dixit, *Liberatus sum ex ore leonis* (leo autem rugiens malus sive malignus dicitur) *& liberabit me Dominus ab omni opere malo,*

& servabit in regnum suum cœleste, cui gloria in secula seculorum amen. Quæ non obscura est ad orationem Domini allusio.

AXIOMA XII.

Conjecturæ criticæ in Sacris non sunt inutiles neque necessariæ.

RES ipsa non uno loco temporis injuriâ, persecutionum acerbitate, Adversariorum veritatis fraude, audaciâ Hæreticorum, Pastorum denique inscitiâ & oscitantiâ, & numerorum notas labefactari & alia periculosiora in sacris litteris invehi potuisse: Quæ tamen eruditi & sancti viri tum ex collationibus, tum ex fidei analogia partim animadverterunt & emendarunt, partim posteris observanda & emendanda reliquerunt. Sic Ecclesiæ suæ prospiciente Domino, ut quamvis integri non pauci libri interciderint, & errores irrepserint; tamen salutis doctrinam totam his ipsis libris certissimè & verissimè comprehensam habeat Ecclesia. Quæ verba si nostra essent facilè in malevolorum reprehensionem incurrerent, liberterque suis dentibus pæones corruperent. Quod nè fortè audeant per ignorantiam, admonemus nos authore magno tueri nos posse.

Sic Psalm. 18. ỽ. 11. De quo ante diximus antea nonnihil וירא *Et visus est super alas venti*, quod erat in Samuele, lib. 2. cap. 22. dixit Psaltes וידא *& volavit*; facili elementorum ר & ד permutatione. Ad quam vocem annotant Masorethæ id non ampliùs extare. Huc accedit quod ראה *milvus* à volatu dicitur Deut. c. 14. ỽ. 13. Certè וידא *& volavit cum alis venti*, apprimè convenit, sed utravis accipiatur lectio, nihil sensui deperit. Non igitur sollicitandum quidquam existimamus, cum præsertim eo in Psalmo variæ lectiones animadverti possint, ubi nulla depravatio esse videtur, sed synonimorum pro synonimis usurpatio, ut quum *fundamenta cœlorum* dicuntur *fundamenta montium*, quia summi montes interdum pro cœlo usurpantur.

Sic Gen. c. 46. ỽ. 27. Lxx. animæ dicuntur in Ægyptum descendisse, cùm tamen Act. c. 7. ỽ. 14. dicantur descendisse, ψυχαὶ ἑβδομήκοντα πέντε. Si legamus ἑβδομήκοντα πάντες constabit numerus. Et aliqua verisimilitudo ex eo est quòd in prædicto Geneseos loco in Hebræo sit כל *omnes animæ*: sed cùm alia crebro in istis numerorum notis difficilia occurrant, non putamus eò deveniendum. Neque id quod Augustinus dixit, *Mysterium hîc veluti Pythagoricum latere*. Neque probamus quod alij, ut numerosior videretur familia Iosephi Ægyptijs, septuaginta Scribentes in gratiam Ptolomæi Regis Ægypti auxisse numerum & quinque addidisse, quod postea in Actus Apostolicos fluxerit. Sed altius longè respiciendum judicamus, nimirùm ad scopum auctoris qui

probare intendit, numerosissimum exercitum & multitudinem incredibilem ex paucis personis extitisse, quod sive Lxx. ponantur, sive Lxxv. satis conspicuum est, de hoc uno laborandum.

Sic, Ioan. cap. 18. ✠. 1. Πέραν τ̃ χειμάῤῥȣ τ̃ Κέδρων, Redundare videtur articulus τ̃, hîc enim est torrens non Cedrorum, ut Erasmus putâvit, parùm attendens ad Hebraïcam originem, verùm Cedron, qui locus est, non à Cedris dictus, sed à nigredine.

Sic Heb. c. 11. ✠. 37. Vox Ἐπειράσθησαν redundare videtur à nonnullis, & ex ora in contextum inculcata; scilicet ad oram pro ἐπρίσθησαν quod est in contextu legendum esse aliquis annotarat ἐπειράσθησαν. Quorsum enim de tentatione, inquiunt, loqueretur hîc Apostolus. Adde quod Syrus Interpres hoc verbum penitus omisit. Quòd si ex margine non irrepsit rescribendum putant ἐπυρώθησαν, alij ἐπυράσθησαν, ustulati & flammis dati sunt. Nimirùm nè bis Apostolus idem dicat; quippe dixerat superiori commate πεῖραν ἔλαβον, quod eòdem videtur incidere. Quas profectò conjecturas ut non penitùs aspernamur, ità nec penitùs necessarias arbitramur, quippe illud ἐπυρώθησαν quod adhibent Viri magni ut restituatur, in præcedentibus habeatur ✠. 34. ἔσβεσαν δύναμιν πυρὸς, quæ sanè verba non minorem habent affinitatem cum verbo ἐπυρώθησαν, quàm verbum ἐπειράσθησαν cum illis πεῖραν ἔλαβον, adeóque majorem habenti quippe vix possunt distingui nisi quoad eventum. Tentatio verò illa prior, flagellorum, ludibriorum, vinculorum & carceris, longè alia fit ab illa tentatione quàm satanas intentat & admovet martyribus, quum lapidandi, vel dissecandi, vel capite plectendi veniunt. Multorum enim exempla nobis sunt in mundo, qui flagella & multò graviora passi, tamen in capitali discrimine tentationi succubuerant. Nec est in Scripturis hujusmodi ἀκρίβεια requirenda, ut nihil neque repetatur, neque propter emphasim: certè cùm Poëta prophanus ter idem dixerit,

Quem si fata virûm servant, si vescitur aura
Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris.

Quidni poterit in Scriptura bis idem usurpari ἐμφατικώτερον.

Sic Luc c. 22. ✠. 20. Verba hæc τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, &c.] Vbi est manifestus solecismus, præcesserat enim ἐν τῷ αἵματί μȣ. De quo dicemus alibi cum bono Deo. Hæc, inquam, verba videntur ad marginem annotata fuisse, petita ex Matthæo & Marco apud quos extant, sed legitima syntaxi & collocatione. Cui additioni apud Lucam ansam præbuit, id quod præcesserat ✠. 19. τȣ̃τό ἐστι τὸ σῶμά μȣ τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, quibus pulchrè ista responsura videbantur, ἐν τῷ αἵματί μȣ, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Non tamen obstabit hæc observatio, quin alias hujus loci vindicandi rationes in loco reddamus.

Sic Marc. c. 9. ✠. 49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται.] Probabilis admodum

& plausibilis videtur magni viri conjectura, pro illis verbis, πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, rescribendis πᾶσα πυεία ἁγισθήσεται. Consulatur Levit. c. 2. ℣. 13. nam quid est salire igni. Videntur inepti quidam homines cùm nescirent quid esset πυεία, πυρὶ legisse: facilè arridet conjectura hæc, propter summam difficultatem loci: non tamen usque adeo necessaria est, ut non possit locus minimè sollicitatus aliter explanari. Ac primò quidem si dicamus, quod est verissimum, vocem ἁλισθήσεται exponi rectè posse priori loco, *consumetur*, ut rectè respondeat נמלח Hebræorum quòd non modò *salire* significat, sed etiam *evanescere, consumi,* ac de vestibus tritis usurpatur apud Ieremiam, de fumo apud Esaïam c. 51. ℣. 6. déque cœlis, qui dicuntur consumendi, quod Symmachus Græcus Interpres convertit ἁλιώσονται vel ἁλισθήσονται: posteriore autem loco significat *salietur*. Non enim hoc est novum & insolens in Scriptura, ut una eademque vox in una periodo non unum & eundem significatum sortiatur; quemadmodum in illo, *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Iam verò duorum generum oblationes apud Iudæos erant, holocautomata, Hebraïcè עולה, & θυσία, Hebraïcè מנחה. Priores igne penitùs consumebantur, igne inextincto qui flagrabat in altari holocaustorum. Huc itaque alluserit Marcus priore membro quum dixit, πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, quod ità connectitur cum precedentibus, *Vbi vermis non moritur & ignis non extinguitur, nam omnis*, (nempe damnatus & ex eorum numero de quibus anteà loquebatur) *igne illo consumetur instar holocausti & victimæ.* Solent quippe à Prophetis non raro etiam improbi conferri, quibus Deus est πῦρ αἰώνιον, cùm fideles in Novo præsertim Testamento aliter victimæ dicantur, non velut capita devota & piacula justitiæ divinæ (hoc enim Christus pro ijs fuit) sed velut hostiæ viventes de quibus Rom. c. 12. ℣. 1. Non velut holocausta vocanda penitùs igne & consumenda, sed veluti oblationes ex mola salsa quæ sale condiebantur, sicut omnis Christianus esse debet gratiæ sale salitus. Secundò, possumus Marcum ex Matthæo explicare c. 5. ℣. 14. 15. 18. atque id rectà & ex ordine facimus, quando Marcus Matthæi abbreviator existimatur. Matthæus autem hoc illo loco Apostolos duplici ornat elogio, vocat salem terræ, ℣. 13. nec-non lumen mundi, loco sequenti nihil est frequentius Græcis quàm nomine ignis lucem intelligere Sicut igitur docuerat Matthæus c. 5. ℣. 16. lucem nostram ità debere flagrare coram hominibus ut glorificent Patrem nostrum qui est in cœlis, ità nunc Marcus docet luce illâ sive igne cœlesti debere congregari atque allici quemvis Christianum, hoc enim est ἁλίζεσθαι, quum non ab ἅλας sed ab ἅλις deducitur; ἁλισθήσεται igitur in priori membro erit, *congregabitur*. In posteriori autem Marcus docet usum salis Apostolici, nempe ut omnem hominem ad Christum venientem hoc sale condiant, hoc est, convertant

Gentes

Gentes puritate incorruptæ doctrinæ, quę sale significatur, nec-non ut splendore bonorum operum convertant, & sub alis Christi veluti congregent Quod apud Matthæum luce, apud Marcum igne, designatur. Vix autem dubitare possumus quin prædictum ex Matthæo locum respexerit Marcus, cùm loco eo Matthæus hæc habeat, Ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται, ℣. 13. quæ planè res pendent istis apud Marcum, Ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε. Denique, sic nobis planiùs & simpliciùs videmur eundem locum interpretari, observando hanc loquendi formulam, πυρὶ ἁλίζεσθαι illi non esse absimilem qua igne baptizari dicimur, Matth. c. 3. ℣. 10. 11. & 12. Qui locus ad hunc illustrandum facit. Nam ubi locutus est Matthæus de arbore infrugifera quæ mittenda est in ignem pergit Baptista ac dicit sese aqua baptizare quidem, at post se venire qui spiritu & igne baptizet, adeóque subjicit purgaturum Dominum aream suam & paleas combusturum, πυρὶ ἀσβέστῳ, de quo hîc loquitur Marcus etiam, πῦρ, inquit, οὐ σβέννυται. Quod novum axioma suppeditat in hæc verba concipiendum.

AXIOMA XIII.

Scriptura similitudines confundit ac permiscet, ut multiplicem rerum spiritualium vim designet.

SIc dicuntur claves ligare & solvere, cùm earum proprium sit aperire & claudere: sic ædificari & plantari, & à Prophetis & ab Apostolo ad cœlos in limine conjunguntur. Sic. 2. Cor. c. 5. vestiri dicimur domicilio cœlesti, quia cœlestis nobis gloria pro domo & vestimento erit. Sic in Apoc. c. 7. ℣. 14. dicuntur vestes justorum dealbatæ in sanguine agni; sanguis autem non dealbat. Voluit nempe Theologus hâc insolenti loquendi formulâ, multiplicem sanguinis Christi efficaciam exprimere, qui non modò rubicundo colore justitiam divinam placat effusus in cruce, verùm etiam conscientias nostras purificat potentiùs quàm ille taurorum aut hircorum, ab operibus mortuis aspersus in corde ut est Heb c. 9. ℣. 14. Pollet quippe virtute gemina placandi D um, quatenus est sanguis victimæ piacularis, & mundandi peccata nostra & eluendi sanguinem impurum, in quo Christus invenit sponsam suam jacentem, ut est apud Ezech. 16. quatenus est sanguis vivus perpetuóq; recens, quia comitem habet Spiritum quo velut aqua dealbamur. Vt jam duplex illud adumbretur donum justificationis & sanctificationis, quorum prius respondet sacrificijs quæ sanguine fuso, posterius lotionibus legalibus quæ effusa peragebantur aquâ. Quod utrumque Ioannes in Evangelio docuit, venisse Christum in aqua & sanguine. Nunc idem Ioannes (nam idem fuit) significat quum dealbari sanguine

dicit. Nec aliter baptizari aqua & igne dicimur, quia Spiritus non modò mundandi exteriora membra virtutem in se continet, quod aqua perficit hærens in cute, non ad penetralia sese inducens: verùm etiam intima quæque purgandi penetrabili suo calore atque consumendi heterogenea & homogenea congregandi, quod ignis est proprium: ideóque non diversa modò, sed contraria junguntur ignis & aqua, cùm neutrum ex istis elementis pro se possit respondere summæ Spiritus efficaciæ. Pariter quum igne dicimur saliri, absona videtur locutio, sed emphatica & necessaria est, ut sub duobus simulachris consertis atque conjunctis depingatur quod alterutro seorsum vix poterat. Sal enim corruptionem impedit, non tollit postquam inolevit: at verbum & Spiritus Dei duplici pollent efficaciâ, tollendi corruptionem: Primò, instar ignis, ac deinde tueri à corruptione instar salis, nam ignis quod immundum est absumit, separat aliena, purificat. Sed cur hic de hoc igne loquitur Marcus mystico & spirituali, cùm de longè alio recens locutus esset inextincto illo gehennæ? Planè ut Matthæus occasione illius ignis in quem conijciuntur putridæ arbores, de longè alio igne locutus est. Consulatur locus & conferatur cap. 3. ṽ. 10. 11. *Ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται· πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν κολὸν, ἐκκόπτεται, καὶ εἰς πῦρ βάλλεται. Ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν. ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἰσχυρότερός μου ἐστὶν, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι, αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί.* Nam planè geminus est, ità enim noster, sicut olim omnis oblatio sale saliebatur, ità nunc omnis victima Evangelica, non sale saliri, sed quod est ampliùs, igne saliri debet, ut sit gradatio qualis apud Matthæum, *Ego*, inquit Ioannes, *baptizo vos aquâ, qui venit post me non aquâ, sed quod est ampliùs, igne baptizabit vos.*

AXIOMA XIV.

Actionis verba non actionem cum efficientia notant, sed permissionem cum efficacia.

DVplex hic scopulus pariter declinetur: alter, ne dum Dei peccati authorem facere horremus, providentiâ eum suâ spoliemus: Alter, nè dum providentiam ei suam nimium asserimus peccati faciamus authorem. Ad priorem scopulum Epicurus, ad posteriorem impegit Manichæus. Ab utroque Scriptura nos auertit, quum *activis* modò utitur *vocibus seducendi, cæcandi, indurandi, errare faciendi,* &c. quæ providentiam seu permissionem cum efficacia liquidò testantur: modò *negantibus derelinquendi* 2. Chron. c. 32. ṽ. 31. *Et non dandi cor ad intelligendum.* Deut. cap. 27. ṽ. 4. Quibus omnis positivus influxus &

propria causalitas à Deo longissimè removetur. Ad priores loquendi formulas respiciendum est quoties otiosa Deo permissio attribuitur, quasi manibus insinuatis feriaretur. Ad posteriores quoties aliqua ex peccati commercio Deo labes ab hominibus malè feriatis aspergitur.

In veteri Testamento magistri Hebræorum observant verba formæ *Hiphil*, qualia sunt ea de quibus agimus, negationem vel suspensionem actionis designare. Quod intereà non sine mica salis accipiendum; primò, quia perpetuum non est. Deinde verò, quia ferè perpetuò non meram negationem notant, sed aliquid positivum cum hac negatione conjunctum connotant & adsignificant, uti modò docebimus.

Sic Gen. cap. 6. ℣. 20. Noë *animalia*: Exod. c. 1. ℣. 17. obstetrices *pueros Israëlitidum*: 2. Sam. c. 8. ℣. 2. David, *Moäbitas, vivificâsse in Hiphil* dicuntur: quod ità solet accipi quasi tantùm non occidissent, quemadmodum & alia non pauca: Gen. c. 24. ℣. 17. *fac me bibere*. Gen. c. 25. ℣. 30. *fac me gustare*, id est, *sine bibam, sine degustem*: sic Exod. c. 16. ℣. 19. de manna אל יותר, *nè reliquum faciat*, quasi faciat qui reliquerit. Proverb. c. 10. ℣. 3. *Non esurire faciet Deus animam justi*, id est, *esurire non patietur*. Sic Psalm. 119. אל תבישני, *Ne facias me confundi*, hoc est, *nè patiaris*. Sic Esai. c. 63. *Quare faceres nos aberrare*. Confer cum Act c. 14. ℣. 6. Sic Psal. 16. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, hoc est, *non permittes*. Sic Ioan. c. 6. ℣. 39. imitatur novum Fœdus Veteris hac in parte stylum, ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι, μὴ ἀπολέσω, id est, *Non patiar à Diabolo perdi*, qui est propriè ὁ ἀπολλύων, Sic Paulus 1. Cor. c. 6. ℣. 7. & ibidem commate 12. Sic in oratione Domini, *Ne nos inducas in tentationem*, id est, *ne nos sinas ei succumbere*: hoc enim est, εἰσφέρειν, respondens Hebræorum הביא *ingredi facere*, juxta illud, *Orate ne intretis in tentationem*, quod non est simpliciter tentari, hoc enim fore Deus certò prædixerat, sed, *Orate ne inevitabili & proxima quam prædico vobis tentatione, nimiùm penitùs induamini, & nimiùm diù detineamini*. At verò qui hæc omnia negativè accipiunt, quasi esset actionis mera cessatio, longè falluntur, quanquam enim nulla in his exemplis denotatur effectio, tamen in singulis ferè denotatur aliqua procuratio, vel potentiæ vel potestatis. Quum enim obstetrices pueros, David Moäbitas, vivificâsse dicuntur, simplex & nuda viventi permissio non designatur, sed prætereà potuisse obstetrices morti dare pueros, atque adeò curam & industriam eorum tuendæ vitæ accommodâsse, Davidemque vitam non simpliciter permisisse Moäbitis, ut Goliath permisit Davidi quem occidere non potuit: sed prętereà potuisse Davidem, atque adeò jure potuisse Moäbitas interimere, atque adeò adhibito in eam rem consilio & judicio, vitam ijs permisisse, cùm penes eum esset interimendi & potentia & potestas. Atque ità de cæteris, nè quis verba *indurandi*, *tradendi in sensum repro-*

bum, & *excœcandi*, & quæ ſunt hujuſmodi (quod nonnulli fecere imprudentes) ad nudam permiſſionem trahat ex illa obſervatione Magiſtrorum, qui & hoc obſervant *verba in Hiphil* (quæ vocant *verba accumulativa*) *non authorem rei, ſed tamen eum qui auctor eſt & impulſor, alteri ut rem faciat, ſignificare*, ſic הפקיד aiunt eſſe, *conſtituit alium qui viſitet.* Sic 2. Sam c. 12. ℣. 9. David Vriam occidiſſe legitur, cùm ſuâ manu id nullus fecerit; ſed fieri per alios curaverit, ubi eſt הכית in *Hiphil*: nec aliter accipi debet vox *indurandi*, quamvis Deus per diabolum indurare intelligatur, atque adminiſtrare, id eſt, hanc ei poteſtatem facere ut apparitori ſuo.

Huc adde quod activa & in *Hiphil*, & in aliis formis verba, occaſionis duntaxat præbitionem, ſignificent. Gen. c. 42. ℣. 38. *Facietis deſcendere canitiem meam in ſepulchrum*, hoc eſt, *occaſio eritis mortis meæ.* Sic Exod. c. 5. ℣. 22. *Cur malè feciſti populo huic*, id eſt, *Cur dediſti occaſionem majoris afflictionis.* Sic 1. Reg. c. 18. ℣. 9. *Tradis ſervum tuum in manum Achabi ut occidat me.* id eſt, *mandato tuo Achabus occaſionem capit occidendi me.* Sic Eſai. cap. 19. verſ. 11. *Quomodo dicitis Pharaöni filius ſapientum ſunt*, id eſt, *Cur occaſionem datis ei hoc dicendi.* Sic igitur Deus quia per accidens & occaſionaliter, non per ſe ac directè malitiam hominum intendit eos indurare dicitur. Sic Dominus Matth. c. 10. ℣. 34. *Se veniſſe dixit non pacem miſſurum in terram, ſed gladium.* Sic Rom c. 4. *Lex iram operari*: & Rom. c. 11. *Concluſiſſe Deus omnia ſub peccato dicitur.*

Prætereà Deus indurando Satanæ tradit, cujus traditionis reſpectu indurare dicitur. Non aliter quàm Pilatus dicitur flagellâſſe Ieſum Ioan. c. 19. ℣. 1. & Iudæi eundem crucifixiſſe. Act. c. 3. ℣. 15. eâdem loquendi formulâ dici poteſt Deus indurare ac excœcare, quum homines tradit Satanæ tanquam lictori & carnifici ſuo. Sic & interdum verba neutra activè exponuntur more conjugationis *Hiphil.* Sic Pſal. 52. ℣. 7. *emigrabit te*, id eſt, *emigrare faciet.* Hoſ. c. 8. ℣. 4. *ipſi regnaverunt*, id eſt, *Regem ſibi conſtituerunt.* Rom. c. 8. ℣. 26. *ſpiritus poſtulat*, id eſt, *poſtulare facit.* 2. Cor. c. 2. ℣. 14. *Deus triumphat*, id eſt, *triumphare facit.* Quidni igitur vox *indurandi*, adeóque potiori jure, cùm non neutra ſed activa ſit, accipi poterit, ut *induravit*, *indurare fecit* reddatur, hoc eſt, hominem durum à ſe ipſo magis indurari à diabolo in pœnam juſtiſſimam effecit. Quod ſi cui durum, adhuc videatur, quid impediet quominus, quemadmodum verba activa crebrò non tam efficientiam quàm declarationem deſignant, ut טמא, *immundum fecit*, id eſt, *pronuntiavit.* Levit. c. 13. ℣. 2. & alibi ſæpè: & הצדיק *juſtum fecit*, id eſt, *pronuntiavit.* Proverb. c. 17. ℣. 15. & innumera ejuſmodi. Sic & *induravit*, hoc eſt, *durum qui non videbatur anteà oſtendit & manifeſtavit.*

AXIOMA XV.

Deus Creaturas peccare, non Creaturis peccare permittit.

DVplex est Dei permissio, una quæ opponitur impeditioni, altera quæ prohibitioni. Nam permittere dicitur qui non impedit per potentiam ex decreto: & permittere dicitur qui non prohibet per justitiam in lege. Deus priori modo peccatum permittit, alioqui nunquam fieret, nisi Deus non impediret, neque tantùm non vellet impedire, quæ negativa propositio est, sed etiam vellet non impedire, quæ affirmatio est, quæ tamen affirmatio se habet ad peccatum antecedenter non efficienter, ut peccatum non ex voluntate ac decreto, sed juxta decretum contingat. Posteriore modo Deus peccatum nunquam permittit, perpetuò enim prohibet, quia suspendere potest potentiam, non potest justitiam, cùm illa se habeat per modum liberi, potuit & creare mundum & non creare. At cùm hæc per modum necessarij se habeat, non potest velle malum aut bonum non amare. Tamen indifferentia nonnulla sunt neque bona per se neque mala, quæ potest utroque modo permittere moraliter ac Physicè non prohibendo & non impediendo, vel ex adverso prohibere aut impedire simul.

Cùm igitur ità se habeat permissio quæ opponitur impeditioni ad impeditionem, ut permissio quæ opponitur prohibitioni ad prohibitionem, si permissionem hanc, hoc est, non prohibitionem ostenderimus in Scriptura verbis affirmantibus designari, ità ut Deus illud præcipere dicatur quod permittit non prohibendo, quidni etiam existimabimus permissionem alteram sive non impeditionem, cum activis verbis in Scriptura designatur, non aliter accipiendam esse quàm ut illud Deus dicatur facere quod permittit non impediendo. Atque constat his exemplis Deum dici jubere ac præcipere quæ permittit; ut quum Adamo præcepit vesci fructibus omnium arborum, quæ paterna indulgentia fuit non jussio. Sic Noæ omnibus animalibus præter sanguinem vesci præcepit, hoc est, permisit. Sic laborare sex dies Iudæis præcepit, hoc est, concessit! Nam etiam extra septimum licebat feriari citra peccatum! Quum igitur Deus beneficium indulget, ijsdem utitur vocibus quibus quum officium præscribit. Nec aliter magistri Iudæorum loquuntur. Exemplum est luculentum apud Masorethas quum adscribunt ad oram Bibliorum אל קרי *Ne legas*, *nempe sic*, *sed sic*. Cùm tamen lectio quam imperare videntur hoc dicto nullum in textu locum habeat. Sunt igitur eorum verba, κατ' συγχώρησιν, accipienda, *Etiamsi non sic sed sic legas*, *ut habent alia exemplaria sensus tamen ratio constabit.* Sic 1. Reg. c. 5. ℣. 6. Salomon rogat Hircanum ut *præcipiat cædi in*

Libano cedros, ubi vox Hebræa צוה de permiſſione accipitur, hoc eſt, *patiatur cædi* Nam Hiram Dominus erat cedrorum. Nec aliter in Novo Teſtamento : nam quod Matth. c. 19. ℣. 7. legimus ἐνετείλατο *præcepit*: Marcus habet ἐπέτρεψε *permiſit*. Revera in omnibus linguis permiſſio per imperativum deſignatur, ut apud Poëtam,

I, ſequere Italiam ventis, &c.

Nec alitet Dominus proditori, *fac citò quod facis*. Eodem pacto poſſunt intelligi illa verba, *Deus dixit Semei*, *maledic David*, &c. præcipere & imperare videtur quod permiſit, quatenus maledictio fuit, cujus Deus non eſt auctor, quanquam id ipſum alijs reſpectibus dici poteſt voluiſſe. Quidni ergo diceremus ſicut per præceptum deſignatur permiſſio moralis, ità per actionem, deſignari permiſſionem phyſicam. Vt nihil aliud ferè ſit induratio, quàm non emollitio, ſed ab eo qui poteſtatem habet indurandi & emolliendi. Quod addimus de induſtria: quemadmodum enim Salomon rogavit Hiramum ut præciperet cædi in Libano cedros, quum ſignificare voluit ut permitteret, quia Hiramus Dominus erat cedrorum, uſus eſt præcipiendi vocabulo. Sic per præceptum Dei deſignatur permiſſio, ſed ab eo profecto qui jus habet prohibendi: adeóque per indurationem hîc deſignatur non emollitio ſed ab eo qui poteſtatem habuit non emolliendi. Adde quod permiſſio quæ ſonare videtur non impeditionem, accipitur interdum pro efficacia & poſitivo influxu, quemadmodum in illo dicto, *Si Deus permiſerit* Heb. c. 6. ℣. 13. hoc eſt, *Non modò ſi Deus non impediat*, ſed etiam, *Si Deus voluerit*, *adfuerit*, *effecerit*. Nempe oratio affirmans in Scriptura crebrò negat contrarium, & oratio negans contrarium affirmat. Quod exemplis probandum eſt.

AXIOMA XVI.

Oratio negans contrarium affirmat.

HÆc eſt illa λιτότης, illa μείωσις tam crebra, quum longè minus dicitur quàm ſignificatur. Quod ex geſtu corporis vel accentu vocis pro varietate τῆς ὑποκρίσεως dignoſcitur, ut quum aliquos amare inter ſe vehementiſſimè ſignificare volumus, nullum eſſe inter eos inimicitiam ſubridentes dicimus. Nec aliter Cicero, *Non abſurdum Oratorem* dixit, quem alibi ſummum vocavit. Nec aliter Livius Polybium, *Non ſpernendum authorem appellat*, & intereà tanti facit, ut ex eo paginas integras in ſua ſcripta congregârit.

In Veteri Teſtamento, Exod. c. 20. ℣. 6. לא ינקה. LXX. οὐ μὴ καθαρίσει, *non habebit inſontem*, id eſt, *graviſſimè puniet*. Vox autem formæ *Pihel*, nec ſignificat *inſontem facere*, ſed *pro tali habere*, ut צדק *juſtum*

non facere, sed habere. Sic Levit. c. 10. ℣. 1. *obtulerunt ignem alienum coram Iehovah, quod Deus non præceperat* לא צוה, id est, *vehementissimè interdixerat*. Sic Ps. 68. ℣. 5. & 84. ℣. 12. & 51. ℣. 19. *Cor contritum non despicis*, id est, *summè diligis*. Et Esai. c. 42. ℣. 3. *Arundinem quassatam non confringis*, hoc est, *confirmas*. Et Sophon. c. 2. ℣. 1. *Natio non est desiderabilis*, hoc est, *odiosa*. Et Proverb. c. 12. ℣. 3. & c. 17. ℣. 20. Et Zach. c. 8. ℣. 17.

In Novo Testamento Apocal. c. 12. ℣. 11. *Martyres dicuntur non dilexisse vitam suam usque ad mortem*, hoc est, *eam susque deque habuisse*. Et Heb. c. 2. ℣. 11 *Non Deum pudet*, hoc est, *dignatur*. Nec aliter Paulus Rom. c. 1. ℣. 16. *Non pudet Evangelij*, hoc est, *Corona mea Evangelium est*. Sic Heb. c. 13. ℣. 9. *Non profuisse dicitur*, quod *vehementer nocet*. Sic Ps. 1. ℣. 1. Sic Ioan. c. 8. ℣. 44. Sic Rom. c. 8. ℣. 31. *Non pepercisse dicitur filio*, id est, *cruentæ morti tradidisse*. Sic Rom. c. 4. ℣. 19. *Non infirmus fide dicitur*, hoc est, *fortissimus athleta pater credentium*. Sic Ioan. c. 14. ℣. 8. *Non relinquam vos orphanos*, id est, *Spiritum vobis tutorem & Paracletum dabo*. Sic 1. Cor. c. 16. ℣. 22. *Si quis non amat Dominum Iesum*. hoc est, *si quis eum odit*. Sic Matth. c. 2. ℣. 6. οὐδαμῶς ἐλαχίστη, *Non minima*, hoc est, *Maxima Bethleem dicitur, quæ minima vulgò habita est*. Sic Matth. c. 12. ℣. 32. *Peccatum in Spiritum Sanctum non remittendum in hoc & futuro sæculo*, hoc est, *puniendum*, ut loquitur Chrysostomus. Denique, quum Deus hominem derelinquere dicitur in Scriptura (quæ vox auxilij negationem sonat) vel non dare homini cor novum, non sunt accipiendæ istiusmodi loquendi formulæ, quasi nudam negationem absentiamque significarent; contrarium enim affirmant, nempe Deum hominem Satanæ tradidisse in reprobum sensum.

AXIOMA XVII.

Oratio affirmans negat contrarium.

SCriptura vehementibus loquendi formulis utitur, quum præsertim aliquod nobis inculcandum est, à quo magnoperè abhorremus, aut quod operæ pretium est diligenter à nobis animadverti, adeóque interdum simpliciter, ex usu linguarum omnium ferè verba quæ affirmant per contraria negata reddi debent.

Sic Gen. c. 29. ℣. 31. *Lea odio habita*, id est, *minus amata* dicitur. Deut. c. 3. ℣. 26. excanduisse dicitur Dominus, cùm ex tota serie contextus pateat nihil aliud significari, quàm exorari se passum non esse, nam verbum illud התעבר *flagrantissimam iram* designat alibi, sed hic pro mera exauditionis negatione accipitur. Sic Iob. c. 2. ℣. 6.

Ecce in manu tua est tantùm ejus animam שמר *custodi*, quibus verbis non traditur Iobi ànima Diaboli custodiæ: tantùm interdicitur ei nè tangat eam. Sic Ezech c. 18. ℣. 27. revertens improbus ab iniquitate sua יחיה *vivificabit animam suam*, id est, *non perdet*.

Sic in Novo Testamento Luc. c. 14. ℣. 26. *Odisse patrem & matrem* dicitur qui *minùs amat*, quod explicatur Matth. c. 10. ℣. 37. responde que omnino laudato loco Gen. cap. 29. ℣. 31. Sic Rom. c. 9. ℣. 13. *Esavum odio habui*, explicant nonnulli, *non amavi, & in electione mea prætermisi*. Luc. c. 17. ℣. 33. *Vivificabit animam suam*, id est, *non perdet*, quod consentaneum est omnino cum laudato loco Ezech. c. 18. ℣. 27. Nec aliter jubet Christus Dominus discipulos ungere faciem inter jejunandum, nec enim eos vult die jejunij unguentis delibutos in publicum exire tantùm negare vult, atque interdicere contrarium, hoc est, nè sordes Pharisaïco ritu affectent. Sic idem Dominus quum Mat. c. 6 omnem curam rerum terrestrium interdicit, quod Ethnici hoc faciant, hoc tantùm voluit cœlestia præcipuè curanda esse, quod etiam disertè explicat ℣. 33. Denique, quum Scriptura Deum indurare hominem dicit, hoc affirmat ut contrarium neget, quasi Deum dicat homini denegare suam gratiam & Spiritum non impertiri quod alibi diximus.

AXIOMA XVIII.

Nomen loco Pronominis usurpatur.

PRoprius Hebræorum caracter ità fert non tantùm, perspicacitatis causa, ut in alijs linguis crebrò usu venit, & apud ipsum Ciceronem observari potest sæpenumerò repetentem vel antecedens loco relativi, vel utrumque, ut quum dicit; *qua ratio? quem virum?* Vbi nihil opus videbatur cùm *rationis* & *viri* mentio præcessisset immediatè. Consule sis initium orationis pro Plantio, ubi vox *salutis* octies repetitur in paucis verbis, sed etiam ornatus gratiâ, unde hoc Magistri vocant elegantiam linguæ Sanctæ, adeòque Rabbi Salomo tria hæc loca urget potissimum Gen. c. 4. ℣. 23. Quum dixit Lamech uxoribus suis, *Audite vocem uxores Lamech*, pro *uxores meæ*. Sic David lib. Regum *Tollite servos Domini vestri*, id est, *meos*. Et Assuerus Esther c. 8. ℣. 8. *Scribite ad Iudæos nomine Regis*, id est, *meo*. Sed plura multa sunt.

Sic repetitur *Canaan* Gen. c. 12. ℣. 5. & *Abraham* Gen. c. 16. ℣. 6. & *Salomon* 1. Reg. c. 5. ℣. 1. & *Ierusalem*. Zach. c. 1. ℣. 16. & vox *humiles* Psalm. 25. ℣. 9. Quod ipsum Scriptura de Deo usurpat Gen. c. 5. ℣. 1. *Quo die creaverat Deus hominem in similitudine Dei fecerat illum.* Videatur & caput primum commate 27. Sic Iehovah repetitur 1. Sam. c. 3. ℣. 21.

c. 3. ✠. 21. & c. 15. ✠. 22. & 2. Paralip. c. 7. ✠. 2. & nomen *Dei* Psalm. 82. ✠. 1. & plura alia. Atque hinc adeò patet laudi magis quàm reprehensioni oportunam esse sincerissimorum Interpretum sententiam, qui Gen. c. 19. ✠. 24. ubi dicitur *Iehovah pluisse ignem à Iehovah,* non aliter explicant quàm ex Hebræorum consuetudine, fortioribusque adversus Iudæos potissimùm argumentis agendum existimamus. Quod enim dicunt alij hîc frustrà repeti Iehovam nisi duæ intelligantur personæ, cùm ne relativo quidem opus hîc esse videatur, facilè refellitur, idque duplici viâ. Primò enim Angelus hîc intelligi posse videtur, utpote legatus Dei, qui non à se sed à Deo cœlitùs pluviam demisit, juxta id quod anteà dixerat, *Non potero quicquam facere donec introïveris.* Secundò, *Iehovah* idcircò *dicitur pluisse à Iehovah,* id est, *à se ipso,* quia omnis pluvia demittitur à Iehovah, etiam ex causis secundis orta, cùm hæc immediatè à Deo viâ extraordinariâ & penitùs miraculosâ effluxerit. Adde quod in Novo Testamento sic repetitur *Herodes* Luc. c. 3. ✠. 19. & *Christus* 1. Cor. c. 1. ✠. 8. & 2. Thess. c. 3. ✠. 5. *Dirigat Deus corda nostra ad amorem Dei & expectationem Christi.* Vbi necessariò vox vel *Dei*, vel *Christi* vel utriusque loco pronominis adhibetur. Sic 2. Tim. c. 1. ✠. 18. dat illi Dominus invenire misericordiam apud Dominum nimis enim argutum est quod & hîc nonnulli personas distinguunt.

AXIOMA XIX.

Quæ voces videntur futurum inferre ad præteritum solùm respiciunt.

HÆc observatio Priscorum Patrum est. Basilius, Τὸ ἕως πολλὰ τοῦ χρόνου μέν τινα δοκεῖ προθέσμιον ἀποφαίνειν, κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν τὸ ἀόριστον δεικνύσι. Breviter ut idem habet, ἡ ἐπαγγελία τοῦ παρόντος οὐκ ἔστιν ἀποκοπὴ τοῦ μέλλοντος. Vide & Nazianzenum. Quibus verbis ostendunt *donec* & *usque*, non semper terminum, sed perpetuitatem designare. Atque adeò vel idem quod *semper* & *nunquam*, significare, sive ità præteritum negare ut non affirment futurum, nempe non exclusivè adhibentur, sed ut explicent insigniter id in quo difficultas esse maxima poterat, sicut οὐκ ἔτι non præteritum affirmat, sed vel redundat, vel futurum solum negat; ut Ioan. c. 15. ✠. 15. & alibi. Frustrà sunt Iudæi quum celeberrimum oraculum, *donec* veniat *Schilo*; hunc in modum interpretari laborant. Meliùs ijs ratio constat, quum fatentur, quod negari non potest, Gen. c. 28. ✠. 15. & Ps. 123. ✠. 2. & 1. Sam. c. 15. ✠. 35. hanc observationem locum habere. Quibus addi possunt 1. Sam. c. 6. ✠. 23. & in primis Psal. 110. ✠. 1. *Dixit Dominus Domino meo sede ad dextram meam donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quippe hoc loco

qua usi sunt Petrus & Matthæus, Divinitas Domini nostri, & æterni regni nunquam desitura majestas luculenter asseritur. Quanquam enim regnum œconomicum & vicarium depositurus est Dominus aliquando postquam omnes hostes debellaverit, 1. Cor. c. 15. ℣. 28. tamen essentiale regnum perpetuò retinebit cum Deo Patre; atque adeò sub Deo Patre sibi perpetuò vindicabit œconomicum illud in Ecclesiam quod per consummationem non per consumptionem finietur, & sublatis circunstantijs eâdem substantiâ in æternum perennabit. Sed hîc in primis observandum ideò Davidem locutum esse, quod si quo tempore dubium videbatur an Christus gloriosus ad Patris dexteram sederet, id maximè videri debuit nondum plena victoria cùm adhuc hostes movent & turbant, adeò ut interdum regnare videantur debellato Christo & conculcatâ pedibus Ecclesiâ. Quod si tunc etiam Christus regnat, caussæ nihil dici potest cur non regnet etiam debellatis hostibus & conculcatis, adeóque in omnia sæcula.

Sic in Novo Testamento Rom. c. 5. ℣. 13. *Peccatum dicitur fuisse usque ad Legem,*] Quasi verò non fuisset etiam post Legem. cùm post Legem fuerit maximè conspicuuum nec tantùm fuerit, sed etiam regnaverit. Non igitur Paulus tempora Legem subsequuta exclusit, quum dixit usque ad Legem, sed illud intervallum quod Legem præcessit cum cura denotavit, quia illo intervallo maximè dubitabile videbatur, an peccatum esset, *quia non existente Lege, peccatum non imputatur.*

Sic. 1. Tim. c. 4. ℣. 13. *Donec veniam attende lectioni, consolationi,* &c] Non significat Paulus hæc exercitamenta pietatis esse aspernanda Timothæo post suum adventum, sed quia metus erat nè per Pauli absentiam intermitterentur, quæ postmodùm Pauli commotus adventu & præsentia Timothæus quin urgeret, dubitandi locus non erat.

Sic Matth. c. 1. ℣. 25. Verba illa Ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον.] Idcircò Matthæus facit quod illo potissimum intervallo res momentosa esset, atque ad institutum suum pertinens, postea quidquid inciderit parum refert. Nos autem cum Hieronymo non credimus, quia non legimus. Quod si Iurisconsulti ultimum posse dici non abnuunt eum quem sequitur nemo, etiamsi præcessit nemo. Quis abnuat dici posse primogenitum eum, quem præcessit nemo, etiamsi sequatur nemo.

AXIOMA XX.

Scriptura solet unum pluraliter appellare.

Apud Hebræos nihil est familiarius hac Enallage numeri, sive quum adjectivo singulari substántivum plurale jungitur, ut Psal. 119. 137. וישר משפטיך *Rectum judicia tua*, id est, *unumquodque judiciorum tuo-*

rum. Sic Deut. c. 28. ℣. 59. & Psal. 132. ℣. 12. *Testimonia meum.* Sive quum numerale in singulari substantivo plurali, ut 2. Sam. c. 24. ℣. 3. מאה פעמים *centum vicibus:* & vice versa numerale in plurali substantivo singulari sociatur, ut Iudic. c. 17. ℣ 4. מאתים כסף *ducentos argenteum*, pro *ducentos argenteos*: sive quum nomina dominium significantia etiam tum numero plurali efferuntur quum singulare antecessit. Verùm de his alibi. Sic Iudic c. 12. ℣. 7. dicitur Iephte sepultus *in civitatibus Galaad*, hoc est, *in una civitatum.* Sic Psal. 136. ℣. 13. *Qui divisit mare rubrum* לגזרים *in divisiones*, quanquam una divisio fuit. Quippe quod in priori exemplo magistri Iudæorum fabulantur Iephte discerptum esse membratim & singula membra in civitatibus condita. Et quod in posteriori maris duodecim sectiones pro suarum numero tribuum fingunt, solemnia insaniunt. Sic Psal. 2. ℣. 2. *Convenisse dicuntur Reges terræ ac Principes in Christum*, quod nonnulli pugnant de rege uno Herode, ac principe uno Pilato intelligendum, cùm tamen hîc sæculi principes, quos Paulus vocat possint intelligi, Scribæ ac Legislatores qui principes sæculi dicebantur, adeóque in Christum & Ecclesiam permulti reges insurrexerunt. Sic *sanguines* pro *sanguine* posuit Moses, Gen. c. 4. ℣. 10. & Ezech. c. 16. ℣. 6.

Quod in Novo Fœdere Ioannes æmulatur Evangelij sui cap. 1. ℣. 13 Οἱ οὐκ ἐξ αἱμάτων. Matth. c. 2. ℣. 20. τεθνήκασι οἱ ζητοῦντες, *Mortui sunt qui quærebant vitam pueruli.* Τελευτήσαντος Ἡρώδου, *Herode mortuo*, quod ibidem dicitur, *Herode*, inquam, *uno.* Sic Matth. c. 22. ℣. 24. Μὴ ἔχων τέκνα, improbis vel illiberis dicitur, ut est apud Tertullianum, *Cui ne unus quidem filius est* Non aliter quàm Gen. 21. ℣. 7. *Sara lactabit filios de Isaaco unico.* Sic 1. Paralip c. 1. ℣. 41. & c. 2. ℣. 38. & c. 31. ℣. 34. 35. filij de unico, filiæ de unica. Sicut alibi, *Cædes filiorum Ioiadæ Sacerdotis*, cùm Zacharias unus esset interemptus. Sic *liberos* unum filium, filiamve Latini dixere Agellio authore. Quod eò diligentius observandum nè cui mirum videatur, quòd Os. c. 11. ℣. 1 pro בן quod est in Hebræo. Lxx. reddidere τὰ τέκνα, in celebri oraculo, *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Quod eò quo diximus pacto, etiam de uno Christo intelligi poterat. Sed Matthæus hîc Lxx. sequi noluit, & ambiguitate discussa, τὸν υἱόν reposuit. Sic Psal. 110. ℣. 1 לימיני cùm legatur in singulari numero, sicut etiam redditur Heb. c. 8. ℣. 1. & c. 12. ℣. 2. ἡ δεξιά, attamen in plurali redditur à Paulo & Petro alibi, ut Act. c. 2. ℣. 34. κάθου ἐκ δεξιῶν μου, cùm tamen una tantùm sit dextera. Et Matth. c. 26. ℣. 64. & Marc c. 16. ℣. 5. Sic Act. c. 19. ℣. 38. *Proconsules*, id est, *Proconsul*, qui unus tantùm erat. Itaque Syrus Interpres numero singulari benè reddit. Sic Matth. c. 24. ℣. 1. *Accesserunt ad eum Discipuli ejus*, inquit illi Marcus, c. 13. ℣. 1. unum tantùm accessisse discipulum narrat. Sic Matth. c. 26. *Discipuli dicuntur ob effusum unguentem succensere*, unus tamen succensuit Iudas,

quod à Ioanne docemur c. 12. v. 4. Sic Matth. c. 27. v. 44. Latrones cum Christo in crucem acti probris eum affecisse dicuntur. Lucas unum tantùm blasphemâsse auctor est, *Vnus*, inquit, capite 23. v. 39. Sic, *In Prophetis esse scriptum* dicitur, Ioan. c. 6. v. 45. quod apud Esaiam unum, & Act. c. 13. v. 41. quod apud unum Habacuch invenitur. Vide præterea Matth. c. 2. v. 23. & Act. c. 7. v. 42. Sic ἐν ἡμέραις, ἐν κόλποις pro *in die*, & *in sinu*. Sic forte loco nobili ac perdifficili τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, id est, ὑπὲρ τοῦ νεκροῦ, Χριστοῦ, scilicet. Sic Marc. c. 5. v. 30. τὰ ἱμάτια, pro *veste unica*, quod patet ex Ioan. c. 19. v. 23. ubi ὁ χιτὼν ἀπὸ τῶν ἱματίων distinguitur. Sic Luc. c. 13. v. 29. ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν. pro *Oriente*, & *Occidente*. Sic Philip. c. 2. v. 6. τὸ ἶσα θεῷ, de Christo dicitur in plurali, ut æqualis esse Deo significetur.

Porrò interdum numerus pluralis adhibetur non ut plures, verùm ut unus è pluribus designetur, quod constat ex nonnullis exemplorum quæ modò retulimus, ut de *discipulis*, de *latronibus*, de *urbibus Galaad*, & præterea Gen, c. 8. v. 4. *Super montibus Ararat*, hoc est, *super uno monte*. Ionæ, c. 1. v. 5. Ionas *descendit ad littora maris*, hoc est, *ad unum è littoribus*. Et Zach. c. 9. v. 9. *Super pullum natum asinarum*, hoc est, *natum ex una asina*, &c. Sic Act. c. 17. v. 39. ἀνάστασιν νεκρῶν, & si de solius Christi resurrectione locutus esset Paulus. Gen. c. 24. v. 10. & c. 39. v. 2. & 2. Sam. c. 12. v. 8. *Domini* in plurali, cùm de unico sit sermo.

AXIOMA XXI.

Sæpè res singularis & unica, numero multitudinis exprimitur, non ut multitudo, sed magnitudo ejus ac dignitas ostendatur.

QVanquam id commune videtur linguarum omnium, ut quum Tullios & Virgilios dicimus, & *multum* pro *magno* usurpamus, ut in illo, *multa viri virtus*. Iosephus ubi de fonte Silva scaturiente ad radices Sionis loquitur πηγὴν πολλὴν vocat *multum fontem*, hoc est, *ingentem*, sive, *in quo sunt aquæ multæ*, ut Scriptura loqueretur, id est, *grandes*, *atque copiosæ*. Nec abhorret idioma Gallicum. Tamen fatendum est Hebræorum hoc esse quadantenus proprium, ut honoris excellentiæ atque magnitudinis causâ pluralem numerum adhibeant pro singulari superlativo, cùm superlativo careant. Certè רבב apud illos, non *abundare* modò, sed *magnum esse* significat. Hinc כל apud eos juxta radicem suam, non modò pro *omni*, sed etiam pro *perfecto*, ut & πᾶς apud Græcos accipitur. Atque hinc natum est ut *omne* dicant pro *summo*, ut Psal. 39. v. 6. כל אבל כל אדם *Omnis vanitas*, *omnis homo*, id est, *summa vanitas*. Et 1. Sam. c. 4. v. 8. Deus dicitur Æ-

gyptios percussisse omni plaga in deserto. Cùm tamen in deserto non aliâ plagâ fuerint affecti, quàm quòd fuerunt mari rubro hausti, quæ prodigiosa plaga fuit. Ergo, *omnis plaga summa & extrema* intelligitur. Sic 2. Reg. c. 6. v. 16. quod à viro Dei dicitur, *Ne metuito nam plures sunt qui nobiscum quam qui cum illis.* Idem dicitur 2. Chron. c. 36. v. 7. ab Ezechia, *major est qui nobiscum quàm qui cum illo.* Nam qui dicit, *plures sunt nobiscum*, de uno loquitur Deo, quem opponit multitudini hominum, equorum, & curruum ingruentium, quasi dicat, *Unus Deus pluribus illis plus poterit*, sive, *major erit.* Sic Proverb. c. 9. v. 1. *Sapientiæ*, in plurali, *domum suam ædificavit*, id est, *vera & perfecta sapientia: La souveraine Sapience*, ὁ λόγος, *opposita mundi vanæ sapientiæ.* Sic τὰ ἅγια locus sanctissimus; & כפורים propitiationis dies unus celeberrimus. Sic τὰ σάββατα pro uno de sanctissimo sabbati. Certè LXX. σάββατα σαββάτων reddiderunt, quod est in Hebræo σάββατον σαββάτων; quemadmodum dicimus *Sancta Sanctorum, cæli cælorum*, hoc est, *cælum summum.* Nam vox *cæli* Ecclesiastica, sed parùm Latina est in plurali, undè שמים id duali, modò in singulari per οὐρανὸν, modò id plurali per τοὺς οὐρανοὺς redditur in Novo Testamento, quia Novum Testamentum duale ignorat, non ignotum cæteris autoribus Græcis. Sic Gen. c. 19. v. 11. 2. Reg. c. 6. v. 18. בסנורים *in cæcitatibus*, hoc est, *summa & densissima cæcitate.* Sic *Deus scientiarum*, hoc est, *Deus scientissimus, omniscius.* 1. Sam. c. 2. v. 3. *Deus ultionum*, id est, *severissimus ultor.* Psal. 94. v. 1. & idem David Deum vocat *salutes*, id est, *ejusmodi salutem quæ potior sit omnibus mundi præsidijs.* Et *lætitiæ*, Psal. 45. v 16. pro *ingenti lætitia.* Sic apud Iobum *Behemoth bellua* in plurali vocatur *Elephas, grandis & immanis bestia.* Sic pro *Beatitudine, Beatitudines* Hebræi dicunt; quemadmodum David in limine Canticorum, *Beatitudines viri*, hoc est, *Beatissimus vir.* Nempe hoc vult, *Sibi Legem Domini vicem esse omnium beatitudinum quæ instar & pondus habeat omnium.* Sic Propheta David, Psal. 51. v. 18. postquam dixisset, *Acceptum non habebis sacrificium*, & sacrificia intellexisset legalia, hoc nomine singulari, subjungit, *sacrificia Dei spiritus afflictus*; quasi diceret, *spiritum afflictum pro omnibus sufficere*: nimirùm hoc sibi vult, quod magno paratu sacrificiorum legalium & cæsis mille hostijs quæritur frustrà, sola pœnitentia obtineri, ut hæc una sit instar omnium ac pro omnibus.

In Novo quoque Testamento, nomine multitudinis perfectio designatur, Heb. c. 9. v. 23. Αὐτὰ δὲ τὰ ἐπουράνια κρείττοσι θυσίαις παρὰ ταύτας, *Ipsa*, inquit, *cælestia necesse est sacrificijs præstantioribus purificari*, hoc est, *præstantiori sacrificio, unica & optima Christi hostia quæ fuit verè sacrificium Dei purificans scelus ut pœnitentia*, de qua modò David loquebatur, *sacrificia Dei purificans cor:* hæc una victima cordis Eucha-

ristia Sancta & viva, juxta λατρείαν λογικὴν, Rom. c. 12. ℣. 1. Longè donarijs legalibus antecellit Christi mors. Vnicum sacrificium expiatorium θυσίαι appellatur plurali numero denotante superlativum gradum propter efficaciam & pretium, quo licet unica numerum innumerum legalium Holocaustorum vicit. Sic Heb. c. 11. ℣. 10. Abraham expectâsse dicitur, πόλιν ἔχουσαν θεμελίους, *Civitatem quæ habet fundamenta:* dicitur hoc quidem oppositu papilionum, & tabernaculorum pactilium de quibus commate præcedenti, quæ utpote mobilia fundamento carebant. Sed cur *fundamenta* dixit, non *fundamentum?* cùm tamen unum Ecclesiæ fundamentum sit Christus ex Paulo. Hebræorum ad Hebræos scribens imitatur consuetudinem qui מוסדות libenter dicunt *fundamenta cœli, fundamenta Sionis, terræ,* &c. Christus igitur verè dicitur *fundamenta* oppositu Sionis & montium sanctorum & fundamentorum cœli & terræ, quia ejus fundamentum licet unicum cæteris fundamentis antecellit; quemadmodum idem Christus sacrificia Dei oppositu Legis holocaustorum dicitur. Sic Heb. c. 6. ℣. 2. βαπτισμῶν διδαχὴ, *doctrina baptismorum*, nihil aliud est quàm *doctrina baptismi*: sed plurale adhibetur propter excellentiam, & oppositu baptismorum, sive lotionum Iudaïcarum, quarum ingens numerus erat, sed harum omnium in vicem suffecit baptisma Christus militiæ suæ Sacramentum. Venit enim per aquam & sanguinem, inquit Ioannes, ut omnes umbras legales impleret, & lotiones quæ constabant aqua, & sacrificia quæ sanguine. Habemus & nos sacrificia nostra Eucharistica, habemus & nos lotiones nostras, baptismum. Sic Gal. c. 3. ℣. 16 2. Cor. c. 7. ℣. 1. *Promissiones* vocat Apostolus *unicam salutis promissionem*, quia hæc unica promissio excellentissima legales omnes includit. Sic 2. Pet. c. 3. ℣. 11. ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις *in conversationibus & pietatibus*, ut sola pietas Evangelica designetur, quæ virtutem obtinet exercitijs corporeis adumbratam sub Lege. Sic 1. Pet. c. 1. ℣. 3. πολὺ ἔλεος, *multa misericordia* vocatur, id est, *magna*: & Rom. c. 12. ℣. 1. Paulus hortatur *per misericordias*, διὰ τῶν οἰκτιρμῶν, *Dei*, id est, *summam misericordiam*. Confer Lamentationum c. 3. ℣. 22. Sic promissiones quæ sub Lege multijuga dabantur pro ea promissione, adhibentur quæ simpliciter *promissio* dicitur respectu fidelium sub Novo Testamento. Gal. c. 3. ℣. 16. *Abrahamo datæ fuerunt promissiones*, hoc est, *excellens promissio*. 2. Pet. c. 1. ℣. 4. μέγιστα καὶ τίμια ἐπαγγέλματα, *maxima & pretiosa promissiones*, *unam illam promissionem* significant, de qua David unum postulavit, de qua Dominus ἑνὸς χρεία. Luc. c. 10. ℣. 42. Sic Heb. cap. 11. ℣. 39. Veteres Patres dicuntur non accepisse promissionem, qui tamen promissiones acceperant. Nam Iudæorum erant promissiones & gloria Evangelij, & Spiritus Novi Testamenti κατ' ἐξοχὴν *promissio* dicitur, quam promissionem acceperunt Veteres πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, cùm sub

Evangelio omnia ad unitatem redigantur: ſicut in regno cœlorum omnes in unum conſummabimur. Sic Ezech. c 28. ℣. 10. *mortibus morieris.* Nonnulli de morte duplici temporali & æterna intelligunt, ſed cùm ea vox in plurali etiam adhibeatur à Domino apud Eſaiam, præſtat omnino per *mortes* intelligere mortem unam æternam omnium duriſſimam. Sic & alibi, *altaria* nominantur: & Apoſtolus Rom. cap. 11. verſ. 3. τὰ θυσιαστήρια dixit cùm tamen unicum altare fuerit ad ſignificandum Dei unius cultum, & præſignificandum unum Chriſti ſacrificium ante legem Patriarchæ varia extruxerunt altaria, ſub lege unum fuit in tabernaculo, undè Apoſtolus, Heb. 13. *Nos habemus altare*, inquit, *unum verum*, quia templi altare non minus pretioſum erat illis multis quæ à Patriarchis fuerant poſita, ideò plurali numero deſignatur. Sic Heb. c. 11. ℣. 4. πλείονα θυσίαν ex Hebraïſmo dixit Apoſtolus *majoris pretij ſacrificium.* Nam Hebræis רב non modò πολὺ, ſed etiam μέγα ſignificat: undè Syrus Interpres *plurimam hoſtiam* reddidit barbarè, ut videtur, ſed reverà Latinè, ut ſæpè alibi facit Latiniſſimus Poëtarum,

——— ——— Cui plurimus ignem
Subjecit rubor.

Hoc eſt ingens rubor; Vt alia nunc omittamus.

AXIOMA XXII.

Nominativus abſolutè ponitur.

Barbara videtur locutio in novis præſertim tabulis, quum Nominativus occurrit qui non poteſt cum ijs quæ ſequuntur conſtrui, niſi aliquid incongruum admittatur. Sed ut prophanos auctores omittamus, apud quos videmus nonnulla ſimilis anomaliæ veſtigia. In Veteri Teſtamento id ſolemne eſt. Sic Pſal. 11. ℣. 4. *Dominus in cœlis ſedes ejus.* Et Pſal. 18. ℣. 31. *Deus perfecta via ejus.* Et Eccleſ c. 2. ℣. 14. *Sapiens oculi in capite ejus.* Eſai. c. 11. ℣. 10. *Radix Ieſſe quæ ſtat in vexillum populorum ad illam Gentes requirent.* Et cap. 13. *Populus qui habitat in ea auferetur ab eo iniquitas.* Et ejuſmodi benè multa, quæ nemo non videt ex uſu linguæ ſacræ interpretanda eſſe.

Sic in Novo Teſtamento Act. c. 7. ℣. 40. *Hic Moſes qui nos eduxit ex terra Ægypti, neſcimus quid ei factum ſit.* Epheſ. c. 3. ℣. 11. & 8. conjunctis. *Ego Paulus vinctus, & mihi minimo Sanctorum gratia data eſt.* Et 1. Ioan. c. 2. ℣. 27. *Et vos unctionem quam accepiſtis ab ipſo in vobis manet*, quaſi diceret, *Ad vos quod attinet;* quanquam hic locum habere videtur trajectio hunc in modum, *& unctio quam vos accepiſtis ab ipſo.* Vt & ejuſdem Ioannis Evangelij c. 8. ℣. 45.

Ego verò quia veritatem dico, non creditis mihi. Vbi tamen ἐγὼ absolutè positivum nonnulli arbitrantur pro *ad me quod spectat*, ut ità meliùs opponatur patri mendacij de quo superiùs. Sic Apoc. c. 2. ℣. 26. *Et vincens & servans opera mea usque ad finem, dabo ei potestatem in gentes*, pro, *Vincenti & Servanti*, ex usu Hebræorum. Et ejusdem Apocal. c. 6. ℣. 8. *Sedens super equum nomen ei mors*, pro, *sedenti*. Ne quis jam nimium parùm congruè adhibito nominativo casu offendatur.

AXIOMA XXIII.

Sæpè Constructio ad intellectum refertur.

IN Veteri potissimùm Testamento exempla sunt in quibus videtur σολοικὸς esse oratio, cùm tamen id fiat ex usu linguæ sanctæ, in qua constructiones πρὸς τὸ σημαινόμενον adhibentur, sive id fiat propter aliquam sensus ἰσοδυναμίαν æquipollentiam, sive propter vocem synonimam quæ respiciatur. Sic Gen. c. 3. ℣. 15. vulgata versio, *Ipsa conteret caput tuum*, pro qua tamen pro aris & focis pugnatur, fluxit ex eo quod Interpres vulgatus Irenæum secutus & Cyprianum, reddidisset, *ille conteret*, quemadmodum illi Patres Græcam Lxx. versionem imitantur quæ convertit αὐτὸς cùm tamen semen apud Latinos & apud Græcos pariter σπέρμα neutrius sit non masculini generis. Aliquis igitur sciolus putavit esse solœcum, quando *ipse*, neque ad *semen* potuit referri, neque ad *mulierem*. Itaque *ipsa* rescripsit. Quod Arias Montanus quum prævidisset editionem suam priorem in qua posuerat *ipsa*, posteà anno 1584. emendavit, quod ad gratiam posuerat. Nimirùm Lxx Interpretibus ratio constat, si dicamus eos ad sensum & ad vocem synonimam respexisse, nam & σπόρος masculini generis Græcè dicimus, quam vocem illi dubio procul in animo habuere, in hoc imitati Hebræos quibus id est solemne.

Sic Gen. cap. 2. ℣. 15. *Et collocavit eum in horto ad colendum eum.*] Hîc pronomen ה fœmininum est, cùm גן quod præcessit masculinum sit, sed quia vox est alia synonima fœminini generis hortum significans Hebræis, & unâ tantùm litterâ discrepans, nempe גנה, idcircò affixum fœmininum posuerunt, contra quod Grammaticæ leges postulant. Sic Exod. c. 22. ℣. 25. תשיבנו לו, *restitues eam ipsi*, ubi affixum נו masculinum est per σολοικοφανὲς, nam vox שמלה vestis quæ præcesserat id non patitur, sed referri hoc affixum debet ad alia synonyma vestem significantia, cujusmodi sunt לבוש &c. Sic Iudic. c. 19. ℣. 24. *Educam nunc eas & facite*, להם *ipsis* masculini generis, quanquam enim & alibi, ut Exod. c. 1. ℣. 21. להם pro להן usurpatur, tamen hîc adhibetur genus virile

virile ut aliquid nefandum & obscœnum designetur. Vide Thesaurum Buxtorfi pag. 414. Sic Exod. c. 11. ℣. 6. *Eritque clamor magnus in universa Ægypto, cui sicut ipse non fuit* אשר כמהו, ubi articulus הו masculinum est, cùm צעקה clamor generis sit sequioris; sed intelligitur קול vox, nomen synonimum.

Sic in Novo Testamento Matth. c. 28. ℣. 19. βαπτίζοντες αὐτοὺς cùm τὰ ἔθνη præcesserit, ubi ad sensum juxta quem denotantur homines Ethnici, non ad Grammaticum vocis genus respexit Evangelista. Sic Act. c. 25. ℣. 24. πᾶν τὸ πλῆθος ἐπιβοῶντες, *Omnis multitudo clamantes*; ubi mutatur & genus & numerus, quia respicitur ad sensum, juxta quem homines multi designantur. Nec absimilia occurrunt Act. c. 26. 12. 17. Sic. Zach. c. 5. ℣. 10. Solœcus esse videtur, cùm de mulieribus dicatur, *ipsi hoc facient*. At verò cùm mulieres illæ, de quibus Propheta, fungebantur vice Ministrorum, magis πρὸς τὸ σημαινόμενον quàm πρὸς τὸ λεγόμενον respiciens Propheta dixit, *ipsi*. Sic Ioan. c. 15. ℣. 26. postquam dixit Evangelista τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, adjicit ἐκεῖνος, quanquam vox hæc longè commodius referri possit ad alteram quæ præcessit παράκλητος. Sic Rom. cap. 2. ℣. 26. ἀκροβυστία ponitur αὐτοῦ: adjicitur tamen clarius ejusdem Epistolæ cap. 9. ℣. 23. ἐπὶ σκεύη ἐλέους. ℣. 24. οὓς ἐκάλεσεν. Nec aliter Gal. c. 4. ℣. 19. τεκνία μου οὓς πάλιν ὠδίνω. Et Coloss. c. 2. ℣. 19. κεφαλὴν ἐξ οὗ, ubi manifestè videtur esse solœcismus, cùm tamen ad intellectum Apostolus respexerit, hoc est Christum. Videatur præterea Epistola ad Philemonem ℣. 10. quod ne quis miretur in Sacris. Ità locutus est optimus loquendi magister quum dixit, *Senium qui me remoratus est*, nec-non *ubi est ille scelus qui me perdidit?*

AXIOMA XXIV.

Generis mutatio in Sacris Litteris usitata.

MAgistri Hebræorum observant apud Iosüam cap. 1. ℣. 7. *Non recedes ab eo.* lege ממנו pro ממנה positum esse, non enim aliter nisi ἀκαταλλήλως, & incongruè posset ad vocem תורה quæ vox præcessit referri. Quod ipsum in Masora notatur hoc loco masculinum pro fœminino positum esse, quanquam Kimki contendat Mosem hic esse intelligendum, alij ספר librum. Sic Psal. 45. v. 17. תחת אבתיך יהיו בניך *Loco patrum tuorum erunt filij tui.* Psaltes alloquitur filiam Regis in hac verba, ubi tamen utrumque pronomen masculinum est. Quod cùm ità se habeat minus est mirabile, pro neutro ab Hebræis fœmininum adhiberi, cùm Hebræi neutro careant. Exempla sunt manifesta. Sic Gen. c. 2. v. 18. Vide præterea Num. c. 23. v. 23. Sic Psalm. 118. v. 23. celeberrimus est locus qui redditur à Matth. c. 21. v. 42. *Factum est*

mirabile in oculis nostris: vbi vox fœminina quàm & Propheta & Evangelista posuerunt, licet enim apud Prophetam videatur referri ad אבן vel ad פנה quæ duo sunt fœminini generis, non tamen apud Matthæum ubi λίθος id non petitur, & omninò videtur ex usu Hebræorum αὕτη pro τοῦτο accipiendum; sicut Ioan. c. 17. v. 3. Sic Gen. c. 15. v. 6. *Abraham credidit Deo, & imputavit illam* (fœmininum positum est pro neutro) *ad justitiam*, pro *imputavit illud*, quod innuere videtur Paulus Rom, c. 4. v. 3. *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam.* Nisi respiciatur ad nomen *fidei*, sive *creditionis*. Quod includitur in voce *credidit*, ut sit mens, *Abraham credidit Deo, & imputavit illam*, hoc est, *fidem*, sive *creditionem*. Vt Exod. c. 10. v. 11. *Hanc vos petitis*, pro neutro accipi potest nimirum, *hoc vos petitis*, nisi quis malit *petitionem* intelligere inclusam in petitis, *hanc vos petitis petitionem.* Vt quum Psaltes dicit *Vnum petij à Domino*, in Hebræo est *unam*, pro neutro, vel *unam petij petitionem.* Sic Num. c. 23. v. 20. *Benedixi nec revocabo eam*, pro *illud*, vel *illam benedictionem.* Sic & prophani loquuntur Scriptores: Plinius *de lacte stomacho accommodatissimum caprinum, nam & ipsæ fronde vescuntur;* nimirum *capræ* quæ in voce *caprinum* includuntur. Florus, *Enimverò servilium armorum dedecus fueras, nam & ipsi in bello idonei, ipsi* nempe *servi*, quæ vox in voce *servilium* latet. Sic Aristophanes alicubi, *Vidit anus fici, vendulas & maturas deglutijt*, nempe *ficus*. Homerus, δίκας εὐθεῖα ἢ ἔστω, *recta sit*, nempe, δίκη, quæ vox in præcedenti includitur. Coluphus; ὕπνωσεν ἔστι θανάτῳ συνέμπορος, *dormivit*, vel ut barbarè loquar, *somnijt mortis enim comes est*, nempe *somnus*. Ὕπνος enim in voce ὕπνωσεν includitur. Ità nonnulli volut. Ioan. c. 8. ℣. 44. ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, nè Diabolus habere patrem intelligatur (quæ fuit olim Caïnitarum hæresis, Epiphanio teste) vocem ψεύδους in voce ψεύστης latere ac subintelligi, id est, *Diabolus mendax est & pater ejus*, nempe, *mendacij.* Qui profectò frustrà videntur se torquere, cùm vox ipsa ψεῦδος prope immediatè præcesserit in eodem commate. Fateor intereà, si eò referatur ὁ πατὴρ pleonasmum articuli esse, qualem Attici non admitterent. Scriptura verò minimè respuit, quia minutas istiusmodi præceptiones Grammaticorum aspernatur, rei potius quàm verbis attenta.

AXIOMA XXV.

Veteris Testamenti formulæ usurpantur in Novo.

NOn est dubium quin multi multa referant inter Hebraïsmos, quę sunt linguarum ferè omnium communia. Sed ex adverso non desunt qui temerè N. Test. negant respicere ad Vetus, propterea quod si-

milem loquendi formulam in aliquo Poëta Græco vel Latino deprehendant. Quibus adeò tribuit Vir Celeberrimus ut quia semel aut iterum vox ἀὴρ apud Homerum pro tenebris usurpatur, hinc efficere audeat, quum Diabolus dicitur *Princeps aëris*, sive, *in locis cœlestibus ambulare*, non esse intelligendum de ulla regione ætherea, sed de tenebris inferni. Quod profectò nobis non persuaserit.

Ità Dominus Matth. c. 26. ℣. 29. & Marc. c. 14. ℣. 15 & Luc. c. 22. ℣. 18. *fructum vitis* ideò dixit, quòd apud Iudæos Paterfamilias porrigendo poculum benedictionis diceret, *Benedictus sis, Domine, qui creâsti fructum vitis*. Ad nomen verò ipsum Paschatis videtur omninò Ioannes respexisse: Ioan. cap. 5. v 24. quum illa utitur formula loquendi, *transire à morte ad vitam*. Sic idem Dominus Matth. cap. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum præparatum*, hoc est, *fundatum*, ex Hebræi sermonis caractere; ut 1. Reg. 23. præparare regnum, nihil aliud est quàm fundare, stabilire, radix enim כון utrumque significat. Ità Proverb. c. 8. v. 27. *Quando præparabat cœlos*, id est, *fundabat*, statim enim subjicitur ἐξηγητικῶς, ut in libris Poëticis fieri solet, *Quando æthera formabat sursum*. Et Psal. 24. v. 2. *De terra super maria fundavit eam, & super flumina præparavit eam:* ubi pariter prius Hemistichium explicatur à posteriore. Ità Eph. c. 6. v. 15. *Præparatio Evangelij pacis*, ponitur in pedibus qui corporis fundamenta sunt. Ergo Dominus quum dixit, *Possidete regnum præparatum*, docuit electionem, sive fundamentum salutis præcessisse totius mundi fundationem: adeòque prius Deum electis de regno cœlesti prospexisse, quàm hominibus de Dominio terreno. Ità quoties *accipere Christum* dicimur, hoc est, *in Christum credere*, Interprete Ioan. c. 1. Evangelij; sive *doceri ac discere Christum*, Interprete Paulo, Eph. c. 4. v. 13. videtur alludi ad Cabbalam & Masoram Iudæorum. Vnde vox παραδόσεως Marc. c. 7. v. 5. & *Quod accepi à Domino tradidi vobis*, παρέλαβον ὃ καὶ παρέδωκα, 1. Cor. c. 11. v. 23. & ejusdem Epistolæ c. 15. v. 3. inverso jam ordine παρέδωκα, ὃ καὶ παρέλαβον; ità quum Apostolus 1. Tim. c. 4. v. 13. hortatur Timotheum προσέχειν τῇ ἀναγνώσει, non quamlibet lectionem sed Scripturæ intelligit, quæ מקרא lectio dicebatur nota Iudæis voce, quia sola publicè legebatur, & respectu Lectorum ἀνάγνωσις, γραφὴ Scriptorum respectu dicebatur. Nec aliter apud Iac. c. 2. v. 2. & Heb. c. 10. v. 25. συναγωγὴν καὶ ἐπισυναγωγὴν legimus de cœtu Ecclesiæ, quod cæteri Scriptores Novi Testamenti videntur declinâsse, quum nomen Ἐκκλησίας in locum συναγωγῆς subrogarunt. Sed hi scribentes ad Hebræos ità loquuntur, non sine aliqua [illegible], εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν, inquit Iacobus. ἐπισυναγωγὴν dicit author ad Hebræos: ità quoties Paulus perfectos fideles appellat opposito veterum, non tam respicit τελείους Græcorum apud quos ità vocabantur non initiati, sed visentes mysteria ἐπόπται: non, inquam, eò

tàm respexit Paulus, quàm ad *Gemara Hebræorum*, quæ *perfectionem* sonat. Nec aliter auctor ad Hebræos cap. 1. v. 4. *Angelos* vocat spiritus *ministratores*, quàm ut opponat hoc dictum persuasioni Iudæorum, qui alios faciebant *Dominij*, alios *ministerij Angelos*. Sic & à Paulo *Principes sæculi* vocantur, non Reges aut Dynastæ, sed Magistri ac Doctores, quia ità loquuntur Hebræi, ut ipsa vox רבי indicat quæ *Magistrum* significat; cùm רב notet *magnatem, potentem*. Vide Buxtorfium de Abbreviaturis, pag. 172. Sic ἐπίλυσις *revelatio* redditur à nostris. 1. Pet. cap. 1. v. 20. cùm interpretatio reddatur ab alijs. At nostri eò se se tuentur non tam quòd ἐπήλυσις legendum putent, vicinâ scripturâ, viciniore pronuntiatione, adeóque apto revelationi designandæ vocabulo, quæ propriè dicitur ἐπῆλθεῖν: undè illa exordia non meditata, quæ subitò veniunt in mentem pro re nata, Veteres dixerunt ἐπηλυσίας, & ἀπὸ τ͂ ἀυτοσχεδικῶν distinxerunt à præmeditatis cum animi attentione; quàm quod vox ἐπιλύειν respondeat Hebræo פתר, quæ vox non simpliciter *interpretari* aut *aperire*, sed *velut somnium ex revelatione interpretari* sonat, ut ex Iosephi patet historia, in qua nomenclatura hujusmodi adhibetur; sic *ligare & solvere* idem est quod *vetare & permittere* Magistris Hebræorum. Denique, Paulus, Rom. c. 1. v. 1. se κλητὸν & ἀφωρισμένον vocat, priori voce ad nomen Saulis videtur allusisse, שאול enim Hebræis *petitum, expetitum*, & quasi *vocatum* significat, unde in vocatione Pauli geminato vocabulo *Saulis* Christus utitur. Alterâ voce quâ sese vocat ἀφωρισμένον respexisse videtur non ad nomen pristinum, sed ad sectam Pharisæi, nam licet varij varia sentiant, optimè omnium Pharisæi dicuntur Hebræis פרושים *segregati* quasi Paulus dicat, *Qui Saul Pharisæus hactenus fui, nunc verè sum quod hactenus dicebar, verè Saul à Deo vocatus cœlitus, verè Pharisæus & segregatus ad Evangelium.* Nam quod aiunt nonnulli discrimen esse longè maximum, quod quum Pharisæi separati vocantur, participium non sit, sed nominis instar, quasi *eximios* Latinè dicas. Quum verò Paulus se ἀφωρισμένον vocat, sit participium, quod minimè nominascit à Deo separatum significans, hoc, inquam, non impedit quominus Jucunda sit allusionis in ipsis vocibus quoad sonum & significatum contemplatio, tametsi quoad rem & modum longè latumque discrimen intercedat. Confer Gal. c. 1. v. 1. & Act. c. 13. v. 2.

AXIOMA XXVI.

Pronomen relativum etiam ubi non exprimitur debet intelligi.

NIhil est clarius quàm id in Hebræorum more positum esse, ut Pronomen relativum non exprimant, sed etiam ubi omninò necessarium

est, reticeant suum illud שׁ vel אשׁר ut Deut. c. 32. v. 18. Iob. c. 3. v. 2. Psalm. 22. v. 31. Esai. c. 40. v. 20. & Esai. 42. v. 5. Exod. c. 13. v. 8. Ierem. c. 2. ℣. 8. Psal. 71. ℣. 18. Gen. c. 39. ℣. 4. & alibi sæpissimè In Novo Testamento Ephes. c. 2. ℣. 5. *Gratiâ servati estis*, pro *cujus gratia servati estis.* Iacob. c. 5. ℣. 6. *Interfecistis justum, non resistit vobis*, id est, *qui non resistit vobis.* Sic 1. Pet. c. 4. ℣. 4. & 1. Ioan. c. 3. ℣. 12.

Hîc præterea observandum est conjunctionem interdum pro relativo usurpari, ו vau apud Hebræos, καὶ apud Græcos, ut in libro Ruth, *Et venit ad socrum suam & dicebat*, pro *ad socrum suam quæ dicebat.* & 1. Sam. c. 20. ℣. 2. *Ecce non facit pater meus rem magnam aut parvam & non indicabit mihi*, pro *quam non indicabit.* Sic Exod. c. 10. ℣. 25. *Hostias & Holocausta dabis nobis, & offeramus Domino nostro*, pro *quæ offeramus Domino nostro.* & Psalm. 104. ℣. 8. ubi Chaldæus ad locum illum *quem fundâsti*, ubi זה pro אשׁר ponitur, ut sæpè alibi, velut magistri Hebræorum rectius judicant, desideratur omninò & subauditur per ellipsin relativum אשׁר.

Sic in Novo Testamento Matth. c. 10. ℣. 17. *Tradent vos in Synedria & in suis Synagogis flagellabunt vos*, hoc est, *Synedria illa quibus trademini suis in Synagogis flagellabunt vos.* Sic Eph. cap. 5. ℣. 5. τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ, conjunctio pro relativo ponitur, hoc est, *Christi qui Deus est:* & Epist. ad Tit. c. 2. ℣. 13. Clariùs verò Matth. 26. *Appropinquat hora & filius hominis tradetur*, id est, *quâ filius hominis*, &c. Sic 2. Timoth. c. 4. ℣. 18. *& liberabit me Dominus*, καὶ σώσει, vult Interpres venerabilis pro *qui liberabit*, esse positum, quanquam id necesse non videtur. Sed alia exempla idem suppeditat Beza in hunc locum. Sic apud Matthæum *Spiritu Sancto & igne*, id est, *qui est ignis.* Quanquam interdum additur à Græcis ubi desideratur apud Hebræos, ut in Act. *Lapis quem reprobârunt ædificantes*, relativum *quem* desideratur Psal. 118. ℣. 22. Nihil igitur vetat quominus ex usu Veteris & Novi Testamenti, Apoc. 1. 5. 6. ubi videtur solœcismus esse manifestus τῷ ἀγαπήσαντι, καὶ λούσαντι, καὶ ἐποίησεν αὐτῷ ἡ δόξα, dicamus καὶ positum esse pro ὃς, vel omninò subintelligi debere hunc in modum ὃς καὶ ἐποίησεν, ut nulla jam salebra relinquatur. Simili ratione tollitur difficultas præcedentis commatis ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς, ut sit mens, ὃς ὁ μάρτυς, ὁ πιστὸς, *qui est fidelis ille testis*, relativo subaudito; nisi quis malit locum ità constituere, ut verba illa καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ non incipiant novum, sed absolvant præcedens comma. Tunc enim ea quæ sequuntur verbo præsertim substantivo *est* subintellecto fundant planam liquidamque sententiam.

AXIOMA XXVII.

Adjectivum quod sequitur Substantiva duo, rectè cum alterutro construi potest.

OBservatio est à magistris Iudæorum tradita præsertim à Kimkio, nempe quum duobus substantivis ad idem pertinentibus adjectivum subijcitur, posse adjectivum ad utrumlibet substantivorum referri. Sic Psalm. 119. ℣. 82. in versione Græca Ἐξέλιπον οἱ ὀφθαλμοί μυ λέγοντες, id est, λέγοντος, *dicentis*, Consule prætereà Deut. c. 28. ℣. 5. & c. 29. ℣. 21. & 1. Sam. c. 2. ℣. 4. 1. Reg. c. 17. ℣. 16. Gen. c. 4. ℣. 10. In Novo Testamento Ioan. c. 21. ℣. 12. οὐδεὶς τῶν μαθητῶν εἰδότες; & 1. Ioan. cap 4. ℣. 3. Clarissimè verò Apocalyp. c. 8. ℣. 9. *& mortua est tertia pars creaturarum quæ erant in mari habentes animas*, nam illud τὰ ἔχοντα ψυχὰς refertur ad τὸ τρίτον, quod est collectivum, non autem ad τῶν κτισμάτων, quò pertinere videbatur. Nec aliter verba institutionis Eucharistiæ interpretanda sunt apud Lucam c. 22. ℣. 20. quæ verba Interpretes multùm habuerunt exercitos, quia τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον ad vocem. αἵματι pertinere quoad sensum videtur, cùm tamen eò salvâ verborum structurâ referri nequeat. Sed præter alios quos modò memoravimus, ipse Lucas alibi hoc loquendi genere utitur c. 5. ℣. 9. ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ᾗ συνέλαβον, *super captura piscium quam*, id est, *quos ceperant*: & fortè c. 1. ℣. 7. Clariùs c. 9. ℣. 53. Τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἱερουσαλήμ, *facies e us iens*, pro *euntis*, ut jam exigua sit eo loco difficultas, ubi τὸ ἐκχυνόμενον construitur cum τὸ ποτήριον, sed referendum est ad αἵματι quod effundendum erat, nam præsens pro paulò pòst futuro sæpè ponitur. Quid si dicamus τὸ ἐκχυνόμενον reddi debere ὃ ἐκχύνεται ut articulus pro relativo adhibeatur. Quid si τὸ pro τοῦτο dicamus positum. Suspicatur quidem doctissimus Annotator hæc verba τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον ex ora in textum irrepsisse, nimiâ scioli alicujus diligentiâ, ut hæc respondeant ijs quæ præcesserant τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. Qua in re præibit Hieronymus qui Paulum solœcismos sustinuit scribere: Lucas autem longe magis Græcè loquitur quanquam Hebraïsmis non careat. Cujusmodi Maldonatus ipse complures observavit. Præstat igitur observare ὑποσολοικὸν sine σολοικόφανες purgari posse duplici modo. Primò si dicamus, nominativum absolutè positum esse, quod Hebræis familiare qui casus non variant sicut Græci & Romani, sed præpositionibus duntaxat, vel ijs quas serviles appellant, litteris distinguunt ferè ut Galli, undè nominativo tanquam indeclinabili, loco genitivi, dativi, &c. utuntur. Vide suprà Axioma XXII. Ergò, hìc erit ἐκχυνόμενον pro ἐκχυνομένῳ, nempe nominativum pro

dativo. Exempla sunt hujusmodi alia in Novo Testamento; Apocalyp. c. 1. ỷ. 5. & Ioan. c. 1. ỷ. 14. Parenthesis enim quæ solet adhiberi morosior videtur. Nec-non Eph. c. 3. ỷ. 18. ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι, qui nominativus absolutè ponitur, neque cum sequentibus nisi durius construi potest, nisi quis dicere malit Lucam non ad sua Græca, sed ad Syriaca Domini verba, quæ in mente habuit respexisse, adeóque tanti fecisse, ut suam ijs constructionem accommodârit, non suis. Participium autem Syriacum cui respondet Græcum ἐκχυνόμενον, per omnes casus idem est, quod est Syris cum Chaldæis & Hebræis commune, ut eadem sit in omnibus casibus terminatio. Verùm si quis pertendat Lucam perpetuò Græcanici sermonis fuisse studiosum, ἀντίπτωσις esto, non solœcismus, figura quâ casus pro casu ponitur non insolens in Sacris, neque nova in prophanis Auctoribus Homero, Pindaro, Thucidide, Cicerone ipso, quorum verba reddemus alibi, dum animi sui cogitata magis quàm orationis stilum sequuntur. Secundò, alterâ viâ ingredi tutò possumus, dicendo verba hæc, διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μοῦ posita esse pro ijs quæ sunt apud alios Euangelistas, quæ verba solemnia videntur fuisse Prophetis à quibus mutuatus est Christus, eorum implens umbram τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, quibus Lucæ verba διαθήκη ἐν τῷ αἵματι æquipollent, atque cum ijs converti debent, quia magis propria sunt. Non enim aliud quidquam sibi voluit Lucas, *Testamentum in sanguine*, quàm alij Evangelistæ quum dixerunt, *hic est sanguis Testamenti*, quemadmodum dixerat, *hoc est corpus*: ità consentaneum fuit eum dicere de vino, *hoc est sanguis*. Quod & Lucas intellexit, & cum intellectu suo magis quàm cum verbis quæ inverterat, conjunxit. Quæ res effecit, ut generoso spiritu Basilius, τῷ ἐκχυνομένῳ in dativo apud Lucam legere & exponere non dubitârit, nè dubium & anceps relinquatur utrum hoc participium ad sanguinem referri debeat, an verò ad poculum. Quod posterius admitti nequit sine tropo duriori quem frustrà mitigant, qui in hoc argumento figuras & tropos ad ravim usque reijciunt.

AXIOMA XXVIII.

Scriptura pro ratione subjectæ materiæ mutat idiomata.

NEc tantùm Hebręos imitantur Sacri Scriptores, verùm etiam Chaldęos, quemadmodum Hebręi, tum ad Chaldęos deflectunt ut Daniel, tum ad Arabas, ut libri Iobi stylum Arabicis dictionibus mixtum Hieronymus docet; adeóque ad Ægyptios interdum occasione datâ. Sic Psalm. *2.* ỷ. *12.* נשקו־בר *osculamini Filium*, בר voce Chaldaïca Propheta usus videtur consultò, quia hortatus Christi & Ecclesiæ hostes quales fuere Assyrij & Chaldæi, qui posteà Iudæos bello sunt

adorti, quæ tamen vox בר eodem ſignificatu extat apud Eſdram & apud Salomonem in Proverb. c. 31. ℣. 2. Mirum intereà Chaldæum Paraphraſten קבלו אלפנא Lxx. Interpretes δράξασθε παιδείας, pleroſque Patres, *apprehendite diſciplinam*, vertiſſe. Nam quę ratio interpretationis à verbis tam aliena? Quod & Lutherus fatetur qui tamen eam retinuit; *Noſtra*, inquit, *tranſlatio ad verbum nihil eſt, ad ſenſum propriiſſima ſi conjectu a locus.* Ioſephus, cœcus ille, Paraphraſεως author נשגר pro נשקו legit, quorum prius *apprehendite*, poſterius *oſculamini* ſignificat. Nec ſenſus multum diſcrepat. Aquila καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς, deducit enim à ברה *elegit.* Symmachus προσκυνήσατε καθαρῶς, quem ſequitur Hieronymus *adorate purè*, deduxerunt enim ברר *purgavit:* quanquam Hieronymus alibi aliter. Quæ omnia Eraſmus barbari ſermonis labyrinthum vocat. Alij, *adorate electum*, quod Calvino non diſplicet. Alij denique, *adorate triticum*, & ad εὐχαριστίας Sacramentum referunt; quod eſt penitùs abſonum. Accedit quod hæc vox בר poſt reditum à captivitate Babylonica Iudęis omninò familiaris fuerit. Sic Zacharias & Zorobabel בר Salathiel dicuntur Eſdræ 5. & in Novo Teſtamento, *Simon Bar-Iona, Bar-Ieſu, Bartholomæus & Bartimæus*, id eſt, *filius Timæi*, &c.

In Novo Teſtamento Ioannes varios etiam Chaldaïſmos admiſcet, qualis eſt appellatio τοῦ λόγου quæ propria Ioannis eſt. non enim apud ullum ex cæteris reperitur: hauſta eſt ex Chaldaïca paraphraſi. Nec aliter idem θάνατον appellat *peſtem*, Apoc. c. 6. ℣. 8. ad inſtar Lxx Interpretum qui vocem Hebræam דבר non ubique λοιμὸν, ſed interdum θάνατον reddidêre, Exod. c. 9. ℣. 3. & 2. Sam. c. 24. ℣. 13. Nec aliter Syrus Paraphraſtes reddit, Matth. c. 24. ℣. 7 quod æmulatus videtur Cyprianus, quum eximium de peſte libellum, *de mortalitate* inſcripſit. Ioannes igitur quum *gladium, famem*, & *mortem* dixit, per *mortem*, juxta Chaldæos & Syros *peſtem* intellexit. Occurrunt quoque vocabula nonnulla Hebraïca, quæ non Hebraïcam ſed Chaldaïcam ſortiuntur ſignificationem in libris captivitatis, apud quos crebri reperiuntur Chaldaiſmi. Sic tametſi מלך ſit Hebræis *regnare*, tamen apud Nehemiam c. 5. ℣. 7 *conſilium inire* ſignificat ex uſu Chaldaïco, planè ut in Syriaca paraphraſi Ioan. c. 18. ℣. 14. Nec alia cauſa dici poteſt, cur Lxx. interdum tam procul ab Hebræo iverint, quàm quòd Hebræa ex Chaldaïco ſignificatu interpretari malint. Sic Eſai. c 53. ℣. 10. & *Dominus noluit conterere ipſum*, Lxx. καθάρισαι αὐτὸν. Sic Pſal. 51. ℣. 6. *ut juſtificeris in ſermone tuo*, cùm in Hebręo ità verba ſonent, *& purus ſis quum judicas.* Lxx καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε, id eſt, *vincas quum judicaris.* Quos ſequutus eſt etiam Paulus Rom. c. 3. ℣. 4. eodem planè ſenſu, cùm ille qui ſe juſtificat in judicio cauſæ, ſuperior evadat & vincat. Quod interdum & Interpreti vulgato contigit, ut Ierem. c. 50. ℣. 21. vox

מרתים

מרותים cùm in Hebræo significet *rebellantium*, posuit *ad terram Dominantium*: respexit ad Chaldaïcam vocem, ubi מרא Dominum significat, undè מרן אתא *Maranatha: Dominus venit.*

AXIOMA XXIX.

Scriptura Sacra breviloquio delectatur.

MAgistri Hebręorum dicerent, *Scriptura capit viam brevitatis.* Vndè difficultas interdum nascitur, idque varijs modis contingit, interdum per ellipsin contrarij, cujus rei exemplum extat luculentum, 1. Tim. c. 4. ℣. 3. Κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, pro *κωλυόντων γαμεῖν, καὶ κελευόντων ἀπέχεσθαι βρωμάτων*, ut est apud Epiphanium, non discrepante Syro. Sic apud Florum, *Non volo dimitti, verum cruciari fame.* Tacitus de Germanis, *Cibos & hortamina gestant,* cùm *hortamina* non gestentur. Homerus, *Cibum & vinum edentes.* Sic apud quemdam, *vini cibique abstemius*, cùm *abstemius* ὑδροπότης tantùm dicatur: Attamen Isidorus dicit apud Paulum legendum esse *αὐτέχεσθαι*, pro *ἀπέχεσθαι* loco prędicto. Verùm hanc sententiam refellunt Græci Patres, & contendunt hoc atticè dictum, atque ità convertunt, *κωλυόντων ἀπέχεσθαι*, id est, *κωλυόντων μὴ ἐσθίειν*, quod benè dicitur *vetantes nè comedant.* Reverà ità fert usus Græcæ Gallicæque linguæ ut negatio redundet: cujus rei Scriptura non unum exemplum suppeditat, Luc. c. 20. ℣. 27. Οἱ *ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι*, cùm sufficeret alterutrum, vel, *ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν εἶναι*, vel, *οἱ λέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι*. Et Luc. cap. 22. ℣. 34. & Ioan. c. 2. ℣. 22. Sed an atticè dicatur quæri potest? Aristoteles enim vocavit solœcismum affine loquendi genus, ut si loquendo de sono & colore dicas, te utrumque vidisse. Non absimiliter locutus est Paulus 1. Tim. c. 2. ℣. 12. *Non permitto docere mulierem, sed silere*, nimirùm *jubeo.* Sic 1. Cor. c. 3. ℣. 2. Γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα, *Lacte vos potavi non cibo,* quasi etiam *cibo potaremur.* Sic apud Matthęum, *Nolite objicere pretiosum canibus, neque margaritas porcis, nè conversi vos dilanient*, quod est proprium canum non porcorum: est igitur ellipsis vocis *proculcandi*, aut *polluendi*, quod est porcorum. Nec absimile loquendi genus est apud Ioannem, *Venient Romani & tollent & urbem & gentem.* Sic verbum פתח Hebręis *aperire*, simul & *solvere* significat; quemadmodum Latinè dicimus, *difficultatem solvere & aperire*, similitudine ab epistolis desumptâ, quæ cùm ligatæ sint, clausæ sunt, & soluto sigillo aperiuntur. Ità Luc. c. 1. ℣. 64. Quod nè quis miretur nimium in Sacris, occurrit idem sæpiùs in Prophanis, & apud Virgilium alicubi.

Hoc ipsum in Veteri Testamento sæpè occurrit ut in illis verbis,

Inclina animum meum ad verbum tuum, non verò ad turpe lucrum. Non necesse est ut vox *inclinandi*, ἀπὸ τ̃ κοινῦ, repetita eodem sensu accipiatur, potest enim sensus esse, non verò ad turpe lucrum patere inclinari. Sic 2. Reg. cap. 15. ṽ. 27. verbum *accipere*, significat etiam *emere*, nimirùm respectu vestium *accipere*, respectu olivetorum *emere*, ut rectè Hieronimus convertit. Sic Psal. 121. ṽ. 6. apud Græcos Interpretes, *Per diem Sol non te uret, neque Luna per noctem*, ubi contrarium potiùs supplendum est, *te frigefaciet* planè, ut summus Poëtarum alicubi in Georgic. Sic Psal. 65. ṽ. 7. *Transivimus per aquam & ignem, & adducti sumus in refrigerium aquæ*, quæ postrema vox *refrigerij* non respondet igni, sed aquæ. Ad quem locum notant Magistri per *ignem* fornacem Babylonicam, & per *aquam* Mare Rubrum intelligi; quanquam *refrigerium* pro *consolatione* latiùs usurpetur, etiam in Evangelio.

AXIOMA XXX.

Vox una interdum gemino sensu prægnat.

PErgimus in eadem breviloquiorum observatione, undè fit etiam ut non tantùm vox eadem repetita, sed etiam semel posita, pro ut refertur ad diversa diversum sensum sortiatur. Sic 1. Sam. 17. ṽ. 22. הכלים *vasa* & *sarcinam* significat & *impedimenta bellica*. Sic loco nobili Gen. c. 3. ṽ. 15. *Et tu conteres ei calcaneum:* reddit Hieronymus, *& tu insidiaberis ejus calcaneo*, deceptus fortè versione LXX. in qua τηρήσεις observabis pro τρίψεις *conteres* legebatur; Vox autem ישופך utrumque significatum obtinet. Sic Gen. c. 21. ṽ. 9. *Ut vidit Sara*, מצחק *ludentem Ismaëlem*, quia vox צחק etiam *persequi* & *vexare* significat. Ideò Paulus Gal. c. 4. ṽ. 29. vertit per verbum διώκειν. Sic Mal. ultimo cap. versu penultimo יום יהוה הנורא, *Dies Domini horribilis ac tremendus*, vel alia significatione, *illustris ac augustus*, nam utrumque vox illa significat. Sic παράκλησις modò pro *consolatione*, modò pro *hortatione*, interdum pro utroque sumitur. Sic vox *propitiatorij* pro *integumento*, quia כפר utrumque significat. Sic διαθήκη modò *fœdus*, modò *testamentum*. Sic εἰς νῖκος, vel *in æternum*, vel *in victoriam*, vel utrumque. Respondet enim Hebræorum נצח. Sic ἐξουσία Ioan. c. 1. ṽ. 12. & *jus* & *dignitatem*. Sic apud Paulum dicitur, *Judicium Dei incipere à domo sua:* omninò breviloquium est, quantumvis enim filios etiam suos judicet, hoc tamen judicium longè discrepat ab illo quo in malos animadvertit, nec potest dici ejusdem judicij continuatio: sensus est igitur; Deus, primò, castigat suos, deindè, perdit alios; quod ipsum nonnulli observant. Ioan. c. 16. ṽ. 8. 9. 10. ibi enim vox ἐλέγξει,

convincet, ſicut & vox *mundi*, partim ad malos refertur, qui convincentur de peccato, partim ad fideles, qui convincentur de juſtitia. Sic 1. Pet. c. 4. ℣. 6. *Prædicatus mortuis Chriſtus* dicitur, ut alij quidem judicentur carne, alij verò vivant ſpiritu; quo loco patet vocem *mortuorum*, ad diverſa referri, & diverſa ſignificare.

AXIOMA XXXI.

Mutato ſtatu rei, nomen retinetur priſtinum.

COmmune hoc eſt linguis & populis propemodum omnibus, ut rei mutationem, non continuò ſequatur nominis mutatio, ſed antiquum nomen obtineat, quamvis jam rei non conveniat. Sic Eſai. 1. Hieroſolyma dicitur urbs *plena judicij*, quia jam olim talis fuerat, etiamſi quum Propheta loquebatur, talis eſſe deſierat, & Thren. cap. 1. eadem urbs *plena populo* dicitur, quia talis ante captivitatem erat. Neque tantùm hoc Hebræis eſt ſolemne, ut res nomen illud retineat quod paulò ante habuerat, & *virgo* eſſe dicatur quæ nuper eſſe deſijt, ſed etiam commune alijs idiomatibus. Nam ſicut Ioël. 1. legimus, *Plange ſicut virgo accincta ſuper virum pubertatis ſuæ.* Quod de innupta intelligi non poteſt. Ità ſummus Poëtarum de Paſiphaë tauro ſubdita dixit, *Ah virgo infœlix!* Terentius de puella, *imminuta virgo illachrymans.* Nec aliter apud nos, *Domus Epiſcopi* vocatur, quæ jam carcer: & Sanctorum templa, licet uni Chriſto jam ſacrata fuerunt, antehac Petro, Gervaſio *&c.* Adeóque difficile eſt populum à conſuetudine quæ multùm inveteravit abducere. Nam ut Philoſophi loquuntur, hęc omnia in ſenſu diviſo, non in ſenſu compoſito debent intelligi; ut quum Sacra Scriptura dicit, *Cœcos videre, claudos ambulare*, hoc eſt, *qui cœci & claudi fuerant.* Matth. cap. 11. v. 5. & Matth. c. 26. v. 6. *Simon leproſus* dicitur qui talis fuerat, & alibi *Gentes* dicuntur, licet jam converſi & Chriſtiani. Sic Rom. c. 5. v. 19. Deus dicitur *juſtificare impium*, quod objectivè, ut iterùm philoſophicè loquamur, non terminativè, intelligendum eſt, objectum enim juſtificationis eſt impius, non verò terminus. Sic 2. Theſſ. 2. Antichriſtus dicitur *ſedere in Templo Dei.* Neque tantùm ſtatu mutato, ſed etiam materiâ mutatâ, ut quum *arundinem* vocamus *fiſtulam & inſtrumenta muſica*, licet è ligno & æëre conflata, *tibiam & cornu*, quia nempe olim ex tali materia fieri ſolebant. Sic *teſtudinem* & כלים vocamus *lyram*, & *conchas* omnia vaſa supernè aperta; & *libros* dicimus, qui non jam ex cortice arborum delibratarum fiunt: & *volumina* quæ non amplius volvuntur: & *ſtylum* pro *calamo* uſurpamus.

Neque modò mutato ſtatu & materiâ, ſed etiam mutatâ rerum ſpe-

cie, ut *congiarium*, quia congius vini olim dabatur: & *salarium*, quia salis mensura: eadem enim appellatio manet quæ obtinuit priùs, licet jam disconveniat. Sic *Talentum* dicitur quod propter incusum characterem tanti æstimatur in minori pondere, quantum in majori æstimabatur Talentum. Vndè non aliter Davidis corona Talentum dicitur pendere, hoc est, ejus pretium, non pondus, nimirum propter gemmas. Nec obstat quod ejus pondus *auri talentum dicitur*; nam quod olim pendebatur, quamvis jam numeremus, pendere tamen dicimus: undè pensiones & dispendia vocamus, nam verbum olim receptum retinetur, etiamsi mos exoleverit.

Non igitur mirum quod Sacra Scriptura, cujus character idioticus est & popularis, urbem Hierosolymorum *Sanctam Civitatem* vocet, etiam quum erat flagitijs cooperta;&*plenam judicij*,quum esset plena injustitiæ; ideóque *plenam populi*, quum esset vacua, quia talis anteà fuerat. Sicut 2. Reg. 3. locus tunc aridus, quia torrens fuerat, tunc etiam *torrens* dicitur. Sic 1. Tim. c. 3. ℣. 16. *mysterium pietatis* dicitur, non modò quod ab homine animali comprehendi nequeat, propter cæcitatem ipsius; neque modò quod à fidelibus ipsis perfectè in hoc sæculo comprehendi nequeat propter sublimitatem suam, sed etiam quia sub lege mysterium illud verè *mysterium* fuit, licet nunc mysterium non videatur, utpote quod jam revelatum sit, non absconditum. Conferatur Eph. c. 3. ℣. 4. ubi mysterium illud anteà ignotum, nunc revelatum dicitur. Et 1. Cor. 2. sapientia latere in mysterio abscondita dicitur præcedentium sęculorum respectu, quia fuit abscondita sub Lege, quæ nunc palam innotuit sub Evangelio, quod ne quis addubitet, sequentia docent ℣. 7. quam dicit absconditam, Deus ante sęcula prędestinavit ad nostri gloriam, nam gloria hîc non est æterna vita, sed lux Evangelij, uno verbo, *Sapientiam in mysterio absconditam* vocat, quæ talis olim fuerat, cujus tamen revelatione, Deus Evangelij tempora glorificare atque illustrare decreverat. Sic Coloss. cap. 2. ℣. 3. in Christo dicuntur esse *omnes thesauri Sapientiæ atque cognitionis absconditi*, non tam quod absconditi sint in Christo, ut interpretari solet, quàm quòd absconditi olim fuerint; nunc proponantur in Christo levato velo, & in clarissima luce pateant. Confer Coloss. cap. 1. ℣. 26. 27. Hęc enim collatio vix dubitandi locum relinquit illum. Mysterium igitur Evangelij doctrina dicitur, non tantùm quod homini naturali sit cognitu impossibilis, nec tantùm quòd etiam fideles in ænigmate ac per speculum videant, adeóque quòd nunquam ità visuri sumus Deum, quin aliqua ex parte absconditus dici possit propter naturæ nostræ modum, divinæque infinitatem; verùm etiam idque potissimùm, quia mysterium hoc tacitum retrò sęculis fuerat, & sub Lege velatum, & Iudęis ferè incompertum; ideóq; dicitur absconditum, licet aperta jam luce sit revelatum.

Sic Heb. cap. 2. ℣. 5. Vbi Deus dicitur non subjecisse Angelis mundum futurum, non intelligenda est vita æterna, sicut à plerisque intelligitur, ut sit mirum sagacissimos alioquin viros ità sensisse. Primò enim, auctor disertè dicit, *Mundum futurum de quo loquimur*: nullus autem loquitur de vita æterna, ut patebit perlegenti caput. Secundò, quia Christum opponit Angelis, ut patet ex ℣. 8. & 9. *Omnia subjecisti pedibus ejus, coronasti eum gloria & honore.* At hęc subjectio quâ Ecclesia subest Christo mediatori locum in vita æterna non habebit, nam ipse tum subijcietur uni Deo, & ei regnum tradet, 1. Cor. 15. Tertiò, quia pręcesserat mentio Evangelij Legi oppositi, quòd Lex ab Angelis esset lata, Evangelium ab ipso Domino prędicatum, cujus rei ratio subijcitur; non enim Angelis subjecit mundum futurum de quo loquimur, cùm in tota Legis administratione locum potissimum Angeli tenuissent, in Evangelio verò Christus qui anteà veluti latuerat, Ecclesiæ suæ regnum occupavit. Mundus igitur Ecclesia Christiana est, quæ nomen antiquum retinet, nam tametsi pręsens tunc temporis erat non futura, tamen sic etiam esse dicitur, quia sic olim à Iudęis vocabatur Ecclesia sub Messia futura. Sęcula enim duo Iudęi sicut duos mundos faciebant, quorum alterum vocabant עולם הזה *sæculum hoc*, sive *præsens*, quo Messiam expectabant. Alterum עולם הבה *sæculum futurum*, sive *mundum futurum*, quem *dies Messiæ*, aliter vocabant, ut patet ex eorum Commentarijs. Vnde Apostolus hoc eloquium *sæculi venturi*, sive *mundi futuri*, ut alia benè multa dexterrimè adscripsit Ecclesiæ Christianæ, ut Messiam venisse jam ostendat Iudęis, & quem vocant mundum futurum jam pręsentem esse.

Sic Heb. c. 6. ℣. 5. *Gustaverint virtutes sæculi futuri.*] Si *αἱ δυνάμεις* referantur ad primitias æternæ vitæ, fatemur sensum fore luculentum. Si tamen expendatur accuratius vox *δυνάμεις* quę propria Evangelij est, vix autem ad vitam æternam designandam adhibetur. Licet interdum hac voce novi hominis virtus videatur intelligi, crebriùs multò de miraculis ac donis extraordinarijs, quę sub Evangelio viguerunt, accipitur. Conferatur Heb. c. 2. ℣. 4. hîc ergo per futurum sęculum commodissimè intelligamus, *Tempus Evangelij* sive *dies Messiæ*, quos Iudęi *futuros* vocabant.

AXIOMA XXXII.

Sicut Gratia, legalibus; ità Gloria cœlestis, terrestribus figuris designatur.

SI Deus homini divina & cœlestia, divinis & cœlestibus verbis aperiret, non possent ab homine intelligi; quanquam fortè nullus est sermo qui majestati eorum respondeat, nè Angelicus quidem. Itaque

tum propter infirmitatem nostram, tum propter altitudinem rerum ipsarum Deus verba nostra mutuatur. Primò, in gratia sua depingenda, ideò potissimè loquendi formulas à Lege desumpsit, quòd Iudęis Evangelium primò prędicaretur, quodque tota illa dispensatio veteris Legis non alium in finem collimaret, quàm ut res Evangelij, quibusdam veluti symbolis præsignificaret. Quod Petrus docuit clarissimè 1. Epist. 1. 10. 12. quum Prophetis revelatum esse scribit eos non sibi sed nobis administrâsse, quę nobis nunc per Evangelistas nuntiantur.

Sic 1. Pet. c. 2. ✝. 9. Christianos dicit esse *genus electum, regale Sacerdotium*, populum εἰς περιποίησιν, hoc est סגלה, Hebraïcè *populum acquisitionis*, sive *pretiosum*, quia nihil pretiosius habemus quàm quod magni constat & multo labore acquiritur. Quę omnia vocabula propria erant Israëlitici populi, quę nunc Apostolus, postquam degeneravit à fide prisca, eripit ingrato populo, ut Christianos induat qui rem ipsam sortiuntur, cujus nomen inane Iudęi jactant. Sic *Templi* nomen & quidquid in templo veteri fuit admirabile, novo templo & Ecclesiæ Christianæ Apostoli tribuunt; ut quum Paulus ad Timotheum scribens ait Ecclesiam Dei esse *domum Dei*, hoc est *Templum*, & esse *columnam & fulcrum veritatis*, respiciendo ad illam columnam regiam quę in templo erat, de qua nos alibi egimus. Sic nos habere *nostrum Altare*, ait Apostolus ad Hebr. c. 13. ✝. 10. *Habemus*, inquit, *Altare ex quo vesci non licet ijs qui Tabernaculo serviunt*: nimirum in veteri Lege, Levitę quidam inferiores non vescebantur ex altari, quales ait nunc esse illos qui Iudaismum retinent, prę illis qui Christianam pietatem amplectuntur. Nam hi omnes regium Sacerdotium constituunt: alij versantur in tyrocinio Levitarum infimo. Sic *Legis* nomen Evangelio tribuitur, nè quid supersit Iudęis venerabile, quod non in Evangelium competere Apostoli doceant. Sic *Legem Spiritus vitæ*, Paulus Evangelium vocat Rom. c. 8. ✝. 2. quod patet ex sequenti versu, *Nam quod erat impossibile Legi cùm viribus esset destituta per carnem, Deus suo ipsius filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ idque pro peccato, condemnavit peccatum in carnem.* Iacobus, *Regiam Legem & Libertatis*, cap. 2. 8. 12. nempe Dei Legem non judicis, ut erat Lex Mosaïca, sed Regis & supremæ potestatis, ut est Evangelium, in quo Deus non judicat mundum ex Legum edictis & sanctionibus ritu judiciario, sed supra Legem veluti ascendens, ritu regio absolvit, & condemnat pro mero voluntatis benè placito quod εὐδοκία vocatur. Sic Evangelium ipsum *Lex fidei vocatur*, cùm tamen fides opponatur Legi, sed id fit per μίμησιν quandam, ut quod frustrà quæritur in Lege, sola fide obtineri doceamur, quæ omnia eò pertinent, ut intelligamus Evangelium fuisse Legis complementum.

Verùm quia non Iudęi modò sed & Gentes ad vitam æternam vo-

candi erant, idcircò gloria cœlestis & vita æterna, non modò legalibus, verùm etiam terrestribus figuris adhibetur, quæ non Iudæis propriæ fuerunt, sed communes omnium Gentium. Sic ubi per convivium in Apocalyp. describitur æterna vita, simulachrum est ubique notum, cùm apud quosvis homines convivia soleant agitari ad significandum solemne gaudium. Quò pertinet illud Lucæ 16. 19. 20. *&c.* Vbi Lazarus dicitur sublatus ab Angelis in sinum Abrahæ, & paulò-pòst ẏ. 23. visus ab Epulone in sinu ejusdem. Quamvis enim hunc locum alij aliter interpretentur, nihil tamen est proclivius quàm ad ritum referamus conviviorum in quibus Veteres ità solebant accumbere, ut alter in alterius sinum caput suum reclinaret; Tertullianus lib. de Idolol. cap. 15. *Lazarus apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, alternas bonorum & malorum vices æmula retributione compensat.* Et in carminibus adversus Marcionem, lib. 4.

——Abrahæ sinus ille vocatur
Altior à tenebris longè semotus ab igne.
Sub terra tamen, &c.

Vndè nonnulli efficiunt illum Patrem Latinorum penè antiquissimum existimâsse Abrahamum in loco subterraneo fuisse. Primò, quia inferos memorat, sed quis nescit vocem *inferorum* apud Patres Latinos, non pro tartaro, sed pro statu mortuorum in universum accipi. Deinde, quia in carminibus, suprà citatis idem ferè repetit, dicit enim sinum illum Abrahæ esse sub terra. Sed viri docti volunt illa carmina Hypobolymæa Tertullianum auctorem non habuisse. Augustinus non minùs anceps hîc quàm in quæstione de propagatione animæ, modò enim hęsitat non affirmat, modò ait sinum illum nihil aliud esse quàm secretam & remotam sedem quietis, & ideò Abrahæ dictum, non quod ipsius tantùm sit, sed quod ipse pater multarum gentium sit positus. Sicut Deum Abrahami, Isaaci, Iacobi se Deus vocari voluit, cùm sit innumerabilium Deus. Quibus ex verbis patet Augustinum intellexisse sinum Abrahæ non carnaliter, quòd velut in sinum tunicæ Abrahami levatus sit pauper, ut ipse loquitur, sed quòd in sinu Dei Abraham recumberet, & pauper in sinu Abrahami, hoc est, in eodem sinu cum Abrahamo. Quam sententiam videntur esse secuti, qui sinum illum nihil aliud fuisse putant quàm promissionem Abrahamo factam, *Ego clypeus tuus sum & merces tua magna multùm.* Nam, quòd alij existimant, sinum hîc intelligi à mari desumptâ metaphora, nam & κόλπος Græcis sinus est maritimus Hesychius κόλπος, κοῖλος, τόπος παραθαλάττιος; quam in sententia fuit Gregorius Nyssenus, fuerunt & alij, tametsi pręclarum præbet sensum, & ex hujus mundi tempestatibus, in illum veluti sinum subducamur, nisi quòd *sinus & statio malè fida carinis*, ut loquitur Poëta, non ità benè cœlum dicitur, meliùs enim *portus* diceretur: adeò ta-

men alienum est à scopo Domini, ut mirum sit hoc viris magnis in mentem venisse. Omninò rectiùs qui metaphoram dixere à parentibus desumptam. Pater enim credentium fuit Abrahamus, cujus in sinum, hoc est, suavissimum complexum colliguntur, qui ejusdem cum eo fidei, fructum percipiunt, sicut filij conveniunt in sinum Patris, quum vesperâ ab operibus divinis domi congregantur. Nondum tamen videtur tota difficultas expedita, quam longè gravissimam fatetur Augustinus, lib. 8. de Genes. cap. 4. ad litteram, quomodo intelligenda sit *illa plaga inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa sedes refrigerij*, vix fortasse à mansuetè quærentibus, à contentiosè non certantibus, nunquam invenitur. Omittimus quod vir Hebræarum rerum peritissimus tradit à sententia Lutheri parùm abludens, pios dici dormire in Scriptura, dum mortui sunt, & quiescunt à laboribus suis: nusquam autem potuit quiescere & dormire quàm in gremio aut in sinu sui patris Abrahæ. Nam, primò, dormire dicuntur corpora non animæ: deinde Lazari dormientis idæa non fuisset apta diviti percellendo; denique scopo Domini parùm conveniret.

Optimè venabimur hujus loci sensum si respiciamus ad locum similem Matth. cap. 8. ℣. 11. & ante omnia statuamus instructissimi convivij formâ vitam æternam exhiberi. Confer Esai. c. 25. ℣. 6. 7. 8. cum Apoc. c. 7. ℣. 17. & c. 21. ℣. 4. Quod simulacrum convivij retinuit Paraphrastes Chaldæus in Eccles. c. 9. ℣. 19. sed præter Veteris Testamenti consuetudinem, Novum quoque simili metaphora utitur, ut patet ex parabolis de prandio, de cœna, de nuptijs. Illud verò præ cæteris observandum est dixisse Dominum apud Matthæum, ab Oriente & Occidente venturos esse multos & accubituros cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cœlorum. Neque modò apud Matthæum, sed apud ipsum Lucam c. 22. ℣. 30. ubi dicit Dominus discipulis fore ut edant & bibant ad mensam suam, sedeantque in solijs judicantes duodecim tribus Israëlis: & observandum est eum id ipsum dixisse occasione sacræ Cœnæ anteà institutæ, ortæque de præsidentia inter discipulos controversiæ, quibus de se Dominus exemplum dedit, *Qui recumbit*, inquit, *major est ministrante, ego ipse sum in medio vestri ut ministrans. Olim non ità erit, nam & ego recumbam & vos in sinu meo.* Nec aliter ejusdem Lucæ cap. 14. ℣. 15. convivij à Pharisæo instituti occasione abutitur Dominus ut doceat non esse accumbendum εἰς τὴν πρωτοκλισίαν; & ℣. 15. aliquis συνανακειμένων dixit, *Beatus qui manducat panem in regno Dei.* Adde quod in Evangelio Ioannes *reclinâsse caput* dicitur *in sinum Domini*, hoc est, *mensæ prope eum accumbere*. Quid igitur proclivius est quàm ut dicatur Lazarum fuisse Abrahamo, quod Ioannes Domino fuit, sed in cœlesti convivio, cùm præsertim Matthæus dixerit, *multos accubituros cum Abrahamo*, sed inter multos illos Lazarus accubuerit juxta illum,

illum, & in sinu ejus præcipuâ quâdam fœlicitate constitutus.

At præter loca Scripturæ rationes accedunt. Primò enim, à Chrysostomo rectissimè observatum, ideò in sinum Abrahæ potius quàm Iacobi, aut alius cujusdam delatum fuisse Lazarum, quod Abraham in vita sua hospitalitatis fuisset studiosissimus, quod omninò consentaneum est cum interpretatione nostra, quæ Abrahamum pauperem hunc & mendicum velut hospitio suo excipientem facit. Secundò, ipsa parabolæ continuatio id ipsum admonere potuit. Nam quid est oportunius quàm ut inhospitalitati Epulonis divitis opponatur ex adverso divitis Abrahami, sed boni divitis hospitalitas? Postquam enim dixit Dominus divitem quendam struxisse splendidum convivium à quo Lazarus repulsus fuerat, mutatis eorum vicibus, ait Dominus, fore ut in convivio cœlesti Lazarus præcellentem locum obtineat. Denique, totius loci oppositio id ipsum commonstrat. Primò enim, Lazarus dicitur ad portam exteriorem jacuisse cum canibus, fore autem Dominus ait, ut aliquando non eijciatur foras, sed intimum obtineat sinum Abrahæ cum Angelis: contrà verò Epulo præmatur in inferis ἀπὸ μακρόθεν, cùm inter eum & Lazarum non essent modò atria, portæ, sed χάσμα μέγα. Quò respiciunt etiam quæ sequuntur, νῦν δὲ παρακαλεῖται, σὺ δὲ ὀδυνᾶσαι, *Hic consolationem accipit*, vel fortè meliùs, *Huic supplicationes fiunt*, *hic rogatur*, nam id est, παρακαλεῖσθαι Græcis, quemadmodum Cyprianus reddidit, quasi dicat, *Lazarus olim torquebatur, tu nunc torqueris: Ille olim tibi supplicabat, nunc tu ei supplicas.* Et ut ante recitavimus ex Tertulliano, *Lazarus alternas malorum & bonorum vices æmulâ retributione compensabat.*

Ex hac autem interpretatione quâ Lazarum in convivio cœlesti recubuisse dicimus, ἐν τοῖς κόλποις Abrahæ, hoc est, in sinu intimo, sicut ἐν ἡμέραις pro die unico, nisi quis ex ordine hujus πρωτοκλισίας varios in æterna gloria gradus velit efficere, patet omninò nihil planè proficere hunc locum limbo Patrum vel infantium confirmando. Nam quod ex illa voragine quæ μέγα χάσμα dicitur, concludunt nonnulli & Lazari & Abrahami, & mali divitis animam in eadem voragine fuisse, corruit, si nostra hęc interpretatio locum habeat. Vndè Matth. 22. post mentionem illius accubitus & convivij cœlestis additur alios eijciendos, εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, similitudine à cœna solemni desumptâ; in qua intus laquearia luminibus collucent, & noctem flammis funalia vincunt, sed extra nihil est nisi noctis caligo, nempe quidquid extra regnum cœlorum erit, ubi lux æterna fulgebit, tenebræ erunt. Sed de hoc loco satis.

Sic ipsa *gloriæ* vox depromitur ex usu sæculi, non sine respectu ad usum Hebræorum & consuetudinem Veteris Testamenti: cùm enim homines cupidine gloriæ ducantur, plerumque, ut inquit ille, atque in ea suum summum bonum constituant, adeòque non modò dignitatibus,

verùm etiam divitijs & formâ corporis glorientur & superbiant. Scriptura non modò has imagines huc & illuc dispersit, quia thesauros æternam fœlicitatem vocat, eique gemmas, diademata, coronas attribuit & fluvium deliciarum, ut homines ad admirationem illarum rerum adducat, veramque fœlicitatem ostendat, quæ sola satiat appetitum atque tranquillat. Sicut enim famelicus cibum quemvis appetit & arripit mordicùs, itá homo animal gloriæ & fœlicitatis cupidum, ut vocat Tertullianus, fœlicitatis umbras & gloriæ, quas vel in honoribus, vel in opibus, vel in voluptatibus intuetur, latrante veluti appetitu consectatur, quarum rerum corpus in sola gloria cœlesti reperit, ideóque gloria vocatur, ut hoc uno nomine triplex illud bonum comprehendatur pro divisione Philosophorum, qui omne boni genus partiti sunt in hæc tria, veluti juga honesti, utilis, jucundi; quanquam omninò commodior fuisset quadripartita divisio, cùm bonum honestum ambiguum sit, neque modò vanos honores complectatur τὸ καλὸν, sed etiam decus virtutis, & insitam dignitatem, quæ multùm discrepant. Sed hæc alibi. *Gloria* igitur & pro dignitatibus usurpatur, sive pro honesto bono, unde Iudas Apostolus *Magistratus* vocavit *glorias* versu 8. & pro *divitijs & facultatibus*; nempe consequens pro antecedente ponitur, ut sæpè aliàs, quia divitijs homines gloriantur, ut filij Laban, *Cui relinquis gloriam tuam*, hoc est, divitias & bona utilia. Quo significatu Esaias quoque adhibuit nomen *gloriæ*. Quò etiam Paulus respexisse videtur. quum *divitias gloriæ* memoravit, hoc est, *excellentes divitias*, Eph. c. 3. ℣. 16. ac demùm. Tertiò, *gloria* pro *pulchritudine* ac *specie amabili* usurpatur, ut *gloria carnis, gloria sjderum, gloria liliorum*, hoc est, splendor insignis & lux magnifica, quæ pulchritudinis speciem facit, nam pulchritudo in lumine consistit. Itá Psal. 45. sponsa dicitur *gloriosa intus*, hoc est, *pulchra*: & ad Eph. cap. 5. ℣. 27. *Ecclesia gloriosa*, hoc est, *formosa*; ut ex sequentibus patet, *sine ruga, sine macula*. Atque hinc factum est ut *gloria* creberrimè designet æternam fœlicitatem, interdùm hoc triplici respectu, quia omne genus bonorum complectitur; interdùm hoc aut illo pro ratione locorum. Sic ubi fideles dicuntur *Sessuri super thronos, & judicaturi mundum, & recturi, sive pasturi, vel fracturi virgâ ferreâ suos inimicos veluti figulina vasa, sicut ipse Christus hoc jus accepit à Patre*. Apoc. c. 2. ℣. 27. (qui locus conferri debet cum Psalmo 2. ℣. 9.) non possunt hæc intelligi propriè, quia officium mediatorium describunt, quod officium creaturæ non minùs est incommunicabile quàm ipsa Diuinitas. Quid ergo? nempe (quod novi cujusdam axiomatis instar erit.)

AXIOMA XXXIII.

Solet Scriptura sub illarum rerum imagine, quæ primæ vel præcipuæ in suo genere sunt aut existimantur, fœlicitatem æternam nobis exhibere.

NIhil est in terra pulchrius horto arboribus consito, cujusmodi fuit Eden; itaque vita æterna *Paradisus* vocatur, quæ vox eo sensu in Veteri Testamento non occurrit, sicut neque vox Gehenna, teste Hieronymo, quæ tamen duæ voces in Targum Hierosolymitano reperiuntur, Gen. c. 3. ℣. 24. ubi Paradisus, sive Eden, Gehennæ opponitur, diciturque Deus paràsse Paradisum & Gehennam. Similia sunt *Mammona* pro *divitijs*, *debitum* pro *peccato*, *Regnum cœlorum*, pro *Evangelio*; quod Scriptura Novi Testamenti non mutuatur ab Hebræo, sed à Chaldæo. Nunc è diverticulo redeamus in viam; nihil est in cœlo Sole pulchrius, itaque justi, ità beati fore ut luceant sicut Sol dicuntur. Nihil erat in Iudaïca politia majus regno; nihil est in Ecclesia Iudaïca gloriosius sacerdotio: itaque fideles dicuntur hoc utrumque munus in cœlis obituri cum Christo, Apoc. 1. Vnde Regale Sacerdotium à Petro dicimur, utpote participaturi hæc cælestia munia, quorum duntaxat fructum percepturi sumus, non certè magis quàm vel hortum aliquem, vel solis imperium, & alternas vices administraturi. Denique, cùm nihil esset in rerum natura, in terra nihil, nihil in cœlo, nihil in republica, vel Ecclesia Iudaïca, quod satisfaceret gloriæ cœlesti repræsentandæ, cùm prætereà veneratio illa, quam regnum Iudæ ad sacerdotium Leviticum obtinuerat, paulatim obolesceret, Spiritus Sanctus imagines hujus rei sublimiores quæsivit in Ecclesia Christiana in qua Christus altera manu, *Paradisi novi cultor, Sol justitiæ oriens germinans ex alto, Rex mundi, summus in æternum Ecclesiæ Sacerdos*, potitur summa dignitate supra ipsos Angelos, cui dignitati fidelium dignitas comparatur, non quod in consortium vocentur muneris, verùm quod eorum quoque gloria summa futura sit, quasi diceret, *Quod Paradisus est in terra, quod Sol in mundo, quod Rex in populo, quod Sacerdos in templo, quod ipse Christus in Ecclesia, id vos eritis in cœlo*, hoc est, *gloria summa perfruemini, cui adumbrandæ nihil est in Ecclesia, vel in mundo tam excelsum quod non adhiberi queat.* Cave igitur nè intelligas vel sanctos Iudices futuros, & quasi assessores Christi, vel hostes suos instar Christi virgâ ferreâ, hoc est, potentiâ infinitâ, confracturos. Hęc enim omnia sunt quæ non certè magis quàm divinæ virtutes in hominem cadunt. Sed sicut Beati non transibunt in arbores, neque in Solem, neque coronas imponent capiti, neque palmas gestabunt in manibus, ne-

in templo Deo fervient diu ac noctu ritu facerdotali, quanquam hæc hæc omnia repræfentamina Spiritus Sanctus adhibuit; ità neque virgam ferream geftabunt, neque judicium exercebunt veluti Chrifti Collegæ, fed fummâ perfruentur gloriâ, qualis propemodum fi foles effent totidem, totidemque mediatores, licet unus mediator & unus Chriftus, non fecus ac fol unus, & folus in æternum effe debet.

AXIOMA XXXIV.

Multa Scripturæ loca piè magis quàm verè aliò detorqueri, quàm fcopus auctorum patitur.

NOn pauca funt hujufmodi loca quibus abutuntur, feu veteris Ecclefiæ doctores, feu hodierni tractatores, non quidem perperàm fed tamen longè aliter quàm fert fcopus auctorum ex quibus loca depromunt, five id faciant imprudentes, & παθόντες ἀνθρώπινον, five id faciant alludentes, ut quum prudentes, ea trahunt ad cœleftem gloriam quæ de Evangelio dicuntur, aut ex adverfo. Vt fi quis nobilem locum, *Vbi cadaver ibi congregabuntur aquilæ*, in quo Dominus de judicio extremo loquitur, detorqueat ad facram fynaxim, ubi fideles congregantur circa mortui Chrifti corpus, quo fefe pafcunt & fanguine potant, veluti totidem aquilæ. Intereà virum Dei non decet, fic ejufmodi loca fuo aptare inftituto, ut ignoret aliorfum refpexiffe auctorem undè promuntur. Pauca damus exempla, etfi innumera fint loca quæ allegoricè explicantur.

Apud Ezechiel c. 9. ℣. 4. *Signa* תו *fuper frontes virorum gementium.* Solent hîc non ineptè philofophari tum recentes tum vetuftiores, ac de littera ת mirificè commentari Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Ambrofius, Ifidorus qui, cum Theodotione ת litteram intelligi putant. Origenes refert fefe Hebræos interrogâffe fuper hoc loco, an aliquid patrium haberent quod docerent circa תו Ezechielis. Quidam eorum refpondit ת poftremum effe ex 22. Hebraïcis elementis, & eos repręfentare qui perfectam Legis fcientiam haberent, atque ex Scriptura fenfum prævaricationum. Alter verò refpondit ת fymbolum effe eorum, qui Legem fervaverant, quia Lex apud Hebræos תורה vocatur, cujus vocis primum elementum eft ת. Verùm hæ duæ opiniones conjungi poffent, ut ת fignum effet perfectionis quatenus eft poftrema littera, ut ω Græcorum finem & confummationem notat, & perfectionem Legis, quatenus Lex ab ea littera incipit apud Hebræos, ut initium in voce תורה complementum in Alphabeti ferie fignificet. Atque ità tota Lex à capite ad calcem, à principio ad finem, impleta dicatur. Sed redeamus ad Origenem. Tertius quidam, inquit,

Iudæorum qui in Christum salvatorem crediderunt, respondit litteram ת similem haberi servatoris characteri, atque figuræ, & prædici signum crucis. Quæ propè omnia repetit Hieronymus ad Ezech. sed Origene indicto; adeóque addit nonnihil quod cum illius tertij sententia congruit, nimirum in antiquis Hebræorum litteris, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extremam litteram ת crucis habere similitudinem, quæ Hieronymi opinio confirmatur ex veteri siclo Hebræorum, in quo Hebræorum litteræ litteris Græcorum non sunt absimiles, & apud Græcos τ crucis imaginem refert, quod non semel Tertullianus observavit. Nec aspernanda eorum sententia est, qui teste Hieronymo existimant per extremam Alphabeti litteram demonstrari in multitudine peccantium reliquias superesse sanctorum. Quæ interpretatio nisi subtilior videatur, scopo Ezechielis præ cæteris erit idonea. Omitto quod ait Isidorus qui subtilitate omnibus antecellit hoc in negotio, *τ littera*, inquit, *300. valet Græcis, in qua quia spes salutis ostenditur, non immeritò cum 300. viris quibus Abraham & Gedeon superárunt hostiles exercitus*, &c. Omitto quod aiunt alij Neoterici, apud Ægyptios litteram τ fuisse symbolum vitæ, Θ mortis, teste Ascanio, quod volunt Ægyptios ex Hebræis hausisse, apud quos littera ת propter similitudinem crucis vitæ æternæ hieroglyphicum esset. Nos existimamus alias rationes illius Ægyptiaci emblematis reddi posse, quæ nihil cum cruce commune habeant. Simplicissimum est locum explicare de signo in genere, *Signa signum super frontes & pone signum*, sicut Lxx. reddunt. Nec aliter Symmachus, Aquila, Chrysostomus, Augustinus. Nempe vox Hebræa תו reddi potest *signum* à radice תוה: *figare*. Iob. cap. 3. ℣.15. תוי *signum meum*, *scopus meus*, (ubi Chaldæus & vulgatus Interpres, *desiderium* transtulerunt, quasi esset pro תאותי) eadem illa vox de qua loquimur pro *signo, petitione, scriptura*, vel *brevario* usurpatur. Quod hîc mirificè congruit, supra enim loquebatur Ezechiel de atramentario scriptoris. Nunc autem jubet signum sive scripturam imprimi frontibus, ut opus non fuerit multùm philosophari de littera ת. Ac primò quidem, quòd ea sit consuetudo scripturarum quæ nihil indulgent curiositati, res ipsas, non circunstantias inutiles, & supervacaneas edocere, ac præsertim quum de signis agitur: sive per signa intelligamus miracula eventum aliquem præsignificantia, sive litterarum in frontibus inscriptionem. Sic Gen. c. 4. ℣.15. dicitur Dominus impressisse *signum fronti Caïni*. Sed quale fuerit hoc signum non edocetur. Et apud Esaïam quum Achas petijt signum, non indulsit ei Dominus quale petebat portentum, sed aperuit ei doctrinam salutarem. *Ecce Virgo pariet*, &c. Quæ tamen doctrina portenti illius quod petebat instar esse debuit, extingui & funditùs deleri non posse domum Davidis, quod incredulus ille in animum induxerat; ex quâ domo Davidis necessariò nasciturus erat Mes-

ſias, juxta Dei oracula. Ergo quàm certò naſciturus, tàm certò conſervanda illa domus erat, ut ſua Dei promiſſionibus fides conſtaret. Sic Matth. c. 24. ℣. 30. quum Diſcipuli rogarent Chriſtum ſignum aliquod adventus ſui verſu 3. reſpondet Dominus ℣. 30. *Tunc apparebit ſignum filij hominis*; quod ſignum nimis multi de cruce non ſecus ac litteram ת interpretantur. Aiunt ſacrum fore vexillum quod præcedet Chriſtum Imperatorem in die judicij. Sed valdè falluntur, nam & ibi ſignum illud nos Dominus celare voluit, qui ſemper à curioſitate nos avocat, *Quum hæc omnia contingent*, inquit, *apparebit ſignum filij hominis*, quaſi dicat, *fruſtrà ſignum petitis quod nullum erit quale optatis, Dominus enim ſuperveniet ut noctu latro.* Attamen quum veniet maniſeſtiſſima præſentiæ ſuæ ſigna dabit, non antequam veniat. Sic Iudæis petentibus ſignum à cœlo, non aliquod ſignum à cœlo indulſit Dominus, qualia legem decebat fulgura, tonitrua, cùm Evangelium comitari deberent miracula benigniora & conſentanea cum Chriſti humilitate & Evangelica doctrina, cujuſmodi ſunt, *multiplicare panes, ægros ſanare, mortuos ſuſcitare*, &c. Quæ miracula ſunt non terribilia, ſed utilia. Quid ergo? Pro ſigno adducit reſurrectionem ſuam, & adeò non indulget Iudæorum curioſitati ut petentibus è cœlo ſignum, ſignum è terræ corde concedat, *Sicut*, inquit, *Ionas triduum in ventre Balenæ manſit, ità filius hominis in terræ corde.* Adeò nunquam Scriptura curioſitati morigeratur. Secundò, non ſit veriſimile crucis ipſam effigiem in Veteri Teſtamento fuiſſe deſignatam, ubi omnia ſub velo latebant, nec tam ex circunſtantijs, aut forma, aut idæa ſupplicij, quàm ex ipſis rebus ac fructibus paſſio Chriſti paſſim deſcribitur, ut Eſai. 53. ubi non videmus *præſepe* non *crucem* deſignari, cùm tamen paſſionis apertiſſima deſcriptio ac propemodùm Evangelica adhibeatur. Tertiò, quia locus hic Ezechielis lumen accipit ex Apoc. c. 7. ℣. 3. æmulatur enim Ioannes Theologus Ezechielem Prophetam, ut alibi ſæpè, quum ait, *Nolite nocere terræ, mari, & arboribus, donec ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.* Quæ verba ſunt Angeli habentis Dei vivi ſigillum. Verùm hîc de littera ת, vel aliquo ſigno ſingulari mentio nulla. Quod ſi quid ejuſmodi Ezechiel tradidiſſet, proculdubio id Ioannes expreſſiſſet, qui non abhorret ab iſtiuſmodi elementorum ſymbolis, ut quum Chriſtum vocat Α & Ω. Quidni igitur pro ת Hebræorum Ω Græcorum ſubſtituiſſet? Ac demùm Apoc. c. 13. ℣. 16. & c. 14. ℣. 1. duo memorantur characteres, alter ſectatorum Beſtiæ impreſſus in eorum frontibus & manibus, ut in duos veluti ordines diſtribuantur. Alij enim palàm ſunt Infideles, & ſeſe profitentur cives Babylonis, atque cultores Idolorum qui ſignum Beſtiæ geſtant in frontibus. Alij fideles videri volunt, & in Eccleſia verſantur, ſed improbâ & ſceleratâ vitâ veritatem in injuſtitia detinent, & ore profeſſi ſe noſcere Deum,

factis negant: hi signum Bestiæ gestant in manibus. Alter character est sectatorum Agni, qui habent nomen ejus, & nomen Patris ejus inscriptum in frontibus suis. Quemadmodum igitur signum Bestiæ non memoratur aliquod singulare, ità nec Dei & Agni: aut si memoratur aliquod non est littera ת, sed nomen Dei æterni, hoc est, vera utriusque cognitio.

Sic Esai, cap. 28. ℣. 21. Deus dicitur, *facturus opus extraneum*, *opus alienum*. Quod Interpretes optimi sic accipiunt, ut misericordia Deo proprium opus & naturale, & veluti suum existimetur, justitiæ verò exercitium opus alienum à Dei natura; quò minùs delectatur: juxtà id quod habetur in Threnis Ieremiæ, *Deum libenter non affligere filios hominum*; quæ commentatio non est improbanda. Quamvis enim Deus peræquè sit misericors ac justus: misericordia tamen supra esse omnia ejus opera, & supra judicium veluti triumphare à Iacobo dicitur, & passim quasi Regina divinarum virtutum celebratur: justitia verò sic memoratur, quasi Deo minùs placeat, *Nolo*, inquit, *mortem peccatoris*, *sed ut convertatur & vivat*. Sicut Princeps licet justissimus, clementia tamen uti præoptat, nec nisi ægrè ac invitus ad edendum exempla justitiæ sese comparat. Hujus autem rei ratio hæc est, quòd Deus quum ex misericordia convertit, & vita æterna remuneratur, non modò remuneratione gratuita gaudet, sed etiam conversione; quum verò æterna morte plectit peccatorem, gaudet quidem justa illa pœna ac vindicta, non autem peccato. Non igitur quærit materiam justitiæ; non creat: cùm tamen concupiscat, & faciat misericordiæ objectum & materiam. Si tamen paulò diligentius respiciamus ad Hebraica vocabula, & sensum Esaïæ, planè inveniemus, *opus alienum*, *opus extraneum*, nihil aliud esse quàm *opus mirabile*, *opus incredibile*; sicut Nostrates *étrange*; vel quod à Deo in populum suum non aliter quàm in alienigenas & extraneos editur.

Sic apud Danielem loco multùm vexato, *Abrumpe peccata tua eleemosynis*. Quem locum vulgata editio ità converterat, *Redime peccata tua*, unde meritum operum & satisfactio existere videbatur. Interpretum orthodoxorum plerique omnes contendunt פרק, quæ vox est in Chaldæo, esse propriè *abrumpere*. Atque hinc sensum valde bonum excudunt, nempe *interrumpe seriem peccatorum tuorum, & in posterum, operam da bonis operibus & eleemosynis*. Attamen si rem diligentius pensitemus, non esse aspernandam hîc nec interdum alibi vulgatæ illius editionis interpretationem videbimus, quippe vox פרק apud Syros in forma aliqua redimere significat, qua ex voce altera derivatur, quæ ἀντὶ τοῦ λύτρου usurpatur. Itaque nihil vetat quin, *Redime peccata tua*, reddamus cum sincerissimo Interprete.

AXIOMA XXXV.

Scriptura sæpè non tam rei veritatem quærit, quàm opinionem vulgi sequitur.

QVod alicubi Pausanias dixit de scriptoribus ævi sui, *Non omnia ad historiæ fidem commemorant, sed vulgatæ opinioni à qua discedere multò difficillimum est, serviunt.* Idipsum quanquam longè aliter de scriptoribus etiam sacris usurpare liceat: nec enim res describunt perpetuò uti sunt, sed prout apparent. Nimirùm sacra Scriptura tota scripta est sermone & idiomate populari non τεχνολογικῷ, ut sæpè loquatur ex vulgi consuetudine, adeóque condonet ei multa quæ longè aliter se habent, quia nihil faciunt ad summam rei, vel quia eorum doctrina exactior magis obesset quàm prodesset.

Sic in Vetere Testamento Luna vocatur luminare magnum, quod in scientia syderali versati homines non admittunt, sed quia sic apparet, vel quia sic à vulgo creditur, nisi fortè præstat ob splendorem ac efficaciam summam, quibus dotibus uni soli concedit, eam luminare magnum vocari. Sic Gen 3. Diabolus vocatur *serpens*, propterea quòd in forma serpentis apparuit, & quia satanæ os erat, ut loquitur Augustinus: & Gen. 32. Antagonista Iacobi nomine *viri*, vocatur qui Deus erat, quia in forma hominis luctabatur: & Daniel 9. Gabriel Angelus itidem appellatur *vir*, quòd speciem viri præferret. Nec aliter Esai. 15. *cœli summitas*, pro finibus terræ accipitur: & Matth. 24. electi congregandi dicuntur, *A summitatibus cœlorum usque ad terminos eorum*, id est, à terræ finibus; nempe quia Hemisphærium esse cœlum vulgò existimatur, quasi Horizon terræ. Nec aliter *vir senex* à Pythonissa productus vocatur *Samuel*, nimirùm propter exteriorem speciem.

Sic in Novo Testamento apud Lucam c. 18. ℣. 9. justi Pharisæi vocantur, non quia hoc erant, sed quia se hoc esse arbitrabantur, ut Augustinus loquitur: & Matth. 5. *minima præcepta* dicuntur, quæ maxima, utpote divina sunt, quia pro talibus habebantur. Sic 2. Cor. c. 4. ℣. 4. *Satanas deus hujus sæculi* appellatur, & est alibi *Venter deus*, & *Idolum deus* etiam vocatur, ut Esai. 44. nempe ex hominum opinione, ferè ut Poëta, *Sua unicuique Deus fit ira, libido.* Sic & Astronomi recentiores, qui cœlum stare immotum, terram perpetua vertigine torqueri statuunt plausibili sententiâ, nisi Scriptura penitus refragaretur, quoties ex clarissimis ejus locis urgentur, nihil quicquam respondent commodiùs, quàm Scripturam non ex professo tractantem res astronomicas, non ex rei veritate, sed ex opinione hominum loqui, apud quos pridem veteravit opinio, terram ponderibus libratam suis quiescere,

ſcere, cœlum autem indeſinenti motu rotari. Sed hoc illi viderint.

AXIOMA XXXVI.

Diabolus eſt Dei ſimia.

NIhil eſt proclivius priſcę auctores hiſtoriæ cum cura verſantibus, quàm obſervare nihil admodùm illuſtre fuiſſe à Deo in Scriptura proditum, quod non ſit à Diabolo Deum ſimulante ſuis in ſuperſtitionibus adumbratum, ſive nomina Dei, ſive myſteria Scripturæ, ſive oracula, ſive miracula reſpexeris.

Sic unum Deum, quia regere atque complecti omnia Scriptura docuit, à ſuis cultoribus Diabolus vocari voluit Pan & Apollon, quorum alterum omnimodam perfectionem, alterum deſignat unitatem: eſt enim Apollon *ſolitudinis* nomen, ſicut Pan ***univerſitatis.*** Vnus Deus in myſterijs Apollon intelligitur κατὰ στέρησιν τῶν πολλῶν, inquit Clemens Alexandrinus. Hinc vox illa de qua Plutarchus libello *De defectu Oraculorum; Magnus Pan mortuus eſt*, regnante Tiberio, ***cum Dæmonum omnium horrendo gemitu;*** ſicut Thamus Ægyptius narraverat, qui audierat. Quo nimirùm tempore, vel *Deum*, vel *Naturam* pati dixerunt: nempe Dei filius, quum Dominus noſter mortem obijt, unicus ille qui eſt omnia in omnibus. Sic ex eo quod יהוה נסי *Dominus vexillum meum*, in Scriptura dicitur, volunt viri docti Διόνυσον, quaſi *Iovem,* vel *Iehovam Nyſium*, Bacchum ab Ethnicis vocari, & ex אדוני *Adonæum* & ex אלוה *Elaham* factum eſſe. Docet etiam vetus Mythologia. ***Sacerdotem alium qui Rex idem hominum & Dei Sacerdos erat***, ex Doripe genuiſſe tres Oenotropas, nimirùm Oeno, Spermo, & Elaïdem, quibus Bacchus id conceſſit, ut quoties allubeſceret, & pro ſuis nominibus; 1. Vinum; 2. Semina; 3. Oleum obtineret. auctor Heſychius, atq: alij. Quæ profectò fabula reſpexit ad primitias vini, frumenti & olei, quę dabantur Sacerdoti Num. c. 18. v. 12. Deut. c. 18. v. 4. Quod ſi quis Bacchi fabulam cum hiſtoria Moſis conferat, conſimilia multa utrobique inveniet: Bacchus enim & in Ægypto natus à nonnullis perhibetur, & ſtatim arcę incluſus, & aquis creditus fingitur, *Bimater*, planè ut Moſes qui veluti duplicem ſortitus eſt matrem, unam Iſraëlitidem, alteram verò filiam Pharaönis. Idem Bacchus & forma bona fuiſſe dicitur, & in Arabia educatus, & bello Dux, & ad bellum fœminas duxiſſe. Vetuſtiſſimus Poëtarum Orpheus Bacchum vocat *Miſem*, quaſi *Moſem* dixeris. Quod ne quis putet ſubtilius, obſtat, quod idem Orpheus eundem Bacchum vocat θεσμοφόρον, ***legiferum,*** eique δίπλακα θεσμὸν tribuit, quaſi duplicis legis tabulas, adeóque vocat *Bicornem*, quomodo jam in vulgus notum eſt Moſem pingi ſolere, propter locum Exod. cap. 34.

℣. 39. perperàm intellectum ob sanctę linguæ imperitiam. Angues etiam observantur in mysterijs Bacchi serpenti æreo respondentes. Canem quoque ipsi indivisum addunt, sicut Mosi Caleb fuit, quę vox Caleb Hebraïcè *canem sonat*, quod ipsum cernere est in furore illo Poëtico, quem sibi Poëtę, (quorum optimi Prophetarum tempore vixerunt, ac divinorum oraculorum interpolatores fuerunt) vulgò attribuunt, qui raptus ac furor extasim propheticam æmulatur. Aiunt enim,

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:
Sedibus athereis Spiritus ille venit.

Idem est quod suis in Dramatis, quoties dignus vindice nodus incidit, occurrentem faciunt aliquem Deum è machina, & interesse qui difficultatem fabulę alioquin perplexę expediat. Quis non videt hîc imitari historię Isaaci, ὡς ἀπὸ μηχανῆς liberati inimitamentum. Nec aliunde prodijt illa de Achille nisi talo invulnerabili fabula, quàm quod inaudierant serpentem semini mulieris nonnisi talum appetiturum. Hinc illa sacrificiorum cura usque adeò anxia, ut homines etiam vivos dijs, ipso teste Cęsare, & filios eorum ex vano stupore & furore idololatrico immolarent, comam quoque tonderent quam fluvijs dedicabant, teste Plutarcho, in libello quem publicavit Mosacus; id verò quid aliud est quàm Nazaręorum æmulatio. Hinc etiam profectum est quod falsa numina sua Poëtę fingunt apparere solita circumfusa nube, quę vocatur ἀΐδης, Hesychio teste, unde vox ᾅδης videtur emanâsse, nimirùm hanc illis cogitationem atque artificium dæmon indidit, ut nubem illam Dei gloriæ æmularetur. Hunc* in sensum referri oracula sybillina possunt & alia, de quibus viri summi Vossius & Bochartus fusè disseruerunt.

AXIOMA XXXVII.

Linguarum ignorantia mater errorum.

Dici non potest quantas nebulas offuderit Scripturarum intelligentiæ, Sanctæ, Græcęque linguarum ignorantia, vel neglectio. Classem facilè duxerint, qui, teste Hieronymo, pro יהוה olim legere πιπι nimirùm pro ה Hebræorum, propter affinitatem scripturæ Π Græcorum legebant, & י & ו geminum ἰῶτα, hoc modo יהוה, ΠΙΠΙ. Vnde ab Hieronymo *mirifici Pipiones* appellantur. Inde fit quòd Epiphanius in *Iesu* nomine non minùs hallucinetur, quod ait significare κατὰ τὴν ἑβραϊκὴν διάλεκτον, *medicum* & *sanatorem*, quasi deduceretur, ὁ Ἰησοῦ ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, quod est *mederi*; unde fit ἰατρός: quo pacto Tacitus Iudæos à monte Ida, quasi Idæos dictos refert. Suetonius Christum χρηστὸν vocat, quum *Iudaeos tumultuatos*, ait, *impulsore Chresto:* quem alij forsan

secuti Christum quasi bonum, ἀπὸ τῆς χρηστότητος, dictum existimârunt. Nempe sicut alij quidam Hierosolyma, ἱερὸν Σολομῶντος esse dixerunt, nec *visionem pacis* Hebraïcè dictam & significatam intellexerunt. Nec aliter Theodoretus אדם ad *Edem* עדן Hebræorum dici autumat; cùm ab אדם *rubuit* dicatur. Adeóque Tertullianus *Pascha*, ἀπὸ τοῦ πάσχειν, à *passione*, non ab Hebræo פסח, quæ vox *transitum* significat. Deduxit Origenes vocem ἁγίας, quasi ab α privativo & γῆ componeretur; illud sanctum demùm esse narrat, quod sine terra vel extra terram est. At illi forsitan ignoratione linguæ sanctioris peccaverunt, quod nisi falsò de Hieronymo dici nequit, quem tamen sæpiusculè deprehendimus dormitantem, ut quum verba illa Prophetæ, Psalm. 143. *Non justificabitur omnis vivens*, ità exponit, *Nòn justificabuntur omnes, at justificabuntur aliqui*, quasi notissimum Hebraïsmum nesciat, qui cùm in capite 3. ℣. 18. Sophoniæ, *Afflictos qui à lege recesserunt congregabo*, נוגי, quod est in Hebræo non *afflictos* reddidit, sed *nugas*, quasi Latina vox cum Hebręa consentiret; quod ut aliàs non inficiamur usu venire; ità hìc nihil opus fuisse nugis affirmamus. Qui nævi & similes per imprudentiam ac neglectum facilè doctissimo Ecclesiæ doctori obrepserunt. Nec aliundè forsan contigit, ut Iosephus licet Hebræus ex Hebręis nomen *Abelis* ab אבל luxit, deduxerit, & πένθος reddiderit, non ab הבל vanitas quæ vera est originatio. Sed momentosius illud est, quod in veteri Ecclesia legimus Arrianos verba illa Prov. cap. 8. ℣. 22. ubi sapientia de se loquendo, ἔκτισέ με, torquere eò ut Christi creaturam esse conficerent. Quid Orthodoxi? Alij quidem non intelligendum esse de Christo. Alij de Christi humanitate intelligendum. Alij denique aliter, satisfacere conabantur, neque cogitabant in Hebræo non ità legi, sed קנני, hoc est, ἔκτησέ με, *possedit me*; unde propter affinitatem pronuntiationis τοῦ η & ι, factum est ἔκτισέ με, sicut ex Christo Χρηστός.

Sic in Novo Testamento nomen Κηφᾶς, Syriacè כאפא, quod Petro tribuitur Optatus Milevitanus à Græca lingua deduxit ἀπὸ τῆς κεφαλῆς; cujus in sententiam, serviens,& ut sol, & instituto & hypothesi, Romanis morigerans pedibus ivit Baronius, qui non sine dispensatione divina, factum esse narrat, ut eadem vox Κηφᾶς aqud Syros quidem, *Petram & fundamentum*, apud Græcos verò caput significet; ità ut inter mysteria annumeret. Vsque adeò sollicitè mysteria quæruntur ubi nulla sunt. Nec aliter Petavius Epiphanij supra memoratum errorem defendere conatur, nempe ut ex ignoratione & neglectu linguarum in Patribus,filiorum, vel magis nothorum, erroribus in fide patrocinium quęrat; nempe μεταληπτικῶς veteres illos Ecclesiæ doctores locutos esse affirmat, hoc est, eâ figurâ usos, quâ quum duo synonima occurrunt, quorum alterum duos obtinet significatus, ad alterum quoque hic

uterque significatus extenditur. Qua de re videndi sunt Eustathius ad Iliad. 1. & Casaubonus contra Baronium, cujus rei exempla edemus & nos aliquando. Nunc satis esto adversus Petavium observare ipsum antiquitatis admiratione nimia fascinatum ex errore facere figuram, & metalepsim adhibere falsò & perperam, ubi manifesta est Epiphanij hallucinatio. Novimus quidem omnibus in linguis, nec in sanctiori tantùm, quæ verba *servare* significant, eadem ferè significare, *in bonam valetudinem restituere*, ut quum Græci *σωτηρίαν salutem*, postquam revaluerunt; & Latini *salutem*, pro *sanitate*, dicunt. Novimus prętereà in curatione morborum, quam Dominus peregit, fuisse typum curationis animarum & salutis, unde peccata nostra, *languores* & *morbi* vocantur. Non tamen minùs erravit Epiphanius, quum non tantùm captavit allusionem aliquam, verum distinctè asseruit vocem *Ἰησοῦς medicum* significare, quasi à voce *ἰᾶσθαι* deduceretur, cùm non à Gręca sed ad Hebraïca lingua ejus originatio petenda sit, authore Angelo ut notum est omnibus.

AXIOMA XXXVIII.

Spiritus Sanctus cavet ab obscœnis.

NOn immeritò Spiritus Dei cum columba confertur, cui proprium hoc est, inter alia, ut obscœna loca sollicitè fugiat. Sæculi scriptores cordatiores ità sese adhibuerunt, ut quoties rei turpiculæ mentio incidit, honesto eam vocabulo quasi velo texerint, vel contrariam adhibendo per *ἀντίφρασιν* honoris causa, ut quum *ἀπέρχεσθαι* dicunt *abire*, sive *decedere*, pro *mori*, & ejusmodi prope infinita, vel *σεμνῶς* & ambitioso circuitu magis innuentes quàm dicentes quod visum est turpe dictu: atque huic ille *parthenia* nomen dedit. Scriptores autem Sacri longè sollitiùs ab aurium offensione caverunt *εὐφημισμῷ* utentes, quem Gręci veteres definiunt *σχῆμα ἀγαθῇ κλήσει περιστέλλον τὸ φαῦλον*. Magistri verò Hebręorum docent nullum esse in lingua sua vocabulum obscœnum, quod non honestius pronuntiandum sit: sed illi viderint. Nobis certum est in Scriptura *pedes* רגלים pro partibus illis quæ honestè nominari nequeant accipi, ut Gen. c. 49. ℣. 10. *Non egredietur Legislator ex pedibus ejus*, hoc est ex parte dicata generationi: nec alia desunt ejusdem locutionis exempla. Sic & *fœmur* alibi pro eadem viri parte usurpatur; unde jusjurandum concipientes dicuntur solemni ritu imponere manum *fœmori*, hoc est, partibus illis, in honorem circumcisionis, rei apud Iudęos sanctissimæ. Sic & *humiliare fœminam* & *ejus revelare nuditatem*, & *ascendere in cubile patris*, honestis verbis dicitur qui nefanda patrat. Sic & vocem *cognoscendi* notum est usurpari

pro congressu licito & illicito; nec modò in lingua Hebręa, sed in alijs propemodum omnibus, cujus rei exempla memorare supersedemus. Sic & *appropinquare, adire, accedere*, pro eodem accipitur, videturque vox illa בוא Hebręis ad Gręcos manâsse, qui suum illud βάω, sive βαίνω, pro eodem usurpant, & apud eos ἄβατος virgo est intacta. Ne quid nunc dicamus de Onan scelere Gen. 38. *Tegere pedes*, honestè dicitur qui alvum exonerat, vel ut Targumistæ dicunt, *necessitatem fecit*, propterea quod in illo actu vestis illa quæ ad genua tantùm demittebatur, flexo corpore terram contingeret ac pedes contegeret.

Apud scriptores Ethnicos hujus Euphemismi exempla passim occurrunt, qui nihil aliud est quàm figura res ingratas designans, non ingratis nominibus; vel ominis causa ut Pontus Euxinus, qui olim ἄξενος inhospitalis à contrario per cavillationem Pontus Euxinus appellatur, & *mendax littus* ab ingeniosissimo Poëtarum dicitur: undè in augurijs *alterum* pro *non bono* ponitur, ut *avis altera* pro *adversa & improspera*. Sic apud Pindarum δαίμων ἕτερος *Deum adversum* significat, quod planè consentaneum est cum illa Iudęorum religione quâ in totum abstinebant à nomine *porcorum*, quorum carne vesci apud eos nefas erat, ne nomen quidem sustinebant edi, sed porcum vocabant דבר אחר *rem alteram*. Ità, quia à malè nominatis vocibus in Sacris abstinebant, *mactare*, id est, *magis augere*, pro *immolare*; *adolere* autem, id est, *crescere* pro *cremare* dixerunt, vel quia crescebat & augebatur ara ijs quæ mactabantur vel adolebantur impositis, vel quia non perire putabant in Sacris: sed certè per laudationem, itemque boni ominis significationem dictum doctissimus Romanorum Varro asseruit. Nec aliter Hebręi *benedicere* pro *maledicere* usurpârunt, quod est notum omnibus. Huc referri debet quod antè diximus, quod *fuisse, abijsse*, pro *mortuum esse* dixerunt. Mortuos autem, vel μακαρίτας, vel πλείονας, unde *abire ad plures*, nihil aliud est, quàm *mori; abijt, recessit*, id est, *mortuus est*. Vide Tertullianum libro *De testimonio animæ*. Resurrectionem probat, vel potius, ut cum eo loquar, *subradiat*. (Sic enim alibi loquitur *alia*, inquit, *loca resurrectionem probant, alia verò subradiant*.) Verba ejus hęc sunt, *Nam si de aliquo jam pridem defuncto tanquam vivo quis requirat, pro manu occurrit dicere Abijt jam, & reverti debet*. Vel etiam ità locuti sunt veteres honestatis causâ, ut quum vocabant meretrices ἑταίρας amicas, πρὸς τὸ ἀφαιρεῖσθαι τὸ σκληρὸν τῆς πορνείας. Ità *piaculum* pro *peccato* usurpatur planè contrario significatu. Huc pertinet etiam quod Paulus maritalem actum licet non illegitimum, tamen verecundè circumloquitur ad 1. Cor. c. 7. ṽ. 3. scribens quum ὀφειλομένην εὔνοιαν vocat, id est, benevolentiam debitam.

Sed hîc varia objici possunt. Primò, Canticum Canticorum amoribus plenum, quapropter juvenes apud Iudæos ejus lectione prohibe-

bantur. Secundò, facinus Oseæ Prophetæ, qui ex mandato Dei meretricem duxit uxorem. Tertiò, adulterium Davidis, incestum Thamar, & filiarum Lothi, & quod Sara, Lea, Rachel ancillas viris suis concubinas dedere. Quartò denique, Masoretharum observatio, qui non rarò legenda substituunt ad marginem vocabula pro ijs, quæ in textu scripta inverecundè legi putant, ut quum pro שגל rem habere, quod parùm honestum arbitrantur, שכב accumbere substituunt, & quum pro עפלים hemorroïdes, quæ vox propriè est cognomen inferiorum partium corporis substituunt טחורים, quæ vox propriè morbum ani denotat, ut scribit Kimchi & R. Levi. Sic pro שיניהם urinas eorum substituerunt מימי רגליהם ut & Chaldęus transtulit, & pro חראיהם, vel חותיהם stercora sua substitui jubent צואתם excrementa sua.

Ad primum quod attinet, non diffitemur sanctissimum illud Salomonis carmen epithalamium rationem spiritualium sponsaliorum, quæ Christus inivit cum Ecclesia in terris versante complecti, magnum illud mysterium, de quo Paulus. Christus & Ecclesia uniuntur, idque sub imagine amantium, qui verbo & facto invicem gratulantur, non secus ac Psalmo 45. ubi sub schemate amatorij carminis, dotes Salomonis & filiæ Pharaonis celebrantur, quantum bonum possideant, quid eo conjuncti sunt, vel conjungi cupiunt aperitur. Vndè Iudæi triplex Salomonis opus, ità cum triplici templi parte conferunt, ut Proverbia in quibus œconomica traditur Atrio; Ecclesiastes ubi politica informatur Loco sancto: Canticum autem Canticorum in quo motus animi divino impulsu ad cœlum evehuntur, Sancto sanctorum respondeat. Poterit quidem fortè Salomo respexisse ad suas cum filia Pharaonis nuptias, quæ tamen totum Cantici sensum implere nequeunt. Quod vel hinc patet quod eæ similitudines occurrant, quæ nisi ad Christum provehuntur, planè sunt frigidæ & propemodùm absurdæ, ut quum sponsæ collum cum turri Davidis comparatur, dentes cum gregibus ovium, guttur cum optimo vino, nasus cum turri Libani, nè cætera persequamur, quæ profectò nisi ad Christum retuleris, parùm digna videbuntur Salomonis incredibili sapientia, & Cantici divinissimi excellentia.

Ad secundum Locum Oseæ difficillimum nonnulli putant esse typicè non historicè accipiendum, quasi tota hęc rès in ὀπτασία Prophetæ contigerit, non verò gesta fuerit: quæ sententia est Hieronymi, & Maïmonidæ, aliorumque apud Iudęos improbi oris nota, qui suo more hîc strenuè nugantur, adeò ut non nemo ex ijs prodiderit; Prophetam idcircò jussum esse meretricem uxorem ducere, ut appareat satis esse servo si, par sit Domino: Synagogam verò quasi sponsam Dei fornicatam esse. Itaq; decuisse Prophetam uxorem fornicantem ducere. Alij verò, inter quos Hugo Grotius, facinus illud quantumvis turpe docent

divina jussione factum esse honestum & legitimum, quippe Deum jubendo quæ turpia sunt honesta facere. Absit verò ut huic sententiæ calculum adijciamus nostrum, qui cum Hieronymo ad hunc locum sentimus Deum nec jubere posse quod naturâ suâ malum est, nec posse jubendo rem turpem honestam facere. Quippe res nonnullę ideò vel malę sunt vel bonę, quia prohibentur à Deo, vel jubentur: nonnullæ autem prohibentur à Deo vel jubentur, quia bonę vel malę sunt. Ad priorem ordinem pertinent esus ex arbore verita. ceremoniæ, esus carnis suillę, *&c.* ad posteriorem spectant amor & odium Dei & proximi. Sicut jus positivum à jure naturali distingui solet; quarumdam enim rerum bonitas vel malitia pendet à legum constitutionibus, quę leges si latę non essent, impunè omitti vel perfici possent; quarumdam verò rerum bonitas est adeò intrinseca & naturalis, aliarumque turpitudo, ut etiamsi nulla de ijs lex esset, nulla sanctio, tamen absque piaculo, nec illæ omitti, nec hæ possent patrari. Quamobrem? Quia priores illæ sunt ex natura sua τῶν ἀδιαφόρων: posteriores autem imaginem Dei constituunt in justitia & sanctitate sitam. Cùm igitur imago Dei non magis mutari possit quàm prototypus ipse; nam si Dei imago poneretur in vitio & in injustitia, aut imago Dei non esset, aut ipse Deus mutaretur, quod nefas est dictu. Quod enim afferri solet sacrificium Abrahami, & furtum Israëlis Ægyptiacam supellectilem asportantis, jubente Deo, nihil ad rem facit. Nam factum Abrahami homicidium non fuit; non modò quia semel non patravit, sed etiam quia mentem incorruptam & nullo imbutam in optimum filium odio servavit, qua in re consistit homicidij ratio, teste Ioanne, ὁ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἀνθρωποκτόνος ἐστί. Ad Israëlitas quod attinet, minimè contractarunt rem alienam, invito Domino, quod est furari, hoc est, invito Domino qui rerum omnium supremus est arbiter & Dominus, & qui etiam propter populum suum electum omnia creavit, qui mundi hæres idcircò dicitur, *Omnia enim nostra sunt, nos autem Christi, Christus autem Dei*, teste Paulo, de jure licet non de facto. Ritè & ordine Deus potuerit injustis possessoribus, (ut Augustinus eos vocat) suppellectilem eripere, non modò quia non pertinebat ad eos proprìè sed ad Deum, cùm nihil nostrum sit mancipio sed usu tantùm, χρήσει non κτήσει ipsaque adeò vita, quantò magis fortunæ ac bona juxta illud,

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.

Sed etiam quia Ægyptus & mundus bona Ecclesiæ propter electos condita, & ipsis aliquando tandem restituenda tanquam pars hæreditatis promissæ ac regni detinet injustè ac usurpat. Ac demùm non modò hîc libertate opus est, quia Dominus de suo facere potest quidquid vult, sed prætereà justitiam exercuit. Cùm enim diù multúmque Israël molestissimis operibus in Ægypto sub Pharaonis tyrannide incubuisset, nihil

autem propè mercedis reportaverat, quo circa jussit Dominus eos Ægyptiorum suppellectilem mendicare ac secum auferre, ut justæ mercedis esset loco, sic eo dispensante qui reddit unicuique secundùm opera sua. Non igitur hæc exempla suadere possunt fornicationem Prophetæ licitam fuisse propter divinam jussionem. Dicendum ergo, vel mixtam esse narrationem & parabolam historicam vel historiam parabolicam, cujusmodi est illa Evangelij de Lazaro parabola: vel Prophetam quidem duxisse uxorem quæ meretrix fuerat, & spurios ejus liberos unà suscepisse nutricandos, ex qua tamen ad meliorem frugem traducta liberos legitimos tres, quorum nomina recensentur, susceperit, ut ità gens Israëlitica meretricem, idola fornicatores, Propheta Deum ipsum repræsentet.

Ad postremum duo respondemus. Primò, Masorethas parùm consentanea docere, cùm ipsi alibi pronuntient, nullum esse vocabulum in lingua sancta quod propriè significet aliquid inhonestum: deinde, non inficiamur fieri potuisse apud Hebræos, quod in linguis etiam vernaculis observari potest, & quæ verba majorum & Patriarcharum ævo nihil turpitudinis continebant, usu sequiore progenici vitiosè degeneraverint, atque ad significatum inverecundum detorta fuerint.

Multa dies vanusque labor volventibus annis
Repulit in pejus.

Non igitur insulsè Masorethæ fecerunt, quum propter ævi sui depravationem, nullo Scripturæ vitio aut pravitate, lectionis intereà verecundiæ consuluerunt.

AXIOMA XXXIX.

Scriptura sacra sub una eademque imagine omnia Ecclesiæ tempora depingit.

QVæ nos partiri solemus Ecclesiæ tempora, & in varias periodos distribuere, Scriptura uno complexu omnia conjungit. Spectat enim Ecclesiám velut unum corpus, licet per varias ætates, variasque temporum differentias distinguatur. Sic una eademque prædictio, vel figura Veteris Testamenti refertur ad legis tempora, &ad statum Evangelij, & ad gloriam regni cœlorum.

Sic Esaï. c. 9. ℣. 21. quum ait, *Populum qui sedebat in tenebris & in regione umbra mortis vidisse lucem ingentem.*] Non dubitamus quin hoc vaticinium, Primò quidem ad legis tempora pertinuerit, quum populus Israëliticus liberatus est ex Babylonica servitute (nam tenebræ & umbra mortis calamitatem summam designant) quumque posteà divini Numinis auxilio Palestinæ redditus est. Solet enim Scriptura

liberationem

liberationem sub imagine lucis depingere. At ex ipso docemur Evangelio totum vaticinij hujus complementum lege non contineri. Respexit enim tempora Messiæ, Matthęo teste, cap. 14. quum nimirùm tenebrę peccati Evangelij luce admiranda, profligati sunt, *ut impleretur,* inquit Matthæus, *quod prædictum fuerat per Esaïam, populus qui sedebat in tenebris & in regione umbræ mortis vidit lucem ingentem.* Nec tamen incommodè potest etiam hæc prophetia beatæ resurrectionis gloriæ adhiberi, quum illi qui jacebunt in sepulchri tenebris & umbra mortis, ingentem illam gloriæ divinæ lucem contemplabuntur; *Nos enim Deus idoneos fecit ad participandam fœlicitatem Sanctorum in luce,* teste Paulo ad Coloss. 1.

Sic apud Ezechielem cap. 37. visio illa terræ ossibus mortuorum coopertæ, in quæ Deus vitæ spiritum inflavit, carnes & nervos induxit, & statuit in pedes. Primò quidem ad liberationem ex captivitate Babylonica pertinet, quod clarius est quàm ut negari possit ex eodem capite ℣. 12. Ecce *ego aperio sepulchra vestra, & reducam vos in terram Israëlis.* Secundò, hæc tamen prophetia refertur ad statum Evangelij, *Mortui audient vocem filij Dei, & qui audiverint vivent,* inquit Dominus apud Ioannem. Et Paulus Eph. c. 5. ℣. 14, *Excitare qui dormis & surge à mortuis, & Christus illucescet tibi.* Nam sicut peccatum casus dicitur, ità regeneratio vera est animæ resurrectio. Tertiò, respicit hoc vaticinium Ezechielis ad corporis resurrectionem in ultimo die, quum Christus veniet judicatum vivos & mortuos.

Sic, à vaticinijs ad figuras transeamus, Deus in lege dies festos & sabbata & jubilæum instituerat, ut quiescerent homines, terra, & captivi libertatem consequerentur. Sed prętereà debet hæc ad Evangelium deduci constitutio, quo quiescimus ab operibus mortuis, & in libertatem filiorum Dei asserimur, *Spiritus Domini super me, unxit me ad liberandos captivos, ad publicandam liberationem afflictis, & promulgandum annum acceptum Domino,* id est, *jubilæum. Hodie,* inquit Dominus, *hæc Esaïæ Prophetæ scriptura vobis audientibus impletur.* Sed quia nondum plenam libertatem obtinemus, & corpora nostra in sepulchro detinentur velut in carcere; idcircò debet hic typus ad resurrectionem trahi, ubi verum erit æternumque sabbathum, perfectusque jubilæus. Idcircò 1. Thess. 4. & 1. Cor. 15. *vox Archangeli & tuba Dei* commemorantur, ad jubilæum allusione non obscurâ.

AXIOMA XL.

Quædam in Scriptura dicuntur μεταληπτικῶς.

VEteres critici Græci varia μεταλήψεως genera obſervant, quorum exempla poſſunt in omnibus linguis animadverti; ſed quædam eſt μεταλήψεως ſpecies, non Rhetorica illa quidem, ſed magis Grammatica, juxta quam una ſignificatio cum altera tranſmutatur: quippe μεταλαμβάνειν hîc accipitur pro ἀλλάττειν. Hujus autem figuræ uſus nonnullus in Scriptura eſſe poteſt, in qua non rarò inrerpretamentum unius vocis ponitur pro interpretamento ſignificationis alterius, quod illuſtre faciemus prolatis prophanorum auctorum exemplis; illi enim γλήνην, quæ vox *pupillam* ſignificat pro *puella*, poſuerunt propter communem ſignificationem cum voce κόρη, quæ vox & *pupillam* & *puellam* ſonat. Sic ἀβρότην νύκτα dixere ἀντὶ τοῦ ἀφώτιστον, quia βροτὸς, quæ vox *hominem* ſignificat, communem habet ſignificationem cum voce φῶς, φωτὸς, quæ licet accentu longè diverſo, & *hominem* ſignificat & *lucem*: Nec aliter princeps Poëtarum in illa Iliad. π'. στήθεσσιν λασίοις quod Achilli tribuitur cordatum pectus intelligit; λάσιον enim pro *cordato* poſuit, auctore Euſtathio, & μεταληπτικῶς ἐσχημάτισε. quanquam λάσιον nihil tale propriè ſignificet; ſed eandem ſignificationem habet quod τὸ πυκνὸν: πυκνὸν verò præterquam quod ſignificat idem quod λάσιον, & τὸ φρόνιμον ſignificat; verba ſunt Euſtathij, λάσιον τὸ πυκνὸν, πυκνὸν δὲ τὸ συνετὸν, λάσιον ἄρα τὸ συνετόν. Sed prophanorum ſatis.

Sic in Veteri Teſtamento apud Zachariam & Ieremiam in loco de 30. ſiclis vexatiſſimo אדר היקר, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου redditur, cùm tamen vox אדר non *pretium*, ſed *magnificentiam* & *honorem* ſonet, neq; per τιμὴν reddi poſſe videatur, niſi quatenus τιμὴ ſignificat *honorem*. Hîc tamen redditur per τιμὴν quatenus τιμὴ ſignificat *pretium*, nempe propter communionem ſignificationis cum altera voce יקר quæ *pretioſum*, juxta & *honorabilem* ſonat, & יקר non modò *gloriam* & *honorem*, ſed etiam *pretium* deſignat. אדר igitur cùm hoc haberet commune cum יקר quod utrumque ſignificat honorem, propter hanc veluti cognationem traductum eſt ad alteram ſignificationem τοῦ יקר & pro pretio poſitum. Reverà has ſignificationes alijs in linguis interpretamur, ut patet ex voce τιμῆς quæ utrumque pariter ſignificat, & pretium apud Latinos, ut patet ex illo, *in pretio eſt, pretium nunc eſt.*

AXIOMA XLI.

Scriptura sacra ironicè Dei gratias contrarijs vocibus repræsentat.

SIc conversionem nostram vocat *Apostasiam*, 2. Tim. cap. 2. ℣. 19. ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας. Hinc fit vox Apostata. Sic prædicationem Evangelij vocat *hæresim* αἵρεσιν, Act. c. 28. ℣. 22. Sic Regenerationem vocat *servitutem*, quam opponit *libertati justitiæ*, Rom. 6. Sic Sanctificationem vocat *mortem*, quâ morimur peccato, Rom. cap. 6. & alibi.

AXIOMA XLII.

Particula καὶ *sæpè non tam est conjunctiva quàm expositiva.*

SIc Matth. cap. 3. ℣. 11. ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. particula καὶ non jungit ignem cum spiritu, quasi hæc duo ad baptismi essentiam necessaria forent, (ut existimant Ægyptij & Abyssini, qui baptismum fluminis & flaminis in usu habentes infantes prius in aquam immergunt, deinde inurunt) sed exponit tantùm naturam spiritus, quæ facilè adumbratur per nomen ignis. Sic Ioan. c. 3. ℣. 5. ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, *Nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu:* ubi particula καὶ est expositiva vocis ὕδατος, & ostendit per τὸ ὕδωρ nihil aliud venire intelligendum quàm τὸ πνεῦμα. Sic Heb. cap. 12. ℣. 1. ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, *Abjecto omni pondere & peccato ad nos circumcingendos proclivi.* Particula καὶ non jungit vocem ὄγκον cum voce ἁμαρτίαν, quasi prius deponendum veniret onus, deinde peccatum; sed tantùm exponit & ostendit per illud onus venire duntaxat intelligendum peccatum.

AXIOMA XLIII.

Res in Scriptura absolutè non esse dicuntur, quum de facto non apparent.

SIc Ioan. c. 7. ℣. 39. Spiritus Sanctus dicitur non fuisse ante Christi glorificationem, hoc est, non apparuisse in specie visibili, aut saltem donis extraordinarijs non claruisse. Sic dicitur Christus in ascensione accepisse regnum à Patre, quod ab æterno habuit, Ioan. 17. *Nunc glorifica me Pater*, &c. Sic 1. Cor. 15. dicitur *Christus traditurus Patri regnum*, quod ab æterno habuit & quod nunquam dimisit. Sic

Esaï. cap. 53. ℣. 2. de Christo dicitur in eo nihil fuisse quo desideraremus eum; nihil fuit, quia scilicet nihil apparebat. Vnde tam sæpè homo & filius hominis nuncupatur, quia sub humanitatis suæ velo divinitatem suam veluti tegebat. Sic Matth. cap. 27. ℣. 46. Deus dicitur deseruisse filium suum, quia scilicet deseruisse videbatur, etsi in agonia revera sustinuerit, & à morte liberaverit.

AXIOMA XLIV.

In collatione Veteris Testamenti cum Novo quatuor sunt spectandæ regulæ.

PRimò, quædam continentur typicè sub Veteri Testamento & redduntur typicè sub Novo. Secundò, quædam continentur typicè sub Veteri Testamento, quæ verè redduntur sub Novo. Tertiò, quædam continentur verè sub V. Testamento, quæ redduntur tantùm typicè sub Novo. Quartò, quædam continentur verè sub Veteri Testamento, quæ redduntur etiam verè sub Novo.

AXIOMA XLV.

Vox Sicuti, *vel* Tanquam *non semper est similitudinis, sed aliquando causalitatis particula.*

SIc Ioan. cap. 1. ℣. 14. Δόξαν ὡς μονογενοῦς, *Contemplavimus ejus gloriam ut unigeniti*, hoc est, *quia est unigenitus Patris*. Sic 2. Cor. cap. 3. ℣. 18. Καθάπερ ἀπὸ Κυρίου, ubi per *Spiritum Domini*, hoc est, transformamur imaginem Dei per Spiritum Domini. Confer Axioma 64.

AXIOMA XLVI.

Plura signa non tam de medio ad finem, quàm de fine ad media, argumentantur.

VT capiatur hujus Axiomatis sensus, sciendum est signum ordinariè præcedere rem quam præsignat, & tunc est medium certum faciens ad finem cujus est signum. Sic vellus Gedeonis præsignificabat ei quod populum manu sua esset liberaturus Iudic. cap. 6. ℣. 36. Sic bella & alia, id genus de quibus Christus Matth. 24. sunt signa futuri judicij. At etiam plura sunt signa quæ sunt ipse finis, ideóque mediorum necessitatem inferunt, qui scilicet sine illis medijs talis finis obtineri nequit. Sic 1. Sam. cap. 2. ℣. 34. Dominus Sacerdoti Heli pro

ſigno totalis deſtructionis domus ſuæ dat finem ipſum, nempe mortem Ophni & Phineæ. Sic 2. Reg. cap. 19. ℣. 29. Dominus dat Ezechiæ ſignum quod diù multum poſt liberationem urbis à rege Sennacherib impletum fuit, ut argumentaretur hunc in modum Ezechiæ, *Promittit Deus ut terra ſit prolatura fructus ſine ſemente anno hoc futuro: Ergo conſervabit urbem à manu hoſtis hujus.* Sine tali medio finem promiſſum aſſequi non potuiſſet. Sic Eſaï. 7. ſignum conſervationis domus Davidis dicitur eſſe nativitas Meſſiæ quæ contigit 7. aut 8. ſæcula poſt urbis liberationem ab obſidione. Sic Ioan. cap. 2. ℣. 18. 19. mortem ſuam Chriſtus vult eſſe ſignum, quod jure legitimo mercatores de templo ejecit, *Deſtruite*, inquit, *templum*, &c.

AXIOMA XLVII.

Vox uſque *non tam ceſſationem rei à parte poſt, quàm certam durationem à parte ante deſignat.*

HOc vult Axioma quod ſcilicet in Scriptura vox *uſque* non ſemper denotet rei durationem uſque ad tempus dictum, ità ut non amplius ſtet, ſed potius certam durationem rei illius tempore quo minus durare exiſtimabatur, etſi poſt indictum tempus perpetuò duret. Hujus Axiomatis plura exempla vide Axiomate XIX. quibus hæc àddi poſſunt. Matth. c. 1. ℣. 25. Pſal. 10. ℣. 1. 1. Cor. c. 15. ℣. 25. 2. Tim. c. 1. ℣. 12. Matth. c. 28. ℣. 20. Apoc. c. 2. ℣. 10.

AXIOMA XLVIII.

Deus in puniendo & remunerando reſpicit ad naturam delicti vel virtutis.

SIc quia primi mundi incolæ varijs delicijs innatabant veluti in Oceano, Deus ratione habitâ illius peccati eos natare fecit in aqua diluvij Gen. c. 7. ℣. 10. Sic quia Sodoma & Gomorrha impuro igne flagrabant igne cœleſti eos Deus delevit. Sic quia Nadab & Abihu ignem extraneum arcæ Dei impoſuerant, igne deleti fuerunt, Levit. cap. 10. ℣. 1. 2. Sic quia Iſraëlitæ in deſerto carnem deſiderabant, carne obierunt, Num. c. 11. ℣. 33. Sic quia David fœminam corruperat, Deus fecit ut Abſalom ſuas corruperit, 2. Sam. cap. 12. ℣. 11. Sic Pſal. 18. ℣. 26. 27. *Erga integrum tu es integer, erga miſericordem miſericors, erga purum purus.* Sic Matth. cap. 5. ℣. 7. miſericordi miſericordiam promittit, *Beati*, inquit, *miſericordes, quoniam ipſis miſericordia tribuetur.* Sic 1. Sam. c. 2. ℣. 30. *Honorabo eos qui me hono-*

rant, & mei contemptores, contemnentur. Sic. 2. Tim. cap. 4. ℣. 7. 8. Paulus sibi generosè pugnanti coronam promittit.

AXIOMA XLIX.

Scriptura signis contrariis utitur, ut rem eandem representet.

SIc Patrem aliquando sub figura judicis severi, aliquando Patris clementissimi representat. Sic Filium aliquando leonem, aliquando agnum vocat, Apoc. 20. sæpè regem, sæpè servum, Philip. c. 2. ℣. 7. Sic Spiritum Sanctum signo aquæ, aliquando signo ignis representat, Luc. c. 3. ℣. 16. Sic Christus Ioan. 10. se verum Pastorem dicit per oppositionem ad furem, & alibi se furem dicit, quando adventum suum adventu furis in nocte representat. Apoc. c. 3. ℣. 3 & c. 16. ℣. 15. Sic fideles vocantur modò *serpentes astuti*, modò *simplices columbæ*, Matth. cap. 10 ℣. 16.

AXIOMA L.

Scriptura sæpè eodem signo contraria representat.

SIc Christus dicitur *leo de tribu Iuda*, Apoc. c. 5. ℣. 5. Quæ vox tribuitur etiam Satanæ, 1. Pet. c. 5. ℣. 8. Sic Christus depingitur per *serpentem*, Ioan. c. 3. ℣. 15. & vox *serpens* tribuitur Diabolo, Apoc. cap. 12. ℣. 19. Sic per *furem* intelligitur Christus, Apoc c. 3 ℣. 3. & c. 16. ℣. 15. Et etiam Satan, Matth. c. 6. ℣. 20. Sic vox *Messis* aliquando significat collectionem Eccesiæ ex mundo per prædicationem Evangelij, Matth. c. 9. ℣. 37. 38. Aliquando etiam collectionem non justorum sed reproborum, non ad salutem sed ad æternam damnationem, Apoc. 14. 15. 16.

AXIOMA LI.

Ordinariè Deus justos malis, & malos bonis Angelis tradit puniendos.

PRimò, Deum fideles malis Angelis tradere puniendos dicimus, ut liquet exemplo Iobi & Pauli, 2. Cor. c. 12. ℣. 7. Sic secundò, infideles bonis Angelis Deum tradere puniendos asserimus, ut liquet exemplo Ægyptiorum, Exod. c. 12. ℣. 29. Et exercitus Sennacherib, 2. Reg. 19. Hujus œconomiæ rationes afferri multæ possunt, quarum præcipua hæc est, quod Deus Angelis bonis & malis utitur diversè pro diversitate inclinationis eorum. Sic bonos malis Angelis tradit puniendos, non bonis, quia hoc esset contra eorum naturam, non possent enim ruinam

procurare fidelium, quorum salutem sitiunt: sed malis ut afflictio à Deo destinata in animum penetret, & amara reddatur pro ratione omnium circunstantiarum, quas student diligentissimè hi spiritus pessimi. Sic malos homines bonis Angelis tradit puniendos, non malis, quia hoc esset contra eorum mentem. Quid enim torquerent subditos suos qui eorum placita officiosè sequuntur? Sed bonis quia habentes odio omnes Dei hostes, reprobos ad extremum torquent, ut sentiant quanta sit eorum culpa ex gravitate pœnæ à Deo destinatæ.

AXIOMA LII.

Quæ media Diabolus ad ruinam, ea Deus ad salutem nostram observat.

SIc diversitas linguarum tempore Turris Babel fuit medium, quo Deus ab opere illo, superbos homines huc & illuc detinuit dispersos. Et eadem linguarum diversitas tempore Apostolorum fuit medium quo Deus homines in unum collegit, & domum sanctam, nempe Ecclesiam ædificavit Sic *uti per fœminam peccatum intravit in mundum:* sic fœminæ ministerio datum est Ecclesiæ peccati remedium nempe Christus. Sic in deserto ut mederetur Deus morsibus lethalibus serpentum, serpentem erigi jussit. Sic per os, Satan Evam perdidit: & per idem organum Deus homines facit fideles, Rom. c. 10. ℣. 10. sicut per signum arboris scientiæ boni & mali perijt homo: ita per signum crucis salutem assecutus est. Romani olim ad eversionem templi utebantur ijsdem lignis Libani, quibus usus fuerat Salomon ad ejus constructionem. Sic *providentia Dei utitur ad salutem Ecclesiæ medijs ijsdem quibus Satan eam evertere tentat.*

AXIOMA LIII.

Scriptura de vocibus minimè anxia rem voce diversa pro instituto representat.

ID facit Scriptura, quia scilicet nulla est rerum significandarum ratio adeò perspicax & intellectu facilis, quàm ea quæ congruit cum affectibus & motibus naturalibus. Inde est quod quum vehementer aliquid amamus & appetimus aut in pretio habemus, si quis nos velit ab ea re animum avertere, & nos rei alterius magis momentosæ accedere, rem illam quam vult nobis esse commendatam solet nuncupare nomine illius rei quam novit nobis esse cordi. Sic Ioan. c. 6. ℣. 29. Christus *fidem opus* vocat, *hoc est opus Dei ut credatis:* quia scilicet Iudæi opera legis tantoperè decantabant, non verò quod fides quâ opus reverà nos

justificet. Sic Esai. 58. Deus sanctificationem *jejunium* vocat, *illud est jejunium quod elegi*, &c non quod abstinentia ab iniquitate sit propriè jejunium, tamen sic loquitur Deus populo crasso, quia in jejunio corporeo & vestium fractione totam jejunij pietatem collocabat. Huc pertinet locus Ioël. 2. *Lacerate corda vestra non vestes*, contra hypocritas. Sic Matth. c. 6. ỷ. 20. Christus æternam vitam *thesaurum* vocat, quasi diceret avaris, *Quaeritis in solo thesauros, at in cœlo veri sunt thesauri gloriæ, hos quærite*. Sic Rom. c. 8. ỷ. 2. Evangelium nomine *Legis* depingit, ut scilicet Iudæi vocibus nihil terreantur. Sic Ioan. c. 6. ỷ 55. Christus sese dicit *panem*, respiciens mentem Capernaïtarum, qui de pane multiplicato multùm anxiè laborabant; etsi tamen certè Christus non sit panis, neque caro, aut sanguis ejus manducari debeat. Sic Ioan. cap. 4. ỷ. 34. Christus ποιεῖν τὸ θέλημα πατρὸς vocat βρῶμα, *Cibus meus*, inquit, *est ut faciam voluntatem Patris*. Quia scilicet discipuli ad comedendum persuadere conabantur.

AXIOMA LIV.

Propheticum nomen Impostoribus sæpè tribuitur.

HOc vult Axioma, Ecclesiam corruptionibus deformem & à Deo penitùs alienam in omnibus tamen nominum puritatem & vocum externam speciem retinere. Sic Psal 118. ỷ. 22. & Matth. cap. 21. ỷ. 42. & 1. Pet. cap. 4. ỷ. 7. Iudæi Ecclesiæ infensissimi vastatores *ædificantes* tamen dicuntur, *lapis quem ædificantes*, &c. rem verò ipsam penitùs depravarunt. Sic Matth. cap. 3. ỷ. 9. Iudæi se *filios Abrahæ* jactabant, cùm essent filij Diaboli, cujus opera exercebant, *Omnes enim qui erant ex Israële, non erant ideò Israël*. Sic Papa hodiè *Apostoli* nomen retinet, cùm sit Pseud-Apostolus, & *Petri successorem* se jactat, cùm Petri doctrinam funditus evertat: & *Christi vicarium*, cùm sit Anti-Christus. Sic Ezech. 13. *Vaticinare ad Prophetas Israël*. Hîc falsi Prophetæ prophetarum nomine notantur. Sic. 2. Cor. cap. 4. ỷ. 4. Satanas *deus hujus sæculi* appellatur. Sic Esaï. 34. idola vocantur *dyj*: nomina scilicet à Prophetis impostoribus idolis translata.

AXIOMA

AXIOMA LV.

Scriptura ſæpè reſpondet, non ad quæſtionem, ſed ad mentem interrogantis.

HOc vult Axioma, quod ſcilicet Scriptura mentem loquentium intelligens, ſæpè quæſtiones non moretur, ſed mentem reſpiciens dat reſponſiones, abſurdas in ſpeciem, quòd ſcilicet, interrogationibus minimè ſint adæquatæ, ſed veras & ad rem maximè facientes, ſi mentem dicentium animadvertis. Sic Ioan. cap. 1. ℣. 21. Iudæi interrogantes Ioannem Baptiſtam, ab ipſo petierunt utrum eſſet Elias, cui quæſtioni reſpondet negativè. Reverà ſi rem attendamus, Ioannes Baptiſta fuit ille Elias de quo Mal. cap. 3. ℣. 1. & cap. 4. ℣. 6. uti clarè exponit Chriſtus. Matth. cap. 17. ℣. 12. 13. hoc tamen apertè negat Propheta Phariſæis interrogantibus, ſcilicet quia mentem illorum reſpiciebat. Exiſtimabant enim Iudæi fore ut corpus ipſum Eliæ in quatuor elementa ſolutum per mortem reſtitueretur, & denuò cuderetur ante adventum Domini in gloria, adeóque errabant in eo quod quæ Scriptura de ſpiritu Eliæ dicit, quo Ioannes Baptiſta animandus erat, illi de corpore Eliæ craſsè interpretabantur. Nec-non in eo quod de ultimo Chriſti adventu intelligebant, quæ Scriptura de primo intelligit. Quo poſito clara eſt reſponſio Ioannis Baptiſtæ, *Non ſum*, inquit, *ille Elias quem vos fingitis*, mentem ſcilicet eorum reſpexit. Porrò, hanc eſſe ſententiam de venturo Elia; Vide Kimchi in Commentarijs ad Mal. 4. quem refellit prolixè Camero, Prælect. in Matth. c. 17 ℣. 10. & ſeq. Sic Chriſtus *ſe bonum eſſe* negavit, Matth. cap. 19. ℣. 17. quum reſpondit interroganti, *Quid me bonum dicis? nullus ſiquidem bonus niſi Deus.* Quid, an-nè Chriſtus etiam bonus non fuit bonitate eſſentiali divinitati? Abſit. Quod ſi negaverit, id non fuit abſolutè, ſed ex mente juvenis, hoc epitheto Chriſto blandiri putantis; fingebat enim ſibi hominem bonitate quadam morali ornatum, & hoc pacto Chriſtus ſe bonum negat, nempe uti juvenis ineptè ſentiebat. Sic Matth. cap. 22. ℣. 32. Chriſtus reſurrectionem probat adverſus Sadducæos ex eo loco, Exod. cap. 3. ℣. 6. *Deus eſt Deus Abrahami, Iſaaci, Iacobi; non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Abſurdè in ſpeciem ex præmiſſis, nihil enim poterat colligi de reſurrectione corporum, inferri tantùm poterat eſſe vivos non mortuos, quod facilè dari poterat de unione animæ cum corpore, in quo poſita eſt reſurrectio. Argumentum tamen erit Achillæum & ad rem, ſi mentem Sadducæorum, ad quos ſermonem habebat Chriſtus, reſpexerimus. Illi reſurrectionem tantùm negabant ex hypotheſi, quia ſcilicet negabant omnem ſpiritum, & animam cum cor-

pore interire unà garriebant. Christus Evangelio erroris fundamentum evertens, veritatem illicò ponit, quasi diceret, verè est resurrectio, si est spiritus, at est spiritus, quia Deus *est Deus vivorum, non mortuorum.*

AXIOMA LVI.

Futurum de præterito intelligitur.

HOc vult Axioma, Scriptores sacros sæpè in futurum exprimere quæ jam sunt præterita. Hoc pręcipuè contingit illis in locis Novi Testamenti, in quibus Apostolici Scriptores in futuro recitant Prophetias Veteris Testamenti ijsdem verbis, quibus promulgatæ fuerunt à Prophetis, non ut inde inferre velint rem futuram, sed ut rei implementum ostendant. Sic Matth. cap. 1. ℣. 23. Evangelista recitat Prophetiam Esaï. 7. *Virgo concipiet filium*, in futuro quod tamen de præterito est intelligendum, siquidem jam pepererat. Sic Matth. cap. 17. ℣. 11. 12. ubi Christus de Elia loquens; primò dicit, *Eliam esse venturum*; deinde dicit, *Eliam venisse.* At hæc contrarietas apparens facilè solvetur, si dixerimus, ℣. 11. Christum in futuro loquentem recitare ipsa verba Malach. cap. 4. ℣. 6. At quæ dixit de futuro, de pręterito sunt intelligenda, siquidem Elias in persona Ioannis Baptistæ jam venerat: quod ostendit ipse Christus versu sequenti, *Elias*, inquit, *jam venit*, Matth. cap. 11. ℣. 14. Marc. cap. 9. ℣. 12.

AXIOMA LVII.

Præteritum loco futuri ponitur.

HVjus Axiomatis veritas videtur maximè in Prophetis Veteris Testamenti, quæ etsi in Christo tantùm impletæ fuerint, quasi pręterita nihilominus recitantur. Sic Psalmus 22. multas continet prophetias, quæ soli Christo competunt, in pręterito tamen exaratas, ℣. 1. *Mi Deus, mi Deus, quare me dereliquisti?* ℣. 17. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Sic Esaï. 53. absurda essent quæcunque in pręterito dicuntur, ni de futuro Christi sacrificio intelligerentur. Sic Psal. 118. ℣. 22. *Lapis quem rejecerunt ædificantes.*

AXIOMA LVIII.

Multa in futuro dicuntur; quæ in imperfecto reddi debent.

HOc Axioma duobus prioribus est germanum, & magnam lucem affert multis locis, qui alioqui explicatu difficilia videntur. Illustre exemplum extat Matth. cap. 11. ℣. 4. σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, quæ verba nullum haberent sensum si ita efferrentur, *Es-nè qui venturus es*, in futuro nempe; nam si Christus jam venerat, absurdè ab ipso petitur, *utrum esset venturus?* Itaque quæ in futuro sunt verba, in imperfecto sunt reddenda hoc modo, *Es-ne tu qui venturus eras.* Sic Matth. cap. 17. ℣. 2. *Elias veniet & restituet omnia*, ut reddiderunt Biblia nostra verbo ad verbum. Sed clarior erit expositio, si in imperfecto reddantur, *Elias ille qui venturus erat, & omnia restituturus.* Nempe ut prędixerunt Prophetæ, Matth. cap. 11. v. 14. Marc. cap. 9. v. 12. Sic Luc. cap. 24. v. 21. verbo ad verbum, *Quod ille est qui debet redimere Israëlem*, impropriè recta interpretatio hęc est, *At sperabamus quod esset ille qui deberet redimere Israilem.*

AXIOMA LIX.

Quædam dicuntur absolutè, quæ comparatè sunt intelligenda.

SIc Philipp. cap. 3. ℣. 15. vocat Paulus fideles τελείους, *perfectos.* Hoc absolutè dici nequit, siquidem perfectionem quæ futura est in cœlo nondum attigimus, 1. Cor. cap. 13. v. 10. tamen quod absolutè falsum est, erit comparatè verum; si nempe conferatur conditio nostra cum statu fidelium Veteris Testamenti, eorum enim respectu perfecti dici possumus. Sic 2. Cor. cap. 3. v. 18. *Contemplamur gloriam Dei retecta facie*, non absolutè tamen, quia conditio nostra est veluti *in speculo, & per ænigma*, adeóque imperfecta, respectu cognitionis in vita æterna futuræ, *in qua videbimus Deum uti est & facie ad faciem.* Tamen quæ cognitio imperfecta est hoc modo, erit perfecta collatione facta cum conditione veterum fidelium, quorum cognitio fuit veluti *velatâ facie*, hoc est, valdè imperfecta. Sic Matth. cap. 17. v. 11. dicitur de Elia *quod restituere debuit omnia*, certè non absolutè, hoc enim fuit proprium uni Christo: sed tantùm comparatè ad conditionem Veteris Testamenti; aliam enim faciem salutis & dispensationis divinæ administravit, & quidem nobiliorem eâ qua fruebantur primi fideles.

AXIOMA LX.

Scriptura absolutum dicit quod absolvi proximum est.

FAmiliaris est locutio ista in omnibus linguis, ut scilicet in prętetito implementum consecutum esse dicamus, cujus executio instat. Sic Gallicè, *Cela est fait, il est mort:* quum scilicet omnia media ad finem necessariò tendunt & conspirant. Sic Ioan. cap. 19. v. 30. Iesus in cruce morti proximus, clamavit, *omnia impleta esse*. Quid, an-nè salus nostra in totum impleta erat, quum ante animæ exitum, hęc vox exivit ab ore Christi: non certè potissima enim salutis nostræ pars restabat, nempe resurrectio: quum ergo dicit, *omnia sunt impleta*, id est, *omnia suum complementum assequi sunt paratissima. Instat omnium complementum per mortem & resurrectionem meam.* Sic Ioan. cap. 17. v. 11. collato cum versu 13. *Non amplius nunc sum in mundo, sed ipsi sunt in mundo.* An-nè Christus quum ad Patrem fundebat prěces non adhuc erat in mundo? Scriptura contrarium docet, hoc tamen dicit Christus, quia ex mundo discedere paratus erat, & mox accedebat tempus, quo mundum derelinquere debebat.

AXIOMA LXI.

Contrariorum causæ sunt non efficientes, sed deficientes, sive non impedientes.

SIc solis radij contrarij sunt tenebris. Quum ergo dicimus locum aliquem esse tenebrosum, quod sol non illustrârit illum radijs suis, non notamus illâ locutione causam efficientem tenebrarum, sed causam non impedientem tenebras, sive deficientem. Eâdem figurâ solemus dicere familiari sermone, *Hic non legit Aristotelem*, quum volumus designare aliquem rudem & imperitum Philosophiæ: non habemus tamen hîc efficientem causam; nec desunt hujus figuræ exempla in sacris Codicibus. Sic Psal. 147. v. 19. 20. *Declarat verba sua Iacobo*, &c. Quid, an-nè non declaratio verborum Dei Gentibus esset causa efficiens erroris & ignorantiæ Gentium? Minimè. Vera causa efficiens ignorantiæ est peccatum. Assignat itaque Propheta causam non impedientem ignorantiam; nisi enim suo verbo nos illuminaverit Deus in ignorantiam torpere homines coguntur. Sic Rom. cap. 8. v. 13. *Sed si spiritu actiones corporis mortificetis, vivetis.* Quid, an mortificatio peccati est causa efficiens vitæ? Non. Vera causa vitæ est mors & meritum Christi. Porrò mortificatio peccati est altera sanctificatio-

nis pars, & sanctificatio non est causa nisi conditionalis vitæ æternæ. His ergo verbis ostendit Apostolus causam non impedientem vitam, nempe mortificatio & deletio peccati. Sic Deus peccato contrarius est, ut ostendit Paulus, Rom cap. 6. v. 17. Quum ergo Deus indurare dicitur, immittere spiritum erroris, inducere ad peccandum, quæ loquendi formulæ videntur Deum auctorem peccati statuere: tamen non causa efficiens assignatur, sed causa non impediens peccatum, Pari planè pacto, quum Evangelium dicitur esse odor mortis, id est, causa mortis pereuntibus, de causa deficiente intelligendum est.

AXIOMA LXII.

Vox nisi, *non tam est exceptiva quàm adversativa.*

HOc vult Axioma vocem εἰμὴ in Scriptura sæpè non excipere rem cui anteponitur de numero præcedentium, sed tantùm opponere & diversam conditionem notare. Sic Ioan. c. 17. ℣. 12. *Nullus peryt*, inquit Christus,, *eorum quos dedisti mihi nisi filius perditionis*, non intelligendum filium perditionis datum fuisse Christo, quasi exciperetur ex eorum numero qui Christo dati sunt, verùm, *nisi filius perditionis:*, idem est ac, *sed filius perditionis.* Ità ut Iudas differat à reliquis Apostolis, non tantùm in eo quod ij perseveraverint, ille verò non, sed etiam in eo quod hi dati fuerunt Christo, ille verò non item; hoc sensu, *Nullus horum quos dedisti mihi, at solus filius*, &c. *peryt, nec immeritò, siquidem eum servandum mihi non dedisti*. Sic Gal. cap. 2. ℣. 16. Εἰδότες ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Inde Arminiani concluserunt hominem justificari operibus, & fide simul: *duæ negationes*, dixerunt, *æquivalent affirmativæ.* Atqui, *non justificari*, & *nisi operibus* sunt negationes. Ad hoc ut respondeatur valet multùm præsens Axioma, scilicet vocem *nisi* idem, valere quod *sed*; adeóque non jungere fidem operibus, sed opponere potiùs, hoc modo, *Scientes non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Christi*; ut Beza rectè vertit.

AXIOMA LXIII.

Quod aliquibus contingit, de omnibus & singulis dicere Scriptura solet.

HOc vult Axioma locutionem esse non insolitam in Scriptura, ut quoties ità res se habet, ut restitui non possit nisi Deo restituente, tum Deus omnia ejus generis dicitur restituere; at quod de omnibus & de toto genere dicitur, id tantùm de aliquibus, qui sub hoc genere continentur intelligendum est, de ijs scilicet quibus res ipsa contingit. Sic Psal. 145. ℣. 14. *Sustentat omnes cadentes & erigit omnes incurvatos.* Certè hoc si foret absolutè verum, nullus unquam nè Iudæus quidem excidisset, quapropter cogitur ad particulares restringere gratiam, quod etsi toti generi tribuitur, particularibus tantùm pertinet. Idem est ergo ac si doceret Propheta, *Omnes cadentes qui sustentantur à Domino sustentantur, & omnes incurvati qui eriguntur, à Domino eriguntur.* Sic Ioh. c. 1. ℣. 9. Christus dicitur *lux quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Quid an-nè omnes & singuli homines illuminantur à Christo? Hoc si foret nullus in tenebris mortis jaceret. Talis ergo debet esse loci sensus, *Omnes qui illuminantur venientes in mundum à Christo illuminantur.* Sic 1. Cor. c. 15. ℣. 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur ità*, &c. Nihil est quod ex hoc loco sicut & præcedenti Semipelagiani aliquid pro sua causa persuadeant, nisi enim quod de universo genere humano dicitur ad particulares restringeretur, absurda infinita sequerentur. Talis ergo debet esse hujus loci sensus, *Sicut qui moriuntur, in Adamo moriuntur, sic qui vivificantur nonnisi per Christum vivificantur.* Hùc pertinet celeberrimus ille locus qui habetur, 1. Tim. cap. 2. ℣. 4. *Deus vult omnes salvos fieri*, id est, *omnium qui servantur, nemo servatur nisi Deo volente.* Huc referri potest locus Ioan. c. 3. ℣. 16. *Deus ita dilexit mundum ut*, &c. id est, *qui ex mundo dilecti fuerunt, eos Deus dilexit, ità ut*, &c.

AXIOMA LXIV.

Caph *similitudinis apud Hebræos, vel particula ὡς apud Græcos, non similitudinem duntaxat, sed ipsam rei veritatem sæpè repræsentat.*

HOc vult Axioma, similitudinis particulam non semper diversitatem rei cui anteponitur cum præcedenti asserere, sed potissimum identitatem confirmare. Sic Dan. cap. 7. ℣. 13. *Ecce vidi in visionibus no-*

tis' ſicut filium hominis: ut aiunt ſimile non eſt idem. Is ergo quem viderit Propheta non fuerit filius hominis; at res vera omnimodè forer, ſi כ ſimilitudinis apud Hebræos ſemper ſimilitudinem aliquam argueret: ſed ut dixi ipſam realitatem ſępè repręſentat. Is enim quem vidit Propheta fuit verè filius hominis. Sic Ioan. cap. 1. ℣. 14. *Contemplavimus hujus gloriam uti unigeniti à Patre.* Sic & Apoc. c. 1. ℣. 13. *ſimilem filio hominis.* Sic. 2. Cor. cap. 3. ℣. 18. *Transformamur ad imaginem Dei veluti per ſpiritum Domini?* Sic 2. Cor. cap. 2. ℣. 17. & 2. Cor. 5. ℣. 20. *Quaſi Deus per nos hortaretur.* Hebręi illud כ vocant כ conformationis. Sic Gen. cap. 25. ℣. 33.

AXIOMA LXV.

Nomen generale perſonam ſingularem ut plurimum repræſentat.

SIc vox *Apoſtolus* omnibus reſurrectionis Chriſti teſtibus communis Paulum Apoſtolum tamen repręſentat, ſcilicet ob eximia Dei dona quibus reliquos antecedit. Sic Propheta *Eſaïam* ſignificat. Sic vox *ſemen mulieris*, etſi omnibus hominibus à mulieribus oriundis pertineat, tamen ad Chriſtum refertur ob miracula, quæ in ipſius conceptione & nativitate claruerunt. Sic vox *filius hominis*. Sic vox *Beſtia* in Apocalypſi. Sic vox *leonis* in fine 2. ad Timoth. Etſi communis animantibus hujus ſpeciei, Imperatori Neroni procul dubio, ab Apoſtolo tribuitur. Sic vox σκόλοψ, καὶ ἄγγελος Σατανᾶ, à Paulo, ut volunt aliqui, tribuitur alicui impio carnifici, qui perſonam Apoſtoli diu noctuque vexabat.

AXIOMA LXVI.

Abſtractum nomen datur concreto qualitatem per excellentiam poſſidenti.


VOx concreta eſt quæ deſignat ſubjectum cum qualitate ſubjecti. V. G. *juſtus, ſanctus*, &c. Vox verò abſtracta eſt quę deſignat ſolam qualitatem. V. G. *juſtitia, ſanctitas*, &c. Vult ergo Axioma Scripturam ſępè dare ſubjecto nomen abſtractum, ut oſtendat ſubjectum illud rem ſignificatam per hoc nomen, per excellentiam poſſidere. Sic Reges vocantur *majeſtas ipſa*, per excellentiam, quia ſcilicet majeſtuoſus. Sic vir juſtus vocatur *juſtitia*, ut oſtendatur hunc virum eſſe juſtum per excellentiam. Sic Deus vocatur *lux* non ſolum *lucidus*, quia eſt auctor lucis. Sic Chriſtus dicitur *via, veritas, & vita*, Ioan. c. 14 v. 6. nec-non *reſurrectio & vita*. Ioan. 11. Et apud Prophetam *Iehovah. juſtitia noſtra.* Sic verbum Dei dicitur *veritas*; nec-non *timor Dei*, Pſ. 19.

AXIOMA LXVII.

Sæpè Scriptura de uno negat, ut de altero simul affirmet.

SIc Ioan. cap. 7. v. 16. *Doctrina mea,* dicit Christus, *non est mea, sed,* &c. Certè omninò absurdi forent qui Christum auctorem doctrinę suę negarent. Sed Redemptor id de uno negat, nempe de se, ut de altero simul affirmet, nempe de Patre; quasi dixisset, *Mea doctrina non est mea tantùm, sed etiam Patris mei qui me misit ut eam docerem.* Sic Ioan. 5. *Neminem judicat Pater, sed omne judicium dedit Filio,* hoc est, *Pater solus neminem judicat, sed omnem potestatem communicavit Filio, ut unà cum ipso judicet mundum.* Sic Gen. cap. 32. v. 28. *Non Iacob dicetur nomen tuum, sed Israël,* hoc est, *non tantùm vocaberis Iacob inposterum, sed Israël:* utrumque enim nomen usurpavit. Huc referri debet celeberrimus ille locus, qui habetur, Ierem. cap. 31. v. 34. ubi Propheta de statu futuro Novi Testamenti vaticinans, *Non docebit quisquam proximum suum his temporibus, sed erunt omnes docti à Deo.* Quod impletum docet Apostolus, Heb. cap. 9. ✠. 8. Idem enim est ac si dixisset Propheta, *His temporibus nullus docebit fratrem suum mysteria regni cœlorum solo verbi præconio, sed etiam vi & auxilio summi doctoris & Spiritus Sancti.* Atq; adeò nemo adducitur ad Christi cognitionem solo naturæ lumine, vel etiam Evangelij solo splendore, sed lumine interno spiritus mentem illuminantis. Sic 1. Sam. cap. 8. v. 7. *Te non rejecerunt, sed me,* inquit Iehovah de Israëlitis qui Regem petebant, hoc est, *Te non rejecerunt solùm, sed me quoque.* Sed de his omnibus sufficienter dicta sunto.

Deo Opt. Max. sit laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.



FINIS.

collazionne 6 m